





HVGONIS FLORIACENSIS MONACHI BENEDICTINI

CHRONICON,

QVINGENTIS AB HINC annis & quod excurrit, conſcriptum.


HACTENVS à MVLTIS DESIDERATVM, nunc tandem poſtliminiò ex membranis antiquiſſimis erutum, ac publicis vſibus tranſcriptum.

EX MVSÆO
BERNHARDI ROTTENDORFFI, COM. PAL. CÆS. ac Reipub. Monaſt. Archiatri.
Qui & ſubbreues Notas attexuit,



MONASTERI WESTPHALIÆ,
Typis & impenſis BERNARDI RAESFELDIJ.
Anno Chriſti, M. DC. XXXVIII.
Cum Gratia & Priuilegio Cæſareo.

.94



REVERENDISSIMO NOBILISSIMOQVE DOMINO.

D. BERNARDO A MALLINCKROT,

CATHEDRALIS ECCLESIÆ MONASTERIENSIS DECANO, &c.

Literarum & Literatorum Mecœnati

BERNARDVS ROTTENDORFF D.

τὸ ὑγιαίνειν.



ERunt haud dubiè, Reuerendiss. ac Nobiliss. Domine Decane, qui factum hoccé meum alijs lancinandum proijcient, Vituperones nasuti, quod Hugonem Floriacensem Scriptorem seculi sui elegantem, eundemque peruetustum, vtpotè qui annis quingentis & quod excurrit, Endromidis soloce tectus, in situ ac squalore cum vmbris luctabatur; nunc tandem postliminiò ex tenebris erutum in apricum pro-

trahani.

traham, tallàque illustrem veluti in theatro quodam omnibus exhibeam; quasi eo ipso in mustaceo laureolam quæritem, & illa paupertina ingenij mei macies, cum suà non posset, alienà industrià eniti, & ad posteritatis famam eluctari vellet. Conniuere debēt præcoces Marculi illi, inolitum iam seculi vitium est, vt ad famam prius multi, quam pubertatem anhelent, & inconsultâ quâdam temeritate, æstuque immaturo noctes suas, vel si màuis nugas, publicé atque ad Solem, quasi Appellæas tabulas quasdam discutiendas non tam protrudunt quam prostituunt: ignoscent ergo illi in hoc instituto meo & mihi; Et vero cum consuetudine illâ nullâ etiamdum lege coërcitâ, adeoque publici iuris licentiâ liberius vtar; non video quomodo illorum quispiam sine obliqui in me oculi notâ, meritô mihi litem intentarit. Quamuis longè aliud mihi hoc in loco propositum erat: Cum enim verò Auctor hic in manus potissimum meas veluti fato quodam incurrisset, pro meo in rem literariam affectu, religione me vrgeri sentiebam, vt illum in lucem assererem, & ab illâ longæ noctis caligine vindicatum, veteris puriorisque historiæ Amatoribus, publico veritatis bono transcriberem. Quanquam quid tam prolixê illis me purgo; cum hoc in puluere doctissimos etiam nostrâ memoriâ viros desudasse mecum palam sit: Nihil hìc de Reuberis, nihil de Pistorijs, Gretzeris, Reineccijs, Sambucis, Freheris, Sirmondis, Petauijs, Meibomijs, Brövveris, nihil de Pithœis dicam, nihil de innumeris alijs, quorum exundantem in omni scientiarum genere doctrinam literatissimi quique religioso cultu exosculantur; cum porrò magnam illi in hoc scriptionis genere gloriam sibi pepererint, quis, eorum vel è longinquò vestigia legisse, vitio mihi duxerit.

Ad Te verò, Reuerendissime & Nobilissime Domine Decane hiccé meus properat conatus, (melius enim Protogene nemo de lineis Apellæis iudicabit,) Tuum ambitiosissimè fauorem prensat, quem si, quod omninò sibi pollicetur, consequutus fuerit, aliorum solicitè nec aucupabitur poppysmata, nec criminationes exhorrescet. Verùm oportebat quid excellentius clarissimi nominis Tui sacrario appendi; hoc dignitatis illud fastigium, & natalium splendor; hoc doctrinæ meritum, magnis passibus ad æterni nominis decus contendens; hoc denique mores ad omnem rectitudinem facti exigebant. Videberisq; mihi non iniuriâ succensere, qui vt alter ille, Liberi Patris aram non pampinis, sed hæderâ

coro-

coronandam duxerim. Fateor equidem, & omnem me Tibi ex asse debitorem sisto; at desiderio meo in Tua obsequia pronissimè gestienti, omnis officij dilatio diuturna nimium fuit; nec vllis se passum est frænis retineri; maximè cùm recogitabat secum, quòd summa illa ingenia, quæ secretioris Philosophiæ adyta intimius penetrarunt, quibus iure optimo vel principem Te accenseo, ad æmulationem Magni Numinis illius non paucula aliqua minuta, aut quicquid id est, licet pusilli pretij, sed offerentis animum, quo vno in rerum fabrica pretiosius nihil exhiberi potest, in æstimationem vocent. Id quod de Te vt in hoc instituto meo audentius mihi persuadeam, toties illa Tua in me comperta benignitas faciebat. Quis enim Te in me beneuolentior? quis in tanta natalium, honorum, dignitatum, virtutum ac doctrinarum disiunctione, non dico coniunctior, sed affectuosior? Sed in hasce aliasue, siue Tui in me affectus testificationes, seu potius naturæ dotes, vt me effundam, hoc loco propositum non est; & ne, quemadmodum Solis radios nubes sæpè intercipit, ita illis rudis & inculta dictio mea non lucem, sed vmbram faciat, hìc manum comprimo; illas vtpoté calamo meo augustiores silentio potius ac religione veneratus, Timantis scilicet exemplo, qui quod penicillo scitè exprimere non poterat, velo obtegebat. Interim has ipsas, aliaque ad quæ prima illa & Suprema Mẽs niueo Te calculo, in irrefragabili prouidẽtiæ suæ consistorio designauit, rectius alij & vberius loquentur; mihi in præsens satis fuerit summa omnia, felicissimaq; toto pectore apprecari: Cuius quidem in Te animi mei, quem Tibi longùm multis magnisque vadatum atque deuinctum detines pignoribus, HVGONEM hunc FLORIACENSEM sisto testem; vel si mauis, impensioris obseruantiæ certissimum obsidem; quam propediem, si Deus vitæ pepercerit, maiori symbolâ, & tanto Patrono, & eâ, quantulacunque opinione, quam in Arte Medica & bonis literis sustinemus, digniore, declaratum ibo. Vale & salue, ac me virtutis & doctrinæ Tuæ cultorem, consueto fauore prosequere. Prid. Kalend. Sextil. MonasterI Westph. cIↃ.IↃc.XXXVIII.

Summa



Summa Priuilegij Cæsarei.

CÆsaris Ferdinandi III. Priuilegio cautum est, ne quis Hugonis Floriacensis Chronicon, Bernhardi Rottendorffi, Com. Pal. Cæs. ac Reipub. Monast. Archiatri, operà in lucem datum ac notis illustratum, citra BERNHARDI RAESFELDII Typographi Monasteriensis voluntatem, à die impressionis absolutæ, intra decennium imprimat, aut alicubi impressum quouis modo importet, venumuè exponat. Qui secus faxit, confiscationis librorum, & decem marcarum auri puri pœna, pro vnâ parte Fisco Cæsareo, pro alterâ Typographo eiusque hæredibus exoluenda, multabitur, vt latius in Diplomate expressum est. Dato Viennæ CIↃ.IↃC. XXXVII. X Septembris.

Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ
Maiestatis proprium.

IL



ILLIBATVM VIRTVTIS ET FAVENtiæ Candidatum saluere, & benè rem gerere.

Bernh. Rottendorff Med. Doct.

PRIVSQVAM ulterius legendo proueharis, siste parumper gradum, Polyhistor Lector, & scrupum qui te fodicat, ut eximam permitte: per umbram enim, te non satis demirari posse, video; quod homo professione Medicus, perpetuis ægrorum querelis lacessitus, in praxi mea negotiosissima, ad hæc veluti ludicra me demittam; utpote quæ alendæ potius curiosorum ingeniorum deseruire voluptati, quàm miserorum utilitati videantur. Ignoscere debes, beneuole Lector, dum hac in parte imitor illos, qui primis adolescentiæ annis, nonnunquam ad Sirenios obharescunt scopulos, nescio quibus illecebris ibidem irretiti: Exinde verò retrò vela flectunt ad Bonæ Mentis portum, & quicquid ante Catulli pipilans passer, fideli amnestiâ ex animo delent: Attamen interim occasione datâ, Amiculas, quas quondam deperiuerunt, veterum deliciarum memores, obiter & quasi ex itinere subinde salutant. Idem usu mihi venit, utpote qui animum à pauxillo puero, ad politiores Musas, inprimis Poëseos, Historiarum & Antiquitatis studiũ appuli, occultâ quadam analogia, veluti magneticâ vi attractus: quorum quidem studiorum blanditijs tunc adeò implicabar, (cùm nescio quid ἑλκυστικὸν in illis experirer,) ut inde extricare me, & ab illo vario & desultorio studiorum genere, ad constantem aliquem & certum statum recipere me posse, penè desperarem. Verùm ubi ætate maturior, paulatim sine scirpo cœpi nare, & meo remigio rem gerere; iucunda tunc olim vitæ ratio aliud suadebat. Quare pensiculatius circumcirca omni re excussâ, Musarum lautitias illas, merissima condimenta deprehendi; utpote quæ animum non tam pascunt, quàm oblectant: Ideoq; nisi solidioris alicuius doctrinæ dapes illis substernantur, exiguum plerumq; post se relinquunt nutrimentum. Proin illis valere nonnihil iussis, ad haud paulò seuerius Medicinæ studium, ad quod naturâ propendebam, animum applicare placuit; quo feliciter decurso, annis præter propter septendecim Medicinam hîc in patria facio, quo successu, fateatur Inuidia. Ab illo tempore amæniores Musas, non nisi per transennam, & aliud quodam modò agens saluto; non osor illarum, quomodo enim in illas mihi semper blandissimas, talis esse poteram? sed amator moderatior; illisq; veluti delenificis quibusdam delicijs, morosiores curas in hoc viuendi genere, quod nunc ago, condio & sustento. Clitorij fontis haustu Poëtarum venustissimus, vini fastidium ac fugam induci, canebat aliquando: Fabulaturne more suo, an rem dicat, alij viderint; certè quos grauioris disciplinæ alicuius succus, veluti latex ille, imbuit; Diuarum illarum Collegium etsi non abhorrent, attamen temperatiori colunt & obseruant affectu. Ideoq; in nymphæum illarum, veteris voluptatis

sensu

sensu animum à tergo vellicante; veluti gratissimum quoddam diuerticulum, ad tædiosi cuiusuis itineris asperitatem leuandam, etsi rarius, nonnunquam tamen concedunt. Hoc de me, optime Lector, quod te latere nolui. Nunc ad Auctorem. Cognominatur ille Hugo à Sancta Maria, (quod hodie phanum D. Hilarij dicitur,) vt inquit Robert. Cœnalis Histor. Gall. lib. I. periochę IX. Passim tamen & vt plurimum à Floriaco Ord. S. Benedicti Cœnobio, haud procul à Blesis in agro Aureliano ad Ligerim sito, Floriacensis appellatur: quòd ibidem ad annum Christi præterpropter DC.LX sub Rege Clodouæo Dagoberti filio, Leodebodus S. Aniani extra muros Aureliarum Abbas, magnis sumptibus extruxit, fundauit & dotauit; quodq; S. Reliquijs P. Benedicti, sub primo Loci Abbate Mummulo, illuc ex Monte Cassino, industriâ & ministerio Aigulphi Monachi translatis, etiamnum celeberrimum est. In hoc cœnobio noster Hugo perpetuâ voti sponsione sese totum Regulæ D. Benedicti consecrauit; atq; scripta, quibus nomen suum nunquam intermoriturum ad posteros propagauit, pariter elaborauit ac perpoliuit. Erat enim cœnobium illud olim, omnium bonarum artium, & in primis veræ pietatis sedes, ac certum domicilium, ex quo velut ex equo Troiano, innumeri post religione & doctrinâ illustres viri emerserũt. Fuit sanè Auctor hic sacris simul & prophanis literis egregiè instructus, & omnis antiquitatis, in primis Gallicæ, solers & perspicax indagator; vt Chronicon hocce, quod ex situ & squalore nunc tandem protractum, primus luci reddo, & publico iuri transcribo, abundanter testatur; in quo res plurimas, potissimum Ecclesiasticas, succinctè & miro compendio in vnum coarctat, (licet tamen exspatietur subinde nonnihil, & excurrat,) & non pauca alijs intacta, vel saltem non vbiuis obuia recenset; ac omnia stylo satis accurato & arguto, immò ad genium illius seculi, eleganti & facundo. Ioannes Gerhardus Vossius vir eruditissimè doctus, ex Chronico hoc nõ amplius nunc superesse, quàm vsq; ad mortem Irenes Imperatricis, qui tertius fuit annus imperij Caroli Magni; Christi autẽ DCCCIII. asserit; atq; taliter illius integritatem & perfectionẽ in dubium vocat: Eundem & errorem R. P. Iacobus Tirinus Societ. Iesu Presbyter, doctissimus S. Scripturæ Scholiastes, cum Cl. Vossio errauit, dum inquit in indice Auctorũ à se citatorum, suis Biblijs subtexto, Chronicon hoc solum ad annũ Christi extare, cetera temporis iniuriâ perijsse. Verùm vtriusq; & Tirini & Vossij errorem, Auctor ipse, mea iam manu in theatrũ productus clarissimè confutat; qui in Carolo demum Magno, eiusq; filio Imperatore Ludouico, ad quorum tempora historiam se suam producturũ pag. 34. præmiserat, finitur: quam cùm eò vsq; plenissimè hicce tibi Lector exhibeã, quis imposterum vel de Auctoris imperfectione, vel antiquitatis vitio, iure conqueretur? Marquardus Freherus, Chronici huius fragmentum, Iuoni Carnotensi falsò adscriptũ, ante annos XX in lucem protulit, principemq; ei locum in Corpore veteris & syncera Historiæ Francicæ adsignauit; nescio quo fundamẽto ille nixus, aut specie potius recti delusus; vir alioquin in omni Antiquitate versatissimus: cùm tamen rationes grauissimæ in contrarium eant, quæ fœtum hunc non Iuoni, sed suo natiuo & genuino Parẽti Hugoni indubitanter vendicant & restituunt. Franciscus certè Iuretus de bonis literis optimè meritus; longum & minutatim in vitã & scripta Iuonis inquirens, nihil præter breue Chronicon Regum Galliarũ, & aliquot Epistolas conquisiuit, quas post deinde typis exscriptas euulgauit; & quæ ex eisdem de vita Iuonis carptim excerpsit, Epistola præliminari ad Iac. August. Thuanum inseruit; in quibus omnibus alterius Chronici altissimum silentium est. Quin & hoc certò mihi persuadeo, quòd, si quidem illius Chronici auctor Iuo fuisset, haud

set, haud præteriturus erat Canonicorum Regularium S. Quintini Belluacensis, quorũ primò Præpositus fuit, uti & Ecclesiæ Carnotensis, cuius exinde Episcopus, mentionem, quod tamen minimè factum, inseruisse. Amamus enim nostra natura quadam prurigine, libenterq́; quantum in nobis est, æternitati seruamus. At verò Cœnobij Floriacensis, in quo Hugo vitam & Regulam S. Benedicti amplexus, quàm frequens mentio? Vix dum vllo in argumento copiosior est; in hoc scilicet reperies quando & à quo ipsum fundatum extructumq́; quo anno corpus S. Benedicti, cuiusq́; industriâ illuc ex monte Cassino delatum, quando idipsum à Monachis Cassinensibus repetitum, aliaq́; diuersa, quæ his actibus inciderunt: adeò, vt ad idem Floriacense Cœnobium, cuius, vt sæpè meminimus, ipse alumnus erat, respexisse videri possit, cùm in ipso statim Chronici sui exordio, Historiam se Ecclesiasticam defloraturum, ipse affirmat, in hoc floris nomine ludens, vtpote qui in Floriacensi Cœnobio historiam deflorans, florilegium hoc egisset. Leuiuscula forsitan hæc argumenta Lector æstimabis, produco ergo tibi & numero & auctoritate amplissimos; Primus sit Vincentius ille Bellouacensis Præsul, qui claruit sub Friderico Imperatore Secundo An: Dn: M.CCXL. exscripsit ille ex Auctore hoc de verbo ad verbum sexaginta & amplius loca, præfixo semper, quod ad institutum meum probandum huc maximè faciebat, Hugonis nomine, vt in Bibliotheca Mundi, siue Speculo illius historiali magno ad oculum patet. Id ipsum & eadem methodo in Chronico suo tripartito fecit Venerabilis Antoninus Florentinus, doctrinâ pariter & sanctitate illustris, ad quos curiosum Lectorem remissum cupio. Robertus item Cœnalis Hist. Gall lib. I. periocha 12 pag. 95. maximam rerum à Carolo Magno gestarum partem ex hoc Chronico excerpsit, non tamen insigni Hugonis elogio prætermisso. Vide Hugonem pag. 174 Et quæ idem auctor pag. 90. de situ Galliæ habet, eadem ijsdem verbis suæ historiæ Gallicæ Cœnalis intulit pag. 155. Doctissimus Sauaro in Commentarijs ad Sidonium Apollinarem sæpissimè citat hunc Hugonem, & subinde ex ipso integras periodos desumit. Arnoldus VVion familiæ Benedictinæ scriptor nominatissimus, refert ex hoc Auctore historiam de miraculo, quod Floriaci contigit, quando Cassinenses Monachi S. Benedicti corpus inde auferre annitebantur, quam historiam Ioannes à Bosco ijsdem exscriptam verbis, in Bibliothecam suam Floriacensem transtulit, pag. 277. Multoties item eiusdem Hugonis, Cuspinianus & Nauclerus meminerunt, & ex eodem plurima compilarunt, ipso tantùm verborum & sententiarum ordine nonnihil immutato, quod curiosiori indagatori facilè patebit. Extat præterea apud me cuiusdam Petri Chronicon M.S. in quo & Hugonis nostri mentio, & quæ ibidem de Synodo Nicæna Vniuersali reperiuntur, ad verbum ex hoc Chronico, quod modò vsibus publicis emitto, excerpta sunt: Auctor illius scripti natus An M CCC XXII. ipso vinculorum Petri festo, ob quod Petri nomen sibi inditum asserit, & historiam suam à condito mundo, vsq; ad annum Christi M.CCC. LXXXV. persequitur; quam simul ac occasio sese obtulerit, publici iuris faciam; est autem ille ipse Auctor, quem aliquoties testem aduocat, Auctor Chronici magni Belgici à Pistorio editi. Huc tandem accedunt membranæ nostræ M SS quas admodum Reuerendus & eximiè doctus Dn. Hermannus Zur Geist, antiquiss. Cœnobij Ord. S. Benedicti in Liesborn diœcesis Monasteriensis Abbas dignissimus, amicus itidem ac patronus meus colendissimus, liberalissimè inter cetera mihi suppeditauit; quarum limen & post-limen, ipsum Hugonis Floriacensis nomen solemnissimè venditant. Ex quibus clarum sanè & euidens Chronicon hoccè perperam & falsò, quod antè monui, Carnotensium Episcopo Iuoni à Frehero fuisse attributum; Ideoq́; nunc tandem postliminiò integrita-

tiq;

ri, ac pristino nitori restitutum, Auctori suo per me iure assertum esse. Non eo inficias Hugonem nostrum Iuoni fuisse synchronum & perquam familiarem. eidemq; subinde suos labores veluti obseruantiæ testes obtulisse, vt ex Epistola, quam paulò post subnectam, videre est; quòd item Papirius Massonus Annal. Franc. lib. 3 pag. 212. testatur, qui ait, Auctorē hunc Chronicon quoddā Iuoni Carnuto Episcopo inscripsisse, & ex eodē commemorat Carolum Lotharingiæ Ducem proditione Ascelini Laudunensis Episcopi, ab Hugone Rege Gallorum primò Lauduni captū, & vnà cum vxore Aurelias ductum, & cet. quæ cùm in meis membranis non reperiantur, & gesta sint circa annum nongentesimum octogesimum octauum: cùm illæ ad annum octingentesimū quadragesimum solùm proueh antur, aliud Chronicon à nostro diuersum arguunt: ex quo nō obscurè apparet, Hugonē præter hoccé scriptum, alia quoq; ingenij monimenta posteris destinasse, quod & Robertus Cœnalis Histor. Gall pag: 82. affirmat, dicens Hugonem Flor Historiam Francorum ad Adhelam Guilielmi Nothi Regis Anglorum filiam, Meldensium Blesensiumq; Comitem scripsisse, &c. quam ego cum Chronico, cuius Massonus meminit, suspicor esse eandem: nec est quod quis Inscriptionis varietate turbetur, cum Hugo noster omnes suas lucubrationes, Iuoni veluti Præsuli doctissimo, in obseruantiæ testimonium potuit obtulisse: quod etiamnum hodiè apud literatos consuetudine receptum est; vt si quandoq; plura quis industriæ suæ specimina sæculo imputarit, ea nihilominus patrono suo, si quem habeat, philomuso impertiat; licèt alteri solemnius inscripserit. Præter isthæc aliquid etiam de rebus Germaniæ literis videtur consignasse, vt Franciscus Irenicus German. Exeg: lib. 1. cap. 2. innuit. Ipsius etiam Hugo pag. 127. sui Chronici asserit se prolixiori stylo vitam S Sacerdotis, Episcopi Lemonicensis contexuisse, quæ mihi nondum visa. Claruit Hugo sub Rege Galliarum Ludouico VI. cognomento Crasso, qui sub annum Christi M. CXXXVI. regni verò sui XXIIX. Parisijs obijt; sub quo Rege & floruit Iuo Carnotensis, qui obijt ad annum M. CXV. vt in Carnotensis Ecclesiæ Martyrologio videre est. Tandem quid in hac editione præstitum sit, paucis declarabo: Exemplar quo vsus sum, erat quidem non ineleganter in membrana, sed vitiosè admodum exaratum; nam præter errores orthographicos innumeros, sæpè in illo integræ reperiebantur periodi, quibus nec sensus suus, nec constabat constructio, ita vt diuinando mentem Auctoris aliquando vix assequerer: sed dum paulò penitius omnia excutio, ex signis non obscuris comperio, Hugonem nostrum, ex Eutropio, Paulo Diacono, Orosio, Eginhardo, D. Gregorio, Greg. Turonensi, Aimonio, & alijs subinde nonnulla compilasse, eodem verborum & sententiarum tenore seruato, ac suo inscripsisse Chronico: quos dum adeo, vltrò sese mihi illa oggerunt, in quæ antè scrupulosissimè inquirebam. Nec his acquiescendum censui, reflecto itidem me ad illos, quos plurima ex hoc Chronico exscripsisse sciebam; Belbuacensem Præsulem, Antonium, Petrum, Cœnalem & reliquos, quorum supra memini, intelligo. Non minus ad Fragmentum Freheri recurro, vitiosum per se satis, ex quo de Christo discursum vnum, & alium in Iudæos excursum, ad hoccé Chronicon supplendum mutuatus sum, vt suo loco dictum, quod in reliquis alioquin propter infinitos næuos, mihi parum proficuum fuit. Atq; hac ratione multa distorta, collapsa, confusaq; restitui, correxi & compleui. Calami præterea vitia euidentissima vt plurimum sustuli, indignum iudicans lectorem ad ea trepidum hærere; erant enim nonnulla talia, ad quæ non tantū virgidemiā iam egressi, sed etiam cordatiores trepidare poterant. Interim hoc ipso maiestatem MSS. codicum nullatenus sugillatam volo, sed vnicè ijs insistendum esse censeo, inprimis quando eorum fides rationi & sensui adstringitur, nec intermortua & sepulta

sepulta effodiunt, aut rancida & obsoleta introducunt; sin secus fiat, plumbum Lectori pro auro, & nox pro sole obtruditur. Auream praeterea Criticen non contemno, sed veneror, immò politiori hac literatura renascente, exosculor: non tamen omnino cum illis facio, qui toti in voculis & syllabis excutiendis sunt, & segetem rerum ac sententiarum subterhabent, paleis tantummodo lectis. Nihil hic subtraxi, nihil quod esset alienum admisi, nihil temerè immutaui, nisi fultus auctoritate illorum, qui abhinc trecentis & amplius annis, fideliter sua ex hoc Floriacensi horto deflorarant, vt taceam fontes, ex quibus Hugo sua subinde hauserat, diligenter etiam à me lustratos. Atq; horum beneficio, non secus ac diuersorum codicum MSS. adminiculo, editionem hanc qualemcunq; adornaui: & licèt hac in re non omne quod volebam sim adsecutus; hoc tamen egi, vt ad illud quod intendebam, quàm proximè accederem, quod non negabit facilè ille, quem benignior critices ocellus adspexit. Erant qui suadebant illas librarij exerrationes, & variarum lectionum aucupia, ad finem reijcienda, vel saltem pagellarum oris adlinenda, quod minimè decens esse ratus sum, quod pulcrum illa Auctorem non secus ac scabies elegantem faciem, deturpent; nec ego in his, vt dixi, quicquam adieci, aut sine auctoritate expunxi. Probè enim mihi sum conscius, quàm angustis ille coërceatur limitibus, qui alienum fodicat agellum; eodem namq; modo qui corruptos veterum codices emaculandos sumunt, non quae maximè placent eligere, aut quae displicent tollere aut mutare possunt; sed in hoc vnicè omnes eorum vires intendenda, vt quod in manus habent, ad Auctoris mentem, quàm emendatè in vsus publicos prodeat: quod sanè eo candore, aequitate, & modestiâ, absit verbo inuidia, praestare adnisus sum, vt sperem hanc operam cãdidis, aequis, modestisq; gratam esse posse, apud ipsos contentiosos extra culpam. Vnius tamen adhuc te admonitum cupio Lector, Hugonẽ etiam quid cõmune cum pluribus alijs possidere historicis, vt in suis nonnihil si subinde nõ caespitet, certè à reliquorum scriptorum opinione discedat; cui tamen seu spontaneae, quae apud veteres Historiographos non infrequens est, dissentioni; seu dicere malis errori, paucis sub finem notis occurram; paucis dico, ne isthaec πάρεργα mea, alijs videantur ἔργα, cùm impetus me ad alia rapiat. Tu interim, Philomuse Lector, Hugoni fauebis, quem veluti speculatorem ad incognita, minusq; tuta loca praemisimus, qui si sartus & tectus redierit, subsequentur propediem plura, tam Medica, quàm Historica & Politica; partim nostra, partim aliena, nunc primùm ex tenebris eruta, & à nobis quodammodo recentata. Sed rogo te, mi optime Lector, hic vulturem ne agas, & (quemadmodum ille spretis lilijs rosisq; cadauerum foetoribus inhiat,) quae studiosa, laudabiliaq; animaduerteris, noctuantibus oculis praeteruolans, in illa in quibus fortassis lapsi sumus, quod in hac rerum caligine facilè fit, lumina, crisin ac mordacem dentem defigas. Quod si tam subducti supercilij carptores, ex hircosa Catonum gente, qui sua solùm admirantur, aliena despiciunt, nescio quo φιλαυτίας fermento tumidi, in haec nostra inciderint, haud equidem illos moror, nec magis conquerar aut indoleam, quantum ille olim, qui omnem suam industriam, in muscam penicillo exprimendam, contulerat, cùm eius opus nec lusci viderent, nec nisi periti arbitrarentur. Hoc ipso finio, ac te saluum perennare cupio.

GLORIOSO ET SAPIENTI
IVONI CARNOTENSI EPISCOPO,
Frater Hugo Monachus Sancti Benedicti Floriacensis Cœnobij, sempiternâ pace & felicitate perfrui.


Ecce tibi, præcellentissime Pater & Domne, duo humilitatis meæ opuscula transmitto, vt si quid ibi videris indecens & incultum, limâ prudentiæ tuæ corrigas & exornes, & quod tibi placuit, corrobores, & confirmes arma mea aduersus otium suum, hæc opuscula quæ nunc vides ; nam malo studio vacare, quàm in otio & torpore sicut pecus inutile vitam exigere. Sed hæc omnia vestro desidero iudicio discuti, & vestrâ sapientiâ condiri, quoniam vacillare non poterit, quod semel auctoritatis vestræ nodus corroborauerit. At mihi forsitan aliquis dicet; tam vilia & inutilia cur viro prudenti, & in summa arce Philosophiæ sedenti, mittere non erubuisti? cùm scias scriptum, quia orationi & carmini est parua gratia, nisi eloquentia sit summa. Ego verò ad hæc respondeo, quoniam malo iusto sapientis iudicio comprobari, quàm arrogantium sententiâ condemnari. Laboriosum tamen est Pater honestissime, tuæ integritatis adiectiones & detractiones huic adhibere volumini: Sed fructus laboris pretiosior auro, caritas est. Vale.

Ex veteri Chronico P. Petauij Senatoris Parisiensis hæc Præscriptio exscripta est, nunc ad nostra.

PROLOGVS AVCTORIS
Ad
LODEWICVM REGEM.

ANino Chronicæ liber hic tibi Rex Lodevvice,
Gesta refert Regum, vires decretaque legum,
Ortus Regnorum, Regumque simul variorum:
Hinc Patriarcharum magnorum natiuitates;
Atque Prophetarum multorum proprietates;
Inde fabellarum subtiles Grammaticorum,
Israëlitarum post hæc Regnum populorum,
Terminus est veteris. Noua lex hic incipiatur,
Purgator sceleris homo Christus cùm generatur;
Stella Magos duxit, infantes mortificantur;
Inde fides luxit, bis sex seruique vocantur.
Post hos Pontifices electi substituuntur,
Impleuisse vices ipsorum qui referuntur;
Contra quos hæresis subcreuerat Arrianorum,
Quos fouit phrenesis, simul & scelus Imperatorum,
Quapropter multi iustique viri perierunt,
Martyrio functi, quia credere non voluerunt.
His, alijsque modis conscriptus est liber iste,
Quique nefas odis, tibi sit laus, optime Christe.

HVGO-



HVGONIS FLORIACENSIS CHRONICON.



ASsyriorum igitur Rex potentissimus fuit olim Ninus, qui bellum finitimis inferens Regibus, omnes Asiæ populos præter Indos, sibi subiugauit, & annis in ea L. regnauit: quibus exactis decessit, relicto adhuc impubere filio Nino nomine, & vxore Semiramide, quæ nec immaturo puero imperium ausa tradere, nec ipsa palàm tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter vni viro, nedum fœminæ parituris, simulat se pro vxore Nini filium, pro fœmina puerum; nam & statura vtrique mediocris, & vox æquè gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio similis erat; brachiaque & crura vestis virilis, caput verò tiara tegebat. Et ne fortè habitu nouo aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri iubet: quem morem vestis exinde gens illa vniuersa tenet; sed primis initijs sexum mentita, puer esse credita est. Magnas denique res gessit; quarum amplitudine vbi inuidiam putat superatam, quæ sit fatetur, quémve simulâsset. Sed hoc illi dignitatem Regni non ademit, sed admirationem auxit, quòd mulier modò non fœminas virtute, sed etiam viros anteiret. Nec est contenta mulier virilis animi terminis, quos acquisitos à viro susceperat, sed Æthiopiam bello pressit, & Indis bellum intulit, quos præter illam nullus antè subegerat. Hæc quoque Babylonem ciuitatem antiquam ædificauit, eamque muro circumdedit, & vt esset caput Regni Assyriorum, instituit. Multa etiam alia præclara huius Reginæ fuerunt. Verùm cum XXXII. annos post Ninum Regno potita fuisset, à filio interfecta est. Qui dum ei successisset, contentus elaborato à parentibus Regno, belli studia deposuit, & veluti sexum cum matre mutasset, rarò à viris visus, in fœminarum turba con-

Ninus moritur.

Semiramis sexum mentita virilem multa præclara gessit.

A filio interficitur.

con-

consenuit. Cuius exemplum eius posteri prosecuti, responsa gentibus per internuntios dabant. Post Ninum denique Reges XXVI. Regnum Assyriorum obtinuerunt, continua possessione vsque ad Sardanapalum, per annos M. CCC.

Abraham nascitur.

Verùm memorati Regis Nini anno XLIII natus est Abraham Patriarcha, à quo, ritus & religio Circumcisionis Iudaicæ gentis sumpsit exordium. Qui cùm esset annorum LXXV. & impugnaretur à Chaldæis, & Mesopotamitis per inuidiam, (eò quòd ipsi colerent Ignem & Effigies Deorum; ipse autem coleret Deum vnum Creatorem cunctorum, & assereret, illi solummodò honorem cultus, & gratiarum deberi retributionem: Creaturam autem virtute & administratione Conditoris disponi, & non propriâ virtute subsistere,) ad imperium Domini, relicta gente & patria sua, venit in terram Chanaan, accipiens promissionem, quòd in gentem magnam excresceret nimis, & quòd in semine eius benedicerentur omnes gentes. Denique diuinitus præceptum accepit, vt se cum sua sobole circumcideret, non quòd ipse Deus aliquid superfluum in homine creasset, quod postea iuberet abscidi; sed vt inter alias gentes, hoc corporis signo, electi viri soboles nosceretur. Et cùm esset iam senior, genuit Isaac; præcedenti tamen tempore genuerat Ismael ex Agar ancilla, quem etiam ipso tempore circumcisionis suæ circumcidit, cùm esset idem Ismael annorum XIV. vnde Arabes, & aliæ gentes, quæ de Ismael processerunt, & se esse ex genere Abraham gloriantur, XIV. ætatis suæ anno circumciduntur. Circumcisus est etiam Isaac natiuitatis suæ die VIII. Præterea cum iam esset grandæuus Abraham, præcepit iterũ ei Deus præfatum filium suũ Isaac sibi immolari in monte Moria; quod quidem ille, Creatori ampliùs, quàm suo affectui cupiens deseruire, voluit implere. Sed nunquam credentibus dura Diuinitas, suspendit virum Angeli voce à filij nece, ostendens ei, quem immolaret, arietem; vt absque pietatis dispendio tanti sacrificium consummaretur viri. Verùm post hæc, cùm esset Isaac iam sexagenarius, genuit Esau & Iacob, Patriarchas Idumeæ & Israëliticæ gentis.

Secedit in terram Chanaan.

Circumcisio instituitur.

Abraham paratus immolare Deo filium suũ Isaac.

Exordium Regni Argiuorum.

Circa hos præterea dies natum est Regnum Argiuorum, vbi priùs regnauit Inachus, cuius fuisse filia Io perhibetur, vxor Osiris; quæ vt magna Dea est in Ægypto culta, eò quòd ibi iustè regnauerit, & homines ibidem litteris informauerit. Iacob autem nonagenarius genuit XII. Patriarchas; quorum illum, qui nominabatur Ioseph, reliqui fratres

tres mercatoribus in Ægyptum transeuntibus vendiderunt, adhuc Isaac superstite.

4 Circa hos denique dies Apis Rex Arginorum transuectus est nauibus in Ægyptum; qui cùm ibi mortuus fuisset, appellatus est Serapis, omnium maximus Ægyptiorum Deus. Serapis autem non Apis ideo appellatur; eò quòd Sarcophagum Ægyptus Soros appellet, vbi eum venerari sepultum cœperunt, priusquam ei templum conderent. Huius filius fuit Argus, à quo Argi sunt appellati.

Apis Rex Arginorũ, post Serapis dictus, ab Ægyptijs pro Deo habitus.

5 Sed dum moraretur Ioseph in Ægypto, anno secundo sterilium annorum descendit etiam eò Iacob in animabus LXX. Et habitauit post hæc Hebræorum populus in Ægypto, mirabiliter crescens annis multis, vsque dum incrementis eius inuiderent Ægyptij, & ipsa eorum fœcunditas eis fieret importuna: tunc cœperunt eos affligere laboribus multis; sed tandem Diuina miseratio eduxit eos inde per manum Moysi, in portentis & prodigijs magnis, præbente eis ducatum Moyse, & siccis vestigijs transierunt rubrum mare. Quos cùm persequeretur Rex Ægypti, pœnitentia ductus, quod eos abire siuisset, ingressus est & ipse cum curribus & equitibus suis medium sicci maris; sed subitò refusa est super eum à tergo omnis moles aquæ, & obrutus est ibi cum vniuerso agmine suo; vnde extant nunc in eodem littore huius signi certissima monumenta, tractus nempe rotarum, & vestigia equitum ac peditum ibidem conspiciuntur; & si casu turbentur, sole renascente dietim diuinitus reparantur. Verùm postquam transiuit mare rubrum populus Hebræorum, fuit in deserto Sina annis XL. Quorum primo anno, per manum Moysi suscepit legem à Deo. Intra illos tamen annos non calceamentum, aut vestis illorum est attrita, nec vlla capillorum vel vnguium excretio eis dominata; sed velut immortalitate iam reddita, immutabilem hominis formam eorum simplex seruauit integritas. Hos etiam per noctem columna lucis tanquam dux itineris præcedebat, & eadem per diem nubis habens speciem, ne fessos lassitudo conficeret, ab æstus iniuria defendebat. Eduxit autem Moyses eundem populum ex Ægypto nouissimo tempore Cecropis Atheniensium Regis, qui ipsam Athenarum condidit ciuitatem in honorem Mineruæ, & ab eius nomine Athenas appellauit. Minerua quippe græcè Athanate parthene, id est, immortalis virgo, vocatur: quoniam sapientia, cuius esse Dea credebatur, nec mori potest, nec corrumpi. Hæc Ogygis temporibus ad lacum, qui Tritonis dicitur, virginali fertur apparuisse ætate, vnde

Hebræorũ ex Ægypto egressus.

NB.

Athenæ à Cecrope cõduntur.

vnde tantò procliuius Dea est credita, quò minus eius origo innotuit. Fertur etiam de Cecrope, quòd prius bouem Ioui mactauerit. Hac præterea tempestate Prometheus fuit, quem propterea ferunt de luto homines formasse, eò quòd optimus sapientiæ doctor extiterit: huius frater fuit Atlas, qui & ipse summus astrologus fuit. His etiam diebus reperitur fuisse Mercurius, nepos Atlantis ex Maia filia, homo multarum inuentor artium. Cecropi Cranaus successit, sub quo Deucalionis diluuium fuit. Tunc etiam Phaëthontis fabulosum fuit incendium.

6 Moysi autem Iesus filius Nun successit, qui debellatis gentibus, quæ trans Iordanem erant, distribuit Hebraico populo terram Chanaan in hæreditatem. Hac etiam tempestate Liber pater fertur ostendisse vitem hospiti suo in Græcia. Et his iterum temporibus rapta perhibetur Europa, cuius filij fuerunt Rhadamanthus, Sarpedon & Minos. His quoque diebus Busiris filius Neptuni ex matre Libya Epaphi filia, suis Dijs suos hospites immolabat. Sed & his temporibus Latona peperit Apollinem; non illum, cuius oracula solebant consuli; sed illum, qui cum Hercule seruiuit Admeto, qui tamen scientiæ Deus creditus, vt plurimi illum vnum eundemque opinentur Apollinem fuisse. Hoc præterea tempore Liber pater bellauit in India, qui multas fertur in exercitu fœminas habuisse, quæ Bacchæ sunt appellatæ, non tam virtute, quam furore famosæ. Per idem quoque tempus Persius & Andromeda vxor eius in cælum recepti esse feruntur.

7 Proinde verò post Iesum, qui successit Moysi, Hebræorum populus mansit sub iudicibus annis multis; quorum nomina sunt hæc: Othoniel, Aoth, Debbora, Gedeon, Abimelech, Thola, Iair, Iephte, Abesan, Hecon, Iabdon, Samson, Heli, Samuel, qui vnxit Saulem in Regem. Veruntamen intra annos illos, quibus populus Hebræorum post mortem Iesu alternauit sub iudicibus & humilitates laborum, & prosperitates consolationum; Alexander Paris Helenam rapuit, & Regnum Argiuorum ad Mycenas est translatum, & ibi regnauit Agamemnon. Per idem etiam tempus celebres apud Grammaticos fabulæ sunt inuentæ; fabula scilicet de Triptolemo, quòd iubente Cerere anguium portatus alis indigentibus terris frumenta volando contulerit. De Minotauro, quòd bestia fuerit inclusa labyrintho, quò cùm intrâssent homines inextricabili errore inde exire non poterant. De Centauris, quòd Deorum hominumque natura fuerit coniuncta. De Cerbero, quòd sit triceps inferorum canis. De Phryxo & Helle eius sorore, quòd

Iudices Hebræorum.

Translatio Regni Argiuorum.

Fabulæ variæ.

vecti

vecti ariete volauerint. De Gorgone, quòd fuerit crinita serpentibus, & aspicientes se conuertebat in lapides. De Belleróphonte, quòd equo pennis volante sit vectus, qui equus Pegasus dictus est. De Amphione, quòd Citharæ suauitate lapides mulserit & attraxerit. De fabro Dædalo & eius filio Icaro, quòd sibi aptatis pennis volauerint. De Oedipo, quòd monstrum quoddam, quòd sphinx dicebatur, humaná facie, quadrupes, solutâ, quæ ab illo proponi solebat, velut insolubili quæstione, suo præcipitio perire compulerit. De Antæo quem necauit Hercules, quòd filius fuerit terræ, propter quod cadens in terram fortior soleret assurgere. De Ganymede puero ad stuprum rapto, quod nefas non Iouis, cui ascribitur, sed Rex Tantalus fecisse refertur. De Danae etiam, quæ per imbrem aureum ipsius Iouis fertur adepta fuisse concubitum; vbi subintelligitur mulieris pudicitiam auro fuisse corruptam.

¶ In illis diebus etiam, cùm apud Hebræos Abdon populo præsideret, iam captâ Troiâ atque deleta, Æneas cum XX. nauibus in Italiam venit. Finito proinde Iudicum tempore, Regnum Hebræorum à Saule Rege sumpsit exordium: sed illo propter superbiam reprobato, & bellica sorte prostrato, vnxit iterum Samuel Dauid de tribu Iuda, assumens illum de pascuis ouium. Dauid autem Rex obsedit & cœpit Ierusalem, vrbem Melchisedech sancti quondam Sacerdotis, eiecitque de ea Chananæos & Iebusæos: demum verò ædificans in ea arcem fortissimam, Ierosolymam nuncupauit, cùm antè Solyma vocaretur.

Æneas in Italiam venit.

Mutatio Reipub. Hebræorũ in Regnum.

¶ Porrò vsque ad Dauid IV. ætas extenditur, & extunc Prophetæ floruisse comperiuntur: defuncto verò Dauid Rege, iam IV. mundi ætate, Salomon filius eius Rex pacificus & sapientissimus templum Domini Ierosolymis ædificauit, Regni sui anno IV. & egressionis Israël ex Ægypto D. II. Aduentûs verò Abraham de Mesopotamia Syriæ ad Chananæorum terram M. atque XX & à tempore Diluuij M. & quadringentesimo. Post Salomonem autem regnauit filius eius Roboam, contra quem exurrexit Ieroboam de tribu Ephraim, & segregauit X. tribus à Iuda, & à domo Dauid: quod non casu, sed Dei iudicio contigit propter Salomonis offensam; qui postquam illud nobilissimum Ierosolymis construxisset templum, mulierum blandimento suarum seductus, in idololatriam est prolapsus; sed noluit miserator & misericors Dominus eum patris sui regno priuare donec deficeret, propter Dauid seruum suum. Proinde postquam singulæ partes, sicut dictum est, singulos Reges habere cœperunt, remansit cum tribu Iuda, & tribu Beniamin,

IV. Ætas mundi.

Salomon ædificat templum Ierosolymis.

Diuisio Regni Hebræorum, eorumq; Reges.

iamin, etiam tribus Leui, quæ Sacerdotalis erat, & propriè Dei Seruitio mancipata. Et ex eo tempore istæ tres tribus Regnum Iudæ; reliquæ verò tribus Regnum Israël cœperunt appellari. Adhæserunt quoque Israëlitico populo duæ tribus, Manasse videlicet, & Ephraim, quæ non sunt de tribubus duodecim: nam Ioseph vnus de XII. Patriarchis non vnam, sicut cæteri Patriarchæ singulas, sed duas, quas modò nominauimus, tribus fecit.

Ieroboam instituit Idololatriã, & cur?

12 Porrò Ieroboam mente peruersa, in Samaria & in toto Regno suo instituit idololatriam: timuit enim ne veniẽdo ad templum Dei, quod erat in Ierusalem, quò secundum Diuinum mandatum sacrificandi causa vniuersæ genti illi veniendum erat, populus seduceretur, & stirpi Dauid tanquam Regio semini redderetur. Vnde, sicut iam dictum est, populum Israëliticum, secum simulachrorum cultui deditum, nefanda impietate contaminauit. Non tamen propter hoc nefas cessauit diuina pietas, tam illum, quàm populum ipsum arguere per Sanctos Prophetas. Verùm post Ieroboam regnauit in Samaria Nadab filius eius, & post hunc Baasa, qui dissipauit domum Ieroboam. Et huic successit filius eius Ela, Elam autem occidit Zambri, & regnauit pro eo. Post Zambri verò regnauit Amri, & post Amri Achab filius eius, sub quo Helias Propheta cœlum clausit, & Sacerdotes Baal interfecit. Et huic successit Ochozias filius eius; Ochoziæ verò successit Ioram frater eius. Porrò Ioram occidit Iehu, quem vnxit discipulus Helisæi in dissipatione domus Achab, secundum prophetiam Heliæ. Post Iehu verò regnauit Ioachaz, quem Hazaël Rex Syriæ cœpit. Et post Ioachaz regnauit Ioas, sub quo Helisæus Propheta multa miracula fecit. Et post Ioas regnauit Ieroboam, sub quo Ionas prophetauit. Et huic successit Zacharias filius eius, quem necauit Sellum seruus eius. Post Sellum autem regnauit Manachem, & post Manachem, Phaceias filius eius. Phaceiæ verò successit Phacee filius Romeliæ, sub quo prophetauit Naum. Et huic successit Osee, quem captiuauit Rex Salmanasar.

13 Præfati verò Regis Iudæ Roboam tempore Sesac Rex Ægypti Ierosolymam veniens, templum Domini spoliauit. Post Roboam autem regnauit Abia, & post Abiam, Asa, à quo conductus est Benadad Rex Syriæ, & Damasci, & percussit omnem terram Nephthalim. Precedenti etiam tempore prophetauerunt in Iudæa Gad & Nathan, & Asaph, & hac tempestate prophetabant Ahias, Iehu, Amos, Ioël, & Zacha-

Zacharias. Sed in Samaria, quæ nunc Sebaste vocatur, apud X. tribus Israël prophetauerunt Helias, Helisæus, Abdias, Azarias, atque Micheas. Quorum Helias à Deo translatus nusquam comparuit; & Helisæus iam mortuus contactu suæ sepulturæ mortuum suscitauit. Post Asa denique Regem Iudæ regnauit Iosaphat, & post Iosaphat Ioram: Quo regnante recessit Edom, ne esset sub Iuda, & constituit sibi Regem. Post Ioram autem regnauit Ozias, qui & Ochozias, siue Azarias nominatur; quem Azariam cùm filio suo Ioas, & nepote suo Amasia Euangelista Matthæus à Christi secludit genealogia. Post Azariam autem regnauit Ioas, & post Ioas, Amasias.

42 Apud Assyrios autem circa hos dies regnauit præfatus Sardanapalus, homo muliere corruptior; semper enim inter fœminarum contubernia versabatur; ad quem admitti cùm quadam die Præfectus eius Arbastus præpositus Medis obtinuisset, inuenit eum inter scortorum greges muliebri habitu purpuram colo nentem, & inter virgines pensa diuidentem, cùm & corporis mollitia, & oculorum lasciuia omnes secum positas fœminas anteiret: quo viso regressus ad socios quid viderit, refert; negatque continuò illi se prorsus parere posse, qui se malit esse fœminam, quàm virum; & fit mox coniuratio Mædorum aduersus gentem Assyriorum, & indicitur bellum Sardanapalo. At Sardanapalus cùm resistere rebellibus gentibus non potuisset, in Regiam se recepit; vbi extructa & accensa pira, se suasque diuitias igne cremauit; sicque defuncto Sandanapolo Assyriorum Rege XXXVI. translatum est in Mædos Assyriorum Regnum per Arbastum Mædorum Præfectum cucurritque postmodum Regnum Mædorum per successiones temporum, atque Regum vsque ad Astiagem auunculum Cyri, per annos CCCL. Verùm Reges Mædorum non computantur in numero Regum illustrium vsque ad memoratum Cyrum, quamuis fuerint & Chaldæorum viribus præditi, & Babyloniæ nomine clari.

Sardanapali vltimi Assyriorũ Regis mores.

Sardanapali Mors.

Finis ac translatio Regni Assyriorum.

43 Et hoc pariter est notandum, quod eodem tempore, quo apud Latinos regnauit Procas Amulij & Numitoris pater, auus autem Rheæ Syluiæ, quæ mater Remi & Romuli fuit: illo etiam tempore translatum est ad Mædos Regnum Assyriorum per Arbastum Præfectum. Itaque cum Orientis cœpit imperium deficere, cœpit Dei nutu Occidentis, id est, Romanum paulatim exurgere. Nam sicut quondam Orientis Regni Babylonia tenuit principatum; pari etiam modo

Roma

Roma totius postmodū Regni Occidentalis meruit principatum. Cuius Regni primordia paucis expedire curabo; ita tamen, vt non modum propositæ breuitatis excedam, nec tam fortunatæ gentis præclara certamina prætermittam: ita quippe gens ipsa latè per orbem terrarum arma circumtulit, vt qui res eius legunt, non vnius gentis, sed humani generis facta discant, & ad construendum eius imperium contendisse virtus & fortuna videantur. Proinde caput Regni gentis huius fuit inclita Roma, cuius ædificia Remus & Romulus inchoauêre: quorum Romulus regni sui primordia fratricidio polluit, ac demum in ea solus regnare cœpit: ipsa verò constructa est post Ilium captā anno CCCC. XXXIII. Mortuo verò Romulo continua post illum Regum dominatio ibi permansit, donec quidam Brutus Romanorum potentissimus Regem Tarquinium interfecit, & conditionem mutauit. Ab illo enim die Romanus populus, annua imperia, & binos sibi Consules constituere cœpit: quibus Romanam propagantibus dignitatem, vrbs memorata totius orbis imperium in sua iura possessionemque transfudit: Dei hoc operante iusto libramine, qui transfert seculi regna à gente in gentem, & à progenie in progeniem alteram, & operatur semper suam potentiam in omnes hominum generationes. Computantur denique à Romulo vsque ad Tarquinium superbum anni CC. XLI. Sed his nunc breuiter expeditis, ad Iudaicam reflectendus est stylus historiam.

Regni Romani primordia.

Roma condita quo tempore?

Conditio Romanæ Monarchiæ.

10 Post fatum igitur Amasiam Regem Iudæ regnauit Ozias, & post eum Ioathan. Hic ædificauit sublimissimam portam domus Domini, quæ in Actibus Apostolorū speciosa vocatur. Hac tempestate prophetauerunt in Iudæa Osee, Amos, Isaias, & Ionas. Porrò post Ioathan Regem Iudæ regnauit Achaz, & post Achaz Ezechias, cuius anno sexto Salmanasar Rex Assyriorum descendens in Samariam transtulit X. tribus Israël, & fecit eos accolas in terra Assyriorum, & eos qui dicebantur Chusæi, introduxit pro eis in terram ipsorum. Qui vbi seruire cœperunt ibi Dijs alienis, immisit eis Dominus leones, qui deuorarent eos. Quod cùm Rex Salmanasar comperisset, misit vnum de sacerdotibus captiuis, qui legis Israëliticæ doctrinis illos imbueret, & ad cultum Dei terræ illius conuerteret, si fortè ab eis hæc molestia hac medela recederet. At illi Moysi quidem Pentateuchum receperunt, sed Deos patrum suorum non deseruerunt: immo postmodum in monte Garizim altare statuentes, templum quod erat Ierosolymis, quò ire, & suo

Deo

Deo vota persoluere præceptum erat, nunquam ingredi voluerunt. Et hos Samaritanos à Samaria legimus appellatos, quibus minimè coutebantur Iudæi. Porrò anni quibus diuisus est populus Israël à Iuda, & à domo Dauid, sunt CCCLX. Super Iudam verò post Ezechiam regnauit Manasses, & post Manassen Amon, & post Amon Iosias. Hic congressus cum Nechao Rege Ægypti, occisus est in campo Mageddo. Hac etiam tempestate prophetauerunt in Iudæa Ieremias, Olda, & Sophonias. Sed & post Iosiam regnauit in Iudæa Ioachaz mensibus tribus, quibus nondum expletis, memoratus Nechao Rex Ægypti, veniens in Ierusalem cepit Ioachaz, & duxit in Ægyptum, & posuit super regnum eius Eliachim, quem vocauit Ioachim filium Oseæ. Cōdemnauit etiam Iudæam C. talentis argenti, & talento auri. Porrò Ioachim contra Nechao rebellare cœpit. Sed Nechao regressus anno XI. regni eius, eum interfecit, & tria M. virorum Iuda captos in Babyloniam duxit: Inter quos erat Propheta Ezechiel adhuc puer. Tunc etiam constituit Regem Ioachim, qui & Iechonias nominatur. Quem Iechoniam non multis diebus interiectis, obsedit Nabuchodonosor Rex Babylonis in Ierusalem, & venientem sibi obuiam cum matre, & quibusdam de populo cepit, & duxit in Babylonem, constituitque pro eo super Iudam & Ierusalem, Sedechiam patruum eius, quem & vocauit Mathaniam. Sed & hic Sedechias non multò post contra Nabuchodonosor rebellare cœpit; qui adiurauerat eum per Deum, & contra munificum largitorem agebat hostiliter. Et tunc secundò reuersus est Nabuchodonosor, in X. videlicet anno regni Sedechiæ, & duxit illum in Babyloniam captiuum, & murum ciuitatis euertit, & templum exussit, & vniuersa vasa Domini sancta secum asportauit, & posuit in templo Dei sui. Daniel quoque & tres pueri, Ananias, Azarias, & Misaël, qui erant de genere regio, captiui ducti sunt; quos suâ liberalitate erudiri fecit Nabuchodonosor prouincialibus litteris pariter & Chaldæis. Ignis etiam Altaris holocaustomatum sublatus est à Sacerdotibus, & in profundo siccoque puteo absconditus, & diligenter ibi tutatus. Tunc & Ieremias Propheta fecit cōminari secum tabernaculum fœderis, & Arcam, & altare incensi vsque in montem Abarim, vbi quondam ascenderat Moyses, vt videret hæreditatem Domini, inuenitque ibidem Ieremias speluncam, & intulit ea illuc, offerens sacrificium consummationis templi. Obstruxit deniq; ostium speluncæ, & latent ibi hæc omnia vsque in præsentem diem. In arca autem continebatur vrna aurea habens manna, & virga

Samaritani qui, & cur sic dicti.

Vastatio urbis & templi Hierosolymitani sub Nabuchodonosor.

Tabernaculum fœderis, Arca, & Altare Incensi, vbi sint relicta.

Aaron quæ fronduerat, & tabulæ testamenti. Mansit ergò regnum Iudaicæ gentis vsque ad præsentem templi vastationem ac euersionem annis DCCCC.XIV. & VI. mensibus, decemque diebus: Quam vastationem non tam sua præsentia legitur Nabuchodonosor peregisse, quàm per Nabuzardan principem militiæ suæ. Ipse enim post regressionem Regis in Ægyptum, ab eo transmissus, templum penitus euertit, & murum Ciuitatis subruit, & populum, qui ibidem remanserat, in Babyloniam duxit. De Sacerdotibus verò gentis huius sic refert Egesippus in historia sua libro quarto. A principio Aaron summus Sacerdos extitit, qui ad filios suos, ex voluntate Dei, sacerdotij prærogatiuam vnctione legitima transfudit. Alterius autem generis viro, nec Regi quidem, licebat succedere. Denique Ozias, quia vsurpauit sacerdotium, leprâ perfusus, temploque eiectus, reliquam ætatem sine imperio exegit. Fuerunt itaque ab Aaron vsque ad tempora Salomonis, qui condidit templum, Principes Sacerdotum XIII. per annos DC. & XII. Et rursus à Salomone vsque ad tempora captiuitatis huius, de qua nunc agimus, qua templum exustum fuit, fuerunt Principes Sacerdotum XVIII. per annos CCCC.XXX. (nam euersum est anno quadringentesimo à conditione sua.) Et his diebus finitur mundi ætas IIII. & incipit V. anno videlicet VIIII. regni Nabuchodonosor Regis Babylonis, qui vixit post hanc templi euersionem annis XX. & V. & hoc decedente regnauit Euilmerodach, & post Euilmerodach Labosordach, & post Labosordach Egesar, & post Egesar Balthasar. Quibus regnantibus completi sunt anni LXX. quibus prophetauerat Ieremias Propheta, Iudæorum captiuitatem esse soluendam.

Aaron summus Sacerdos, cuius filij soli successores in sacerdotio.

Mundi V. ætas.

15 Interea verò memoratus Cyrus, nepos Astyagis Regis, apud Persas educatus, cum adoleuisset, congregata Persarum manu, auunculo certamen indixit: Et facta congressione illius exercitum fudit, & ipsum Astyagem cœpit, sed nihil ei præter regnum abstulit. Itaque Cyrus iste dignitatem Mædorum ad Persas transtulit, & Syriam, Scythiamque sibi subiugauit; quibus patratis Babyloniam obsedit, tunc cunctis vrbibus fortiorem, & opulentiorem. Huius enim ambitus circumueniebatur stadijs quadringentis, & octoginta sex. Erat etiam in campi planitie, & castrorum facie, mœnibus paribus per quadrum disposita: Murorum verò eius latitudo erat cubitorum L. habens altitudinem quater tantam; à fronte verò murorum, centum portæ æreæ. Per medium autem eius Euphrates fluuius transcurrebat; & intrinsecus per circu-

Regni Mædorũ translatio ad Persas.

Babylonis descriptio.

circuitum fossa, latè patens vice amnis circumfluebat. Arx autem quæ intus imminebat, est illa turris, quæ post diluuium à Nemroth Gigante famosissimo cœpit ædificari, habens in altum quinque millia passuum, & CLXXXIV. latitudo autem eius quatuor millia passuum tenere dignoscitur. Erant præterea aliæ domus intra eandem vrbem, quater geminæ habitationis, nimia proceritate mirabiles. Vnde humana virtute destrui posse incredibile videbatur. Aduenerat ibi Crœsus Rex Lydorum, famosus opibus, vt auxiliaretur Babylonijs, cum alijs Regibus & Principibus multis. Et cùm septimum decimũ Balthasar regni sui compleuisset annum, irritam putans pollicitationem Ieremiæ, quam prædixerat, vsq; ad annum septuagesimum captiuitatem Iudæorum esse soluendam, exhiberi fecit in mensa sua vasa templi Domini, & contra ius & fas bibit in eis; sed huius criminis confestim pœnas luit. Nam antequam illucesceret, extinctus est. Et Crœsus Rex cum alijs Regibus multis, qui ibi conuenerant, fugit, sicque Cyrus secundùm vaticinium Isaiæ Prophetæ, qui dudum hæc futura prædixerat, Reges & cõtractum exercitum effugauit, & vrbem intrauit. Quam postquam disponere cœpit, laxata Hebræorum captiuitate, fermè L. millia hominum regredi permisit in Iudæã, reddens eis vasa templi Domini aurea & argentea quinque millia quadraginta. Iosedech quoq; de genere Aaron Sacerdotem, qui fuerat cum patribus adductus, redire mandauit; vt ritus veteris solennitatis, per assueti Sacerdotis scientiam reformaretur. At illi venientes in Ierusalem, cœperunt reædificare templum Domini, sed Samaritanis impedientibus intermissum est opus, donec consummaretur sub Dario annus secundus regni eius. Et notandum est, quod illo tempore, quo à Cyro est Babylonia capta, eodem etiam est Roma à prætaxati Regis Tarquinij superbissima dominatione liberata. Porrò à Cyro Rege potentissimo vindicatâ, ædificauit ibi hanc, quæ nunc incolitur, Babyloniam, abominatus omnem illius veteris Babyloniæ superstitionem; Sicq; vetus Babylonia, secundùm sancti Prophetæ Isaiæ prophetiam perducta est in eremi vastitatem. Hac præterea tempestate floruerunt in Iudæa, Aggæus propheta, Zacharias, & Malachias. Porrò Cambyses, Cyri præfati Regis filius, secundus Nabuchodonosor appellatur. Sub hoc etiã factum esse putatur, quod in Iudith historia cõtinetur. Quo decedente regnauerunt Magi duo: Et his interemptis Darius Antipasti filius Rex est constitutus, qui Cyri Regis filiam in matrimonium suscepit, & regalibus nuptijs sibi regnum firmauit: ita vt non tam in

Turris Babylonica.

Balthasar Rex ob sacrilegium extinctus.

Iudæorum in Iudæam reuersio.

Babylonia capta.

extraneum regnum translatum, quàm in familiam Cyri videretur esse reuersum. Et huius Darij sicut promissum est, anno secundo completa est templi ædificatio, XLVI. videlicet anno postquam cœpit ædificari. Vnde Iudæi Domino Euangelico sermone dixisse feruntur: quadraginta & sex annis ædificatum est templum istud, &c. Dario verò Xerxes filius eius successit. Cuius imperij anno septimo Esdras scriba legis Dei ascendit de Babylone in Ierusalem, referens ad templum Domini sacras pecunias, & argenti talenta sexcenta L. & vasa argentea talentorum centum; & vasa aurea talentorum viginti, & celebrauit solennitatem Scenopegię. Remeauit etiam Neemias, ipsius regis pincerna de Susis castro, anno regni eiusdem XX. qui muros vrbis reædificauit, cum summa sollicitudine.

Xerxis in Græciam expeditio.

Iste est Xerxes, qui in exercitu suo septingenta millia armatorum, & de auxilijs trecenta millia, Græciam expugnaturus legitur habuisse, naues verò rostratas mille ducentas, & onerarias ter mille: Sed tanto agmini dux defuit; nam semper in prælio postremus, & in fuga primus Xerxes apparuit. Erat in periculis timidus, & vbi metus abesset, inflatus. Vnde ante experimentum belli opibus magnis fretus, montes in planum æquabat, & maria pontibus onerabat, & immensas aquarum voragines permeabiles faciebat. Sed vbi ad angustias Thermopylarum peruenit, quâ introitus in Gręciam patet, turpiter deuictus est: Et cùm inde fuisset reuersus, terrestri ac nauali prælio superatus, etiam suis contemptui esse cœpit.

Xerxis vanitas.

Xerxes ab Artabano trucidatur.

Deficiente itaque quotidie regis maiestate, Artabanus pręfectus eius in spem regni adductus, vesperi cum septem robustissimis filijs regiam ingressus, eum trucidauit, & regnum eius sibi vendicauit. Artabano verò Artaxerxes Longimanus successit. Hic imperij sui anno tertio, gentes Persis subiectas cũ satrapis & ducibus suis per CLXXX. dies, magnificis & accuratissimis epulis pauit. Regina quoq; Vasthi vxor eius, mulier admodum pulchra, conuiuium splendidè & opulentissimè celebrauit: Et dum Rex Reginę pulchritudinem, intra suas delicias suis conuiuis vellet ostendere, ad se illam venire pręcepit; at illa fastu superbiæ tumens, ad eum venire contempsit. Qua de re, Rex irâ commotus, illam deseruit, & Hesther puellam Hebręam, quæ pulchritudine & gratia vultus omnes Babyloniæ puellas videbatur excellere, suo coniugio copulauit. Iste est Artaxerxes, qui totam Græciam bellis edomitam, & sibi vendicatam discedere ab armis præcepit, denuncians pacis contradictorem morte puniendum. Quod fecit, non vt genti pace

ti pace consuleret, sed vt alijs bellis occupatus ab eis quietus redderetur. Posthæc verò bellum ciuile apud Persas exortum est: cùm Artaxerxes & Cyrus fratres de regno ambigerent. Sed cùm è diuerso ambo fratres equis inuecti concurrentes confligerent, Artaxerxes vulneratus est, sed equi velocitate morte exemptus euasit: Cyrus verò cohorte regia oppressus, finem certaminis fecit, & sic Artaxerxes regni sui potestatem fratricidio confirmauit. Hic etiam contra potentissimos Persarum præfectos Pharnabazum & Tissaphernem feliciter dimicauit & Ægyptum magno labore suo subiecit imperio. Circa hos denique dies floruit Aristoteles philosophus. *Aristoteles floret.* Post Artaxerxem autem regnauit Xerxes, qui cognominatus est Ochus. Hac præterea tempestate CCC. Millia Gallorum, ad sedes nouas quærendas profecti, duce Brenno Vrbem Romam inuaserunt, plurimisque Romanorum interfectis, arcem Capitolij obsidione cinxerunt, ibique diu morati sunt. Sed mille auri talenta, præmium discessionis à Romanis suscipientes, mox diuersis agminibus, alij Græciam, alij Macedoniam, alij Thraciam petierunt, & suâ prole, velut quodam examine, totam Asiam repleuerunt: Tantusque terror Gallici nominis, & armorum inuicta felicitas erat in illis diebus, vt non reges Orientis sine mercenario illorum exercitu vlla bella gerere præsumerent: neq; pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerent: Non enim aliter maiestatem suam tutam, neq; amissam recuperare se posse, nisi Gallicâ virtute arbitrabantur. Itaque in auxilium regis Bithyniæ euocati, regnum cum eo peractâ victoria diuiserunt, eamq; regionem Gallogræciam cognominauerunt. Hæc nunc de Gallis, quorum virtus silentio tegenda non erat, breuiter ingessisse sufficiat, vt ad propositum redeamus. *Gallorum olim in bello virtus.*

17 Interea verò memoratus Neemias, scriba legis Dei, cùm restaurauisset ornatum templi Domini, & ea quæ ad cultum religionis pertinebant, misit nepotes Sacerdotum illorum, qui absconderant sacrum ignem altaris holocaustomatum in puteo sicco; quemadmodum superius continetur. At illi non inuenerunt ignem, sed aquam crassam, quam & hauserunt, & illi attulerunt. Quam iussit Neemias aspergi super ligna, & super holocausta, & accensus est ignis ex aqua illa, ita vt omnes mirarentur. Ipse etiam Neemias duodecim annis ducatum præbuit sacerdotij in Ierusalem: Post reditum quippe Iudaicæ plebis de Babylonia, per Pontifices agebatur rerum summa. Itaque tam ipse quam Iosedech, qui iubente Cyro à Babylonia

rediisse dictus est, & XIV. viri posteri eorum repręsentauerunt principatum Sacerdotij per ordinem successionis suæ, à reditu populi vsque ad Antiochum Eupatorem annis CCC. tribus. Quorum eminentioris famæ fuêre Iesus Sacerdos magnus, Ioachim, Eliasaph, Simon, Onias, & Gaddi.

Philippus Pater Alexandri.

18 Porrò Gaddi temporibus Philippus Amyntæ filius, Alexandri Magni pater, Rex Macedonum, Athenienses, Phocenses, Thessalosque perdomuit, & Cappadociam sibi subiugauit. Quo vita priuato, Alexander Magnus ei successit, qui cùm vicesimum ageret ætatis annum, regnum adorsus est expugnare Persarum; habens in exercitu peditum XXX. millia, & equitum IV. millia. CCCCC. & horum agminum ordines nemo, nisi sexagenarius duxit; vt si principia castrorum cerneres, senatum te cernere, non militiæ duces existimares. Nemo denique illorum in prælio fugam, sed victoriam cogitauit; nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Porrò Darius Rex fiducia virium, non hostem à Persarum finibus arcere, sed intra regni sinum recipere gloriosius ratus, flumen Euphraten, & montem Ciliciæ illi sine impedimento transire permisit, ac demum in campis Adrasti dirigit aciem aduersus eum. Habuit itaque Darius in ea congressione sexcenta millia hominum. Sed tam numerosus exercitus mox terga vertit; non minùs superatus Alexandri arte, quàm Macedonum virtute. Magna cædes Persarum in eo prælio fuit. De exercitu verò Alexandri, IX. tantùm cecidêre pedites, & CXX. equites. Post hanc victoriam maior pars Asiæ statim ad Alexandrum deuenit. Denique plurima Alexander gessit bella cum Præfectis Darij: quos iam non tam armis, quàm nominis sui terrore superauit. Iam enim milites Alexandri Persicum aurum, & totius Orientis opes, quasi suam prædam ducebant: nec belli periculorumque, sed diuitiarum meminerant. Post hæc autem Darius cum quadringentis millibus peditum, & centum millibus equitum in aciem procedit. Occurrit ei Alexander, & committitur prælium ingentibus animis. In eo prælio vterque vulneratus est Rex. Et tam diu certamen anceps fuit, quò fugeret Darius. Exinde magna cædes Persarum secuta est; cæsa sunt enim LXI. millia peditum, & equitum X millia: capta verò XL. millia. Ex Macedonibus verò ceciderunt pedestres CXXX. & equestres CL. In castris Persarum multum auri & cæterarum opum inuentum est. Et inter castrorum captiuos capta est Darij mater & vxor, soror quoque, & duæ

Alexandri exercitus. NB. Duces Alexandri.

Alexandri in Asia successus.

duæ Darij filiæ, quarum redemptionem, oblata Darius etiam dimidia regni sui parte, non obtinuit. Illas tamen Alexander apud se vt Reginas haberi præcepit. Filiabus quoque non sordidius matrimonium dignitate patris sperare iussit. Post hæc autem Darius in gratiam victoris Alexandri vincitur aureis catenis à cognatis suis; & vinctus, vitam pariter cum Persarum regno finiuit. Cuius corpus Alexander more regio sepeliuit; sicque Persarum Regnum cessit in potestatem Macedonum, postquam steterat per annos ducentos & XXXI. Interea verò Alexander Cyrum vrbem florentissimam expugnauit, & Alexandriam super amnem Tanaim ædificauit, & Indiam expetijt, vt vltimo Orientis Oceani limbo, imperij finem terminaret. Vbi cum Poro ipsius gentis Rege fortissimo, equo vectus, singulari certamine dimicauit: sed occiso deiectus equo, concursu satellitum suorum mortem euasit. Subactis denique omnibus Orientis gentibus vsque ad fluuium Indum, & ad Oceanum, statuit remeare retrorsum. Verùm cùm Darium Regem annis tantùm quinque superuixisset, & à Babylonia reuersus fuisset, suorum insidijs in eadem vrbe, in ipso ætatis & victoriarum suarum flore, vitam veneno finiuit; vitæ videlicet suæ anno XXXII. regni verò sui XXII.

Alexandri in captiuos moderatio.

Regni Persarum ad Macedonas translatio.

Alexandri cum Poro Monomachia.

Mors Alexandri Magni.

17 Quo defuncto, illicò translato vel disperso in multis imperio, Ptolomæo primò Ægyptus, & Africæ, Arabiæque pars sorte peruenit. Macedonas autem Philippus, qui & Arideus dicebatur, frater Alexandri sortitus est. Porrò Syriam & Babyloniam, & omnia regna Orientis obtinuit Seleucus, & Asiæ regnum Antigonus. Deinde alij egregij quinque viri, qui Magno militauerant Alexandro, diuersas occupauêre prouincias: & Reges ex Præfectis facti, magnas opes non sibi tantùm parauerunt, verùm etiam posteris reliquerunt. Hi tamen omnes non multò pòst, mutuis se bellis & certaminibus consumpserunt. Horum tamen Seleucus Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, Apameam, Esem, Betæam, & Pellam, vrbes inclytas condidit, & in easdem vrbes Iudæos transtulit; huius præterea Seleuci fuit filius Antiochus Magnus. Porrò Antiochus iste relaxauit Sacerdotes, & Scribas, & Cantores templi Domini à tributis, & à regio vectigali, & ab alijs omnibus cunctis. Verùm iste Seleucus atque Lysimachus atrociter inter se dimicauerunt. Vltimum hoc bellum Alexandri commilitonum fuit.

Diuisio regnorum demortui Alexandri.

fuit. Sed his ambobus occisis, Ptolomæus Lagi filius Ierosolymam & Iudæam dolo suam redegit in deditionem. Post quem regnauit Ptolomæus Philadelphus, qui multa donaria Ierosolymas misit, & diuinas scripturas ex Hebraica in Græcam linguam per LXX. interpretes transferre curauit. Et post hunc iterum Ptolomæus Euergetes, sub quo Iesus filius Syrach Sapientiæ librum composuit. Huius etiam Ptolomæi filiam, nomine Cleopatram, Antiochus Magnus sibi legitimo copulauit matrimonio, sumens cum ea à præfato Ptolomæo partem Syriæ, & Samariam, Iudæam, atque Phœnicem sub nomine dotis. Porrò magnus Antiochus iste genuit Seleucum & fratrem eius Antiochum. Quorum Seleucus Heliodorum Hierosolymam destinauit, vt ærarium templi Domini confringeret, & extractam inde pecuniam ad eum deportaret. Sed cùm Heliodorus cum suis satellitibus mandatum eius perficere cupiens, ærarium fuisset ingressus, apparuit ei quidam eques terribilis, qui eum grauiter flagellauit. Vnde infecto regressus negotio, inde ad eum remeauit. Ab hoc proinde Seleuco Parthi defecêre, & Arsacen sibi regem constituêre. Post Seleuci verò decessum, adeptus est regnum eius Antiochus frater eius, qui Epiphanes, id est, præclarus appellatus est; Fuit tamen Seleuco filius nomine Demetrius. Verùm post Ptolomæum Euergetem regnauit in Ægypto Ptolomæus Soter; & huic successit Ptolomæus Epiphanes. Epiphanes quoque reliquit filios duos, quorum vnus Philometor, & alter nomen habuit Phyco.

Bibliorum per LXX. interpretes conuersio.

Sacrilegij pœna.

His etiam temporibus apud Carthaginem quoque Annibal, Amilcaris filius, Pœnorum, id est, Africanorum Imperator est constitutus, fatale non tam Romanis, quàm ipsi Africæ malum. Qui cùm esset nouem annis natus, iurauit se Romanis nunquam futurum amicum. Et factus Imperator, vt Romanorum peruaderet regnum: Pyrenæos montes transgressus, inter ferocissimas Gallorum gentes ferro viam aperuit. Et à Pyrenæo ad Alpes pertingens, cum Scipione Romanorum tunc Consule conflixit, & superauit; Et idem apud Thrasumenum lacum Romanum Consulem Flaminium interfecit, & eius exercitum penitus deleuit; Sed & aliâ vice apud Cannas vicum Apuliæ Lucius Æmilius Paulus, & Consulares atque Prætorij viri viginti ab eo

Hannibal Dux Carthaginensium,

Cædes ingens Romanorum ad Cannas.

ab eo sunt interfecti, & plurimi senatores capti, & occisi: viri quoque nobiles trecenti. Virius quoque consul cum L. fugit equitibus. In illa præterea pugna pedestrium virorum XL. millia, & equitum tria millia, quingenti periêre. Hannibal autem in testimonium victoriæ suæ tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos ex manibus interfectorum equitum Romanorum detraxerat: Itaque penè omnes Romanæ spei vires in eo certamine perierunt, & adeò desperauerunt Romani, vt de derelinquenda Italia, nouisque sedibus exquirendis consilium ineundum putaretur. Sed demum in Hispania duo Germani Scipiones Romanorum consules, à ducibus Hannibalis interfecti sunt. Sed horum nepos Scipio, qui cognominatus est Africanus, imperium in Hispania proconsulare sortitus, in vltionem patris & patrui animum intendit, & Pyrenæum transgressus, Pœnorum ducem Hasdrubalem superauit bello, & castris exuit, & omnem Hispaniam à Pyrenæo vsque ad Oceanum in prouinciam redegit. Et tunc tandem Hannibal in Africam redire compulsus est, vt fessis Carthaginensibus subuenirct. Quem Scipio bello susceptum superauit. In ea pugna interfecta sunt Carthaginensium XX. millia, D. & LXXX. Elephanti capti vel occisi. Demum quoque Carthago à Romanis deleta est, quæ XXII. millibus passuũ muro & tota penè mari cingebatur, absq; faucib. quæ III. millibus passuũ aperiebantur. Porrò hic locus murum XXX. pedes latum habebat, saxo quadrato in altitudinem cubitorum XL. Arx verò eiusdem vrbis, cui Byrsę nomen erat, amplius quam duo M. passuum tenebat. Ex vna parte murus communis erat vrbi & Byrsæ, imminens mari. Diruta & concremata est ipsa ciuitas anno à conditione sua septingentesimo; sicque tandem bellum Punicum est finitum.

Excidium Carthaginis eiusque vrbis & arcis descriptio.

In Numidia tunc amicus Romani populi Micipsa regnabat, quo defuncto regnauit Iugurtha, qui contra se bellum mouit Romanorum, præter necem Adherbalis, & Hyempsalis liberorum Micipsæ. Hac occasione expugnata est primùm Numidia à Metello consule, & demum à Mario domita. Sed & Mauritania, quam Bochus Rex tuebatur, à Romanis est subacta. Cantabri denique, Gallicij, & Lusitani Hispaniæ populi vno penè prælio sunt superati. In Italia quoque Epirotæ, qui in Illyrico cum Pyrrho Rege suo contra Romanos conspirauerant, primùm pace molliti, demum verò cum Achiuis & Thessalis edomiti, Romano subacti sunt iugo. Indeque fortuna Romana non contenta terminis Italiæ, cœpit se porrigere ad procul posita regna.

Attalus Asiæ Rex, Regnum suum Romanis testamento legat.

Nam & ipso fermè tempore Attalus Rex Asiæ, humanis rebus excedens per testamentum suum Romanos sui constituit hæredes regni.

Prima corrupta Iudaicæ religionis labes.

22 Sed vt ad Hebraicam reuertar historiam, extinctis iam varia sorte Alexandri Magni Ducibus, regnauit in Syria iam dictus Antiochus, illustris filius Antiochi Regis, Anno C.XXXVII. regni Græcorum. Onias in illis diebus Ierosolymis summus Pontifex habebatur: Cui frater Iason eripere Sacerdotium cupiens, cœpit Iudaicæ legis iura non in occulto violare, sed palam omnibus destruere, quasi sacerdotium quod affectabat aliter quam scelere consequi non valeret: ausus est enim sub ipsa templi arce Gymnasium constituere, & optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere, eosque qui erant Ierosolymis Antiochenos scribere. Sed hoc impij, & non sacerdotis, Iasonis nefarium & inauditum scelus vltio diuina consecuta est: In leges quippe diuinas impiè agere non cedit impunè. Vnde post triennium ipse Iason, qui Dei iura violauerat, & germanum proprium captiuauerat, iussu Regis Antiochi expulsus est in Ammonitidem regionem, & Menelaus quidam de tribu Benjamin sacerdotium obtinuit. Verùm huius Menelai factione Onias pius Pontifex dolo peremptus est, per quendam Regis suffectum Andronicum, & non multò pòst Menelaus motus est sacerdotio, succedente sibi fratre Lysimacho. Sed cùm nec sic malis desisteret, tandem postmodum deiectus de turri L. cubitorum, infelicem exhalauit animam. Lysimachus quoque iam multo templi auro exportato, plebeio occursu secus ærarium lapidatus interijt. Post hæc autem præfectus Rex Antiochus ascendens Ierosolymam intrauit cum superbia in Sanctuarium, & tulit altare aureum & candelabrum, & mensam propositionis, & velum, & cætera templi ornamenta, & regressus est Antiochiam. Demum verò præcepit omnibus regni sui gentibus, vt esset populus vnus, & prohibuit in templo Domini fieri holocausta & sacrificia, præcepitque Iudæis coinquinari escis immundis, vt transgrederentur mandata Dei. In illis diebus quidam Eleazarus ætate prouectus compellebatur carnem manducare porcinam; sed ille; non est, inquit, dignum Eleazarum nonagenarium transire ad vitam alienigenarum: Et amplectens potiùs gloriosam mortem, quàm odibilem vitam, multis fatigatus supplicijs decessit; iunioribus & vniuersæ genti suæ magnum virtutis exemplum & fortitudinis relinquens. Contigit etiam eodem tem-

Antiochus magnâ profanatione & calamitate Templum Hierosol polluit ac Iudæos afficit.

Eleazarus suillam edere recusans, martyrio coronatur.

pore

pore septem fratres cum matre ad similem cibum flagris, & tamen is compelliti in præsentia crudelissimi Regis. Sed & hi magis elegerunt cruciatibus interfici, quàm contra ius & fas carnes manducare porcinas. Ad vltimum verò passa est sancta & memorabilis mater eorum, quæ pereuntes septem filios sub vno diei articulo æquanimiter contemplata fuerat. Sed & aliæ duæ mulieres delatæ sunt, natos suos circumcidisse; quas, pueris ad colla suspensis, cùm publicè per Ciuitatem circumduxissent, de muro præcipitauerunt. Præterea apud quemcumque inueniebantur libri testamenti Domini, & quicunque obseruabant legem Moysi, secundum Regis edictum, trucidabantur. Qua de causa territa populi multitudo, reliquit legem Domini secundum iussum Regis Antiochi, & sacrificabat Idolis, & infringebat Sabbathum, & ædificabat sibi aras & templa, & idola secundum ritum gentium; nec simpliciter se Iudæum quisquam fatebatur, sed studia Græcorum æmulabantur, & eis per omnia consimiles fieri cupiebant, quos hostes & peremptores habuerant.

Martyrium VII Machabæorũ. & matris.

23 In illis diebus Iudas Machabæus secesserat in desertum, & ibi inter feras vitam cum suis agebat, ne particeps esset coinquinationis & præuaricationis: sed quamuis pauci numero forent hi, qui cum illo morabantur, ita tamen multitudinem gentium, & duces Antiochi Regis bellis contriuerunt creberrimis, vt & templum, quod erat Ierosolymis recuperarent, & leges quæ abolendæ erant, eorum felici pertinacia restituerentur. Vnde manifestè claruit, quod nullæ vires essent hominum aduersus Dominum. Interea tamen Antiochus Rex intulit bellum Ptolomæo Regi Ægypti, segni admodum homini, & ita cottidiana luxuria marcenti, vt non solum Regiæ Maiestatis officia prætermitteret; sed etiam sensu hominis nimia sagina careret. Sed dum illi Ptolomæus resistere non valeret, auxilium à Romanis expetijt. Senatus verò Antiochi conatibus obsistens, abstinere illum ab Ægypto, aut si iam incessisset excedere iubet. Quorum auctoritate perterritus dum inde rediret Antiochus, contigit vt de curru corrueret, sicque graui membrorum collisione contritus, interijt: relinquens sibi successorem filium suum Antiochum Eupatorem. Sed frater eius Demetrius cognita morte Antiochi, à Roma, vbi tenebatur obses, latenter egressus, Regnum eius inuasit, &

Antiochi Mors.

Eupatorem interfecit. Ad quem accessit sceleratissimus Alcimus de genere Aaron, Oniæ videlicet summi Pontificis frater; sed nihil dignum sacerdotij in se retinens. Cùm enim offensionis tempore propter assentationem Regis Antiochi sponte coinquinatus fuisset, populo Dei detrahere, & Regem cœpit inflammare multis sermonibus aduersus Iudam Machabæum. Dicebat enim: hi qui dicuntur Assidæi Iudæorum, quibus præest Iudas Machabæus, bella nutriunt & seditiones mouent, nec patiuntur Regnum esse quietum: vnde ego defraudatus parentum gloriâ, (dico autem summo sacerdotio,) veni huc quidem primùm vtilitatibus Regis fidem seruans, secundò etiam ciuibus consulens; nam prædictorum prauitate virorum vniuersum genus nostrum valdè vexatur: sed de his singulis oro te Rex, vt & regioni & generi nostro secundum peruulgatam omnibus humanitatem tuam prospicere digneris. Tunc misit Rex Ierosolymam Nicanorem Principem Elephantorum, vt & Iudam Machabæum comprehenderet, & Alcimum sacerdotem constitueret. Alcimus autem feræ belluæ animum gerens cum Ierosolymam venisset, & pretio sacerdotium comparauisset, ne quod ius & fas inuiolatum prætermitteret, iussit destrui muros domus sanctæ interioris, opera videlicet sanctorum Prophetarum, expletis CCC. III. annis, ex quo remeauerat Iudæorum populus ex Ægypto. Sed horum criminum pœnas miser diu vitare non potuit, subitò enim occlusum est os eius, & loqui non potuit, & dissolutus paralysi miserabiliter expirauit. Sicque deficientibus de genere Aaron, & Iuda Machabæo pro patriis legibus decertante, sorte bellica iam defuncto, Ionathas frater eius adeptus est principatum Iudæorum, simulque Sacerdotium. Interea verò Regem Demetrium Alexander Eupatoris filius interfecit. Genuerat tamen Demetrius duos filios, quorum maior natu Demetrius memoratum postmodum interfecit Alexandrum; qui multis etiam prælijs Parthos fudit; sed ab his tandem comprehensus in Hircania exulauit. Verùm Rex Alexander filium nondum adultum Tryphoni cuidam militi suo nutriendum tradiderat: At ille sperans Demetrium adolescentem esse defunctum, occiso Antiocho pupillo, (sic enim puer nominabatur, quem Tryphon tueri debebat,) Regnum Syriæ inuadit. Quo cùm potiretur, Ionathan fratrem Iudæ, summum Pontificem Iudæorum, dolo captum interemit. Tryphon quoque non multò pòst ab Antiocho fratre Demetrij, qui in Asia educabatur, in bello vincitur, & occiditur, rursusque Regnum Syriæ ad sobolem De-

Alcimi sacrilegi nequitia & pœna.

Stirps Aaronica deficit.

Sacerdotiũ ad aliam tribum translatũ.

metrij reuertitur. Ionathæ verò Simon frater eius successit. Post Simonem autem peruenit sacerdotium ad filium eius Ioannem. Qui aduersus Hircanos dimicans, Hircani nomen accepit. Hircano verò successit Aristobolus. Aristobolus autem factus est Rex & Sacerdos: & Aristobolo successit Rex & Sacerdos pariter Alexander. Alexander quoque moriens reliquit superstites filios duos; Aristobolum scilicet, & Hircanum. Sed donec adolescerent pueri, Alexandram coniugem suam temperamento regali præesse voluit, simul arbitram statuens, cuinam potissimum illorum duorum summum Sacerdotium committeret. Illa Hircanum in sacerdotio patri substituit, propter senioris ætatis prærogatiuam; Aristobolo fratri, nihil publicorũ committens officiorum. Post Alexandræ verò mortem. Aristobolus inuasit regnum, ac demũ Hircanus sacerdotij dignitatem ei dimisit, Postea verò Hircanus excitatus ab Antipatro patre Herodis, primùm ad Arabiæ Regem se contulit, facti pœnitens; ac demũ Pompeio Romanorũ Duci, qui in Syriam Tigranẽ Regem debellaturus aduenerat, querimoniam super fratre suo detulit. Qua occasione idem Pompeius Consul Romanorum, vrbem Ierosolymam oppugnauit, & templum polluit, & Aristobolum Pontificem vinctũ tribus cum liberis, Romam misit: Hircano verò Pontificatum reliquit, & memoratum Antipatrum procuratorem totius Regni constituit. Sicque deinceps gens Iudæorum tributaria Romano facta est Imperio, & ita sicut dictum est, Aristobolus & Hircanus fratres de Regno inter se dimicantes, primi occasionem præbuêre Romanis, vt Iudæam inuaderent. In illis etiam diebus tam nominatus Pompeius, quàm Gabinius, Consules Romanorum, totam Syriam subactam redegerunt in Prouinciæ formam, & sic paulatim Oriens Romano cœpit subijci imperio. Interea tamen fit in Vrbe Catilinæ coniuratio; verùm Consulis Ciceronis industriâ celeriter sopita & extincta est. Porro Gabinio Crassus successit, & Regi Syriæ Ptolomæo Alexandro, successit Ptolomæus Dionysius.

Pompeius Hierosolymam expugnat.

Iudæi Romanorum tributarij.

24 Interea verò Cæsar Gallorum gentem ferocissimam multis prælijs expugnauit: nauibus denique in Britanniam transuectus, Romanum Imperium vltra terræ limitem, videlicet Oceanum, dilatauit; quod totum intra decennium consummauit. Quo transacto decerni sibi à senatu Romano postulauit alterum consulatum: contradictum est à Marcello tunc consule, annitente Pompeio. Deinde decretum est à Senatu, vt in vrbem, non nisi dimisso exercitu veniret. Quod Cæsar grauiter

Seminã ciuilis belli inter Pompeium & Cæsarem.

 tulit.

tulit, & contractis vndique viribus Romam hostiliter contendit, & Rubicone fluuio trasmeato Ariminum cœpit, & Rauennam se cōtulit. At Pompeius & omnis Romanorum Senatus crescentibus Cæsaris viribus trepidi, tanquam Italia pulsi, Græciam adierunt, Dyrrachium gerendi belli sedem eligentes. Cæsar autem cùm iam aduersus Pompeij Duces multa peregisset certamina, tandem Romam intrauit, & ex ærario publico fractis ianuis pecuniam tulit, quam suis militibus erogauit. Interea verò apud Dyrrachium multi Reges Orientis ad Pompeium cum auxilijs cōuenêre. Quod audiens Cæsar, agmine præparato per Epyrum in Thessaliã venit; Pompeius autem cum maximis copijs subsecutus est. Itaq; instruitur ibi acies vtrimque. Pompeius LXXX. & VIII. cohortes ordine triplici collocauit; fuerũtq; in exercitu eius peditum XL. millia, & equites in sinistro cornu DC. & III. & in dextro D. Inter quos multi Reges Senatores, & equites Romani plurimi. Contra Cæsar similiter LXXX. Cohortes triplici ordinauit dispositione. In exercitu Cæsaris fuêre minus quã XXX. millia peditũ, & equites M. Sed dũ vtrimq; certaretur: tandẽ vniuersus Pompeij fugit exercitus. Cæsa sunt in eo prælio Pompeianorũ militũ XII. millia, & Centuriones XXXIV. Pompeius fugiens onerariã nauim nactus in Asiam properauit, & inde per Tyrum in Ægyptum transijt, ibique statim vt littus attigit, iussu Ptolomæi adolescentis in gratiã Cæsaris victoris occisus est. Pompeio verò interfecto Cæsar iam Syriam peruagatus, Alexandriã venit, vbi Alexandrinis petentibus, præfatũ Ptolomæum adolescentẽ Alexandriæ regno donauit, qui tamen ilico contra Cæsarẽ rebellauit & bellum instruxit. In quo bello referuntur cæsa hominum XX. M. & XII. M. cum LXX. nauibus dedita. Vnde territus Ptolomæus scapham ascendit vt fugeret; sed multis post eum in eandẽ scapham insilientibus, mersus, necatusque est: cuius dum corpus ad littus deuolutum fuisset, indicio loricæ aureæ cognitum fuit: quam dum Cæsar Alexandriã præmisisset, Alexandrinos desperatione ad deditionẽ coëgit. Quibus patratis rursus Regnũ Ægypti Cleopatræ dedit. Demũ verò Syriam peruagans, Pharnacẽ in Ponto deuicit; Indeq; secũdo Romã regressus, Dictator & Consul est appellatus. Deinde in Africam transiens, omnes Magni Pompeij Duces atq; nepotes debellauit: Conflixit ergò apud Mundã flumen vel Ciuitatẽ aduersus Pompeij Duces Labienum atque Acciũ Varum, & superauit. Sed & filium Pompeium, Faustũ & Syllam, Afranium & Petreiũ interfecit. Cato verò apud Vticã sese interemit. Indeq; Romã reuersus rerũ summam

Pugna inter Cæsarẽ & Pompeium.

Pompeius occiditur.

Iulij Cæsaris res gestæ.

Iulij Cæsaris Monarchia.

ac potestatem solus sibi præsumpsit, quam Græci Monarchiam vocant. Sed dum ibi reipublicæ statum contra morem maiorũ inclementer administrabat, auctoribus Bruto & Cassio in curiâ XX. & III. vulneribus confossus interijt, post annos III. & menses VI. quàm imperare cœperat. In hac coniuratione CC. & LX. conscios fuisse ferunt. Romanus verò populus dolore stimulatus, Capitolium cum auctoribus cædis incendere voluit; apud quem etiam ita postmodum memorabilis factus est, vt omnes post illum Imperatores, Cæsares nuncuparentur. *Eiusdem Mors.*

25 Hac denique tempestate, cessante iam regno ac legitimo sacerdotio Iudæorũ, Herodes alienigena vir, Antipatri memorati Principis, & matris Cypridis Arabiæ filius, à Senatu Romano susceperat regnũ Iudæorũ. Qui cum irrepsisset contra ius & fas Iudaicæ gentis in honoré indebitũ, cœpit in sacerdotiũ indignissimos & ignobiles quosq; substituere, quos ei voluntas aut casus dedisset. Vesté quoque summi Pontificis occlusam sub suo tenebat signaculo, nec vnquam eius vsum, potestatémve permisit Pontificibus sui temporis; & vt suam sobolem regio Iudæorum generi cõmisceret, abiectâ Doside vxoré, quam priuatus acceperat, copulauit sibi Mariamnẽ neptem Regis Aristoboli, filiam Hircani summi Pontificis Iudæorũ. Sed huius mulieris expetita societas, sicut pòst declarabitur, eius potentiam potiùs inclinauit, quàm extulit, & domesticis affecit doloribus. Nam cùm sequitur nobilitaté, incidit in perturbationem, quâ sibi domus propria nón conueniret. Verùm vnctione legitima Iudaicæ gentis cessante, imminebat secundum sermonem Propheticum, expectatio gentium, Dominus noster Iesus Christus: qui verus Rex & Sacerdos, de Regũ atque Pontificum genere carné assumens venit, mundo salutarem afferens fidem, in qua populum gentilem, atque Iudaicum sacrificando sibi connecteret, atque vniret. Natus est autem sua ordinatissima distributione anno memorati Regis Herodis XXX. primo, qui est secundum Hebræos ab origine mundi annus quater M. DCCCC. & LI. Porrò (sicut beatus Maximus in sermone de Pascha testatur, & quemadmodum Græci calculatores computant,) est V. M. CCCC. VII. Denique notandũ est, quia per quatuor mundi cardines, per succedentia tempora, quatuor regnorum Principatus, ante Christi natiuitaté, in mundo fuére distinctis gradibus eminentes, Babylonicum scilicet ab Oriente: & à meridie Carthaginense; & à Septentrione Macedonicum, quod Græcorũ appellatur; & ab occasu Romanum. Sed inter primum atque nouissimũ, id est, inter Babylonicum & Romanum, quasi

Sceptri Iudaici ad alienigenas translatio.

Christus quo tempore natus.

Quatuor Monarchiæ in IV. mundi partibus.

inter patrem senem, & filium paruulum, breuia mediaque regna interuenerunt, Africanum videlicet, & Macedonicum. Carthago enim Africæ metropolis, non tantum in Siciliam & Sardiniam; sed & in Hispaniam regni sui limitem extendisse visa est. Et iterum est notandum, quod sicut Belus obscurè primum regnasse refertur, demum verò clariùs, latiùs, ac magnificentiùs Ninus filius eius, ita & Romæ Iulio successit longè felicior Octauianus Augustus. Et iterum pariter est intimandum: quia quemadmodum natus est Abraham Patriarcha, ex cuius semine Christus processit, anno Regis Nini XLIII. Ita postmodum idem mundi Saluator natus est Anno Octauiani Augusti XLII. Igitur qui mundi tertiam sancti Abrahæ fide illuminauit ætatem: ipse etiam sextam sua natiuitate, & sui sanctissimi sanguinis effusione purificauit, sanctificauit, & renouauit. Hoc quoque non est silendum; quia à Regno Herodis vsque ad suprà memoratam Iudaici regni euersionem, quæ facta est sub Romanis Imperatoribus Vespasiano & Tito, fuerunt Principes Sacerdotum templi Domini XX. & VIII. per annos C. & LXX. Hoc nunc de statu Iudaici populi & templi dixisse sufficiat. Hoc tamen non silebo, Prophetas eiusdem gentis, tam ætate quàm sapientia, gentiles Philosophos præcessisse; ne qua gens de antiquitate suæ sapientiæ super Patriarchas & sanctos Prophetas, quibus diuina inerat sapientia, vlla se vanitate iactauerit. Regnante quippe Romulo, cùm iam regnaret in Iudæa Rex Ezechias, claruit Thales Milesius vnus de VII. sapientibus; qui Astrologiæ numeris deprehensis, defectum Solis & Lunæ prædicere cœpit: ipse etiam aquam rerum putauit esse principiũ. Cui successit Anaximander eius auditor, qui mutauit de rerum natura opinionem, & non ex humore, sed proprijs suis principijs quasque res nasci putauit, & earum rerum principia esse credidit infinita. Regnante etiam in Iudæa Sedechia, & apud Romanos Tarquinio Prisco, Pittacus Mitylenæus alius de VII. sapientibus claruit. Porrò Anaximander Anaximenem discipulum & successorem reliquit. Anaxagoras verò, & Xenophanes Physici, captiuitatis Iudaicæ tempore claruêre. Sed & Diogenes fuit auditor Anaximenis, & Archelaus Anaxagoræ, & Socrates Archelai discipulus, Platonis magister. Et cùm Thales in humore, & Anaximenes in aëre, Stoici verò in igne, & Epicurus in atomis causam principiumque rerum esse dixissent: Plato laudatur Philosophiam primus in tres partes distribuisse, Moralem scilicet, qui in actione versatur; Naturalem, quæ contemplationi deputatur, & Rationalem, qua verum

Viri doctrinâ illustres.

Plato primus Philosophiam in tres partes diuisit.

verum determinatur à falso. Proinde Platoni successit Apuleius, & Apuleio Hermes Ægyptius, quem Trismegistum vocant. Verùm etiam illo tempore, quo captiuus Dei populus in Babylonia tenebatur, floruisse Samius Pithagoras fertur, à quo cœperunt appellari Philosophi: qui interrogatus, quid profiteretur? Philosophum, id est, amatorem sapientiæ se esse respondit; quia sapientem se profiteri arrogantissimum sibi videbatur. Eodem etiam tempore reliqui V. Sapientes claruisse feruntur; quorum nomina hæc sunt: Solon Atheniensis, Chilon Lacedæmoniensis, Pirander Corinthius, Cleobolus Lydius, & Bias Priameius. Sed hi licet quodam genere vitæ laudabili cæteris præstarent hominibus, nihil tamen monimentorum, quod ad litteras attinet, posteris reliquerunt; nisi quod Solon quasdam leges Atheniensibus dedisse perhibetur. Orpheus tamen, Linus, atque Musæus Prophetis Hebræis, annis reperiuntur esse priores. Sed his omnibus nónne sapientior esse Abraham reperitur? quoniam Dominum credidit conditorem esse cæli & terræ: quid Enoch sanctius fuit? qui septimus post Adam, quique in Canonica Iudæ epistola legitur prophetasse; & Noë Patriarcha? quem Prophetam non immeritò dixerim: nónne his omnibus antiquiores fuêre, & sapientes illos sapientia præcessêre? Moyses etiam Philosophos omnes nónne cernitur sapientia præcessisse? Qui sine scrupulo vllo, Deum fecisse cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt, & scripsit & credidit? Et cùm apud omnes gentiles Philosophos, qui suorum monumenta dogmatum seculo reliquerunt, de rerum natura tanta inueniatur dissonantia, vt non facilè inuenerit quis, cuius opinioni debeat acquiescere; Isti Theologi licet non fuerint contemporanei aut condiscipuli, inter se tamen concordes, & in nullo dissentientes inueniuntur. Quid & de Dauid Rege beato? cuius delicta, Dei sunt pietate deleta; & de Salomone eius filio? qui bonis initijs malos habuit exitus: de Deo tamen prophetasse cognoscitur; & de Isaia? qui multo plura, quam alij, de ipso prophetauit; ita vt à quibusdam Euangelista potiùs, quàm Propheta vocetur: Et de cæteris æquè dixerim Hebræorum Prophetis, qui omnes verum illum coluerunt Deum: qui naturis à se creatis & subsistendi & mouendi initia finesque constituit; qui rerum causas habet, nouit atque disponit; qui vim seminum condidit: qui rationalem animam, quæ animus dicitur, quibus voluit viuentibus indidit: qui hominibus sermonis facultatē vsumque donauit: qui munus futura dicendi, quibus placuit spiritibus inspirauit: qui per quos placet futura prædicit,

Pithagoras primus Philosophus dictus.

Septem sapientes Græciæ.

Esaias Euangelista potius, quā, Propheta.

Varia de Deo.

& per quos placet ipse malas valetudines pellit: qui bellorum ipsorũ, cùm sic emendandum est genus humanum & castigandum, exordijs & progressibus, finibusque moderatur: qui mundi huius ignem vehementẽ & violentissimum, pro immensæ naturæ temperamento & creauit & regit: qui maris, & vniuersarum aquarum creator est, & gubernator: qui solem fecit corporaliũ clarissimum luminum, eique vim congruã dedit & modum: qui ipsis etiam inferis dominationem suã potestatemque nõ subtrahit: qui semina & aliméta mortaliũ, siue arida siue liquida naturis cõpetentibus attributa substituit: qui terrã fundauit ac fœcundauit, & fructus eius animalibus, & hominibus largitur : qui Lunam statuit in loco suo: qui stellas fecit, & earum numerum nouit : qui vias cœlestes atque terrestres locorũ mutationibus præbet: qui humanis ingenijs quæ creauit, etiam scientias artiũ variarum ad adiuuandam vitam naturamque concessit: qui coniunctionem maris & fœminæ ad adiutoriũ propagandæ prolis instituit: qui hominibus, quæ focis & luminibus adhiberent ad facillimos vsus munus terreni ignis indulsit : à quo denique illi sancti Theologi, spiritu afflati, multa non solùm de rerum natura, sed & de Dei secreta & inscrutabili essentia nobis scriptis suis pronuntiauerunt: scilicet, quod nullis sit locis inclusus, nullis vinculis alligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cælũ & terram præsente potentia, sed non propria indigente natura, & quòd ita administret omnia quę creauit, vt etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat; & quamuis nihil possint sine ipso, non sint tamen quod ipse. Agat autem multa per angelos: sed quamuis propter aliquas causas hominibus angelos mittat, non tamẽ ex angelis homines, sed ex se ipso beatificet sicut angelos Et ab hoc vno & vero Deo omnes illi vitam sperauerunt æternã: expectabant quoq; venturũ in terris vnicũ filiũ eius, vt pro humana salute carnẽ sumeret, ac sanguinem suum effunderet, vtque ex illo sacrificio singulari à peccatis omnibus mũdaremur: ac demũ eius Spiritus in cordibus nostris dilectione diffusa, qua omnes superaremus difficultates, in ę ternã requiẽ & contemplationis eius ineffabilẽ dulcedinem veniremus. Hæc omnia ab eis nobis sunt significata & prænuntiata, & propter vitã æternã fideliũ, hæc in Christo & impleta credimus, & impleri cernimus, & implendã confidimus. Quicunque autẽ de his secundũ eos sapiunt, non secundũ homines sapiunt: sed secundũ Deum, qui per eos locutus est. Organa enim Dei fuerũt, & sapientes Theologi, non sibi inuicẽ dissidentes, sed vno, quasi diuina harmonia, corporis instrumento veritatẽ personãtes:

Prophetæ Dei Organa.

quic-

quicquid ergò ab eis est dissonum, non dubitari debet esse falsissimum. Multa etiam alia super his erant dicenda; sed quia liber iste nimis extenditur, ratio moderationis exigit, vt iam terminetur.

26 Igitur cùm iucundum sapienti sacras historias nôsse, quarum sola superficies ab humanis mentibus nebulas erroris abigere valet, & eas ad imaginem veritatis adducere: curabo nunc iuxta historiæ textum legentibus notificare; quomodo processit in mundo recta eruditio fidei, per quosdam gradus & articulos ætatum & temporum, & quomodo Vetus Testamentum, Euangelicis ministrauit principijs in præfiguratione diuinorũ Sacramentorum, sicut virilem ætatẽ solet ætas puerilis præcedere. Igitur, quamuis ab ipsa mundi origine, in totâ mundi latitudine, non nisi duas societates hominum comperimus extitisse: cum tot tantęque gentes per eundem orbem, diuersis ritibus moribusque viuentes, multiplici linguarũ, armorum, vestiumq; sint varietate distinctæ, quas ciuitates duas meritò possumus appellare; quarum vna ciuitatum prædestinata est regnare cũ Deo, & altera perire cum Diabolo. Tertiâ mundi ætate cũ iam omnes gentes per orbem diffusæ, beneficiorum Dei & suæ conditionis oblitæ, insensibiles pro eo colerent creaturas, elegit Deus Abraham virũ sanctum, cuius exemplo mundũ ad agnitionem sui conuerteret, & ab erroris præcipitio liberaret: qui etiam notã circũcisionis imposuit, quod nostræ regenerationis signum fuit, qua post communẽ generationẽ, qua seculo nascimur, Deo regeneramur, per aquã & Spiritũ sanctum. Quartâ verò mundi ætate, idẽ Deus & Dominus per ignem Moysi de rubo locutus, primũ vt educeret Israëliticum populũ de Ægypto, ac deinde quadraginta diebus ac noctibus ipsius tentus alloquio, iterum scriptã in tabulis legem meruit suscipere, qua idẽ Dei populus frueretur, donec veniret Christus, qui interiorem sensum legis eiusdẽ Ecclesiæ suæ, data sancti Spiritus gratia, reseraret. Hac etiã ipsa mundi ætate, construxit idem Moyses Deo in eremo tabernaculũ, quod vniuersalem præsentis sæculi significat Ecclesiã; & arcam Testamenti, per quã Christus designabatur, in quo sunt omnes sapientiæ diuinæ thesauri repositi: & candelabrum, per quod sancta prædicatio, quæ iter lucis euntibus ad vitam ostendit, exprimitur: & mensam per quam sancta significatur scriptura: & alia multa in quibus expressit nimis alta præsentis Ecclesiæ Sacramenta. Quintâ denique mundi ætate Salomon Rex pacificus templum istud nobilissimum in Ierusalem extruxit, in quo etiam nonnulla imago rei futuræ præcessit. Sexta quoque mũdi ætate Christus Dei & hominum

Historia laus.

Mundi ætates.

minum mediator mundo apparuit,& mortem crucis pertulit, vt mors, quam vitæ constat esse contrariam, eius morte instrumentum fieret, per quod nasceretur ad vitam: Demum verò surgens à mortuis, misit de cælo Spiritum Sanctum suis Apostolis in Ierusalem constitutis, qui eis omnium reserauit mysteria scripturarum, & attulit notitiam diuersarum linguarum. Indeque dispersi sunt super faciem vniuersæ terræ, baptizantes vbique in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti. Tunc adimpletũ est, quod scriptum est: ex Sion exibit lex,& verbum Domini de Ierusalẽ: Inde enim procedens verbum Domini, per totum emanauit mundum. Et extunc cœpit ædificari turris non ex lapidibus ac cæmentis; sed ex diuersis gentibus & linguis, cuius cacumen penetrat cælum. Quæ turris Sion spiritualiter appellatur, quod speculatio interpretatur: speculatur enim futuri magnum bonum, quod præparauit Deus diligentibus se. Hæc etiam Dei Sponsa propter numerosam, quam ei quotidie parit, filiorum sobolem, per baptismatis Sacramentum meritò potest appellari. Ipsa quippe suo Redemptori Christo intellectualiter adhærens, corporeo, si dici fas est, amplexu, veris impletur fœcundaturque virtutibus: cui quasi nouæ nuptæ suæ, nouus Sacerdos, noua tradidit Sacramenta, imposuitque onus leue, iugumque suaue, vt quanti penderet eam, intelligeret. Dedit quippe ei pro Circumcisione, quæ plebem Hebraicam non mediocriter onerabat, sancti Baptismatis Sacramentum, & pro diuersorum specie sacrificiorum, suum sacrificandum Corpus & Sanguinem. Cuius veri sacrificij multiplicia, variaque signa erant, sacrificia prisca iustorum. Igitur prima Lex velut Pædagogus, rudibus atq; carnalibus hominibus primum posita est, erudiens eos, vel peccare prohibens metu pœnæ præsentis: Secunda verò, sublimiorem vitæ viam iam eruditis, sine interminatione pœnæ præsentis ostendit. Non decebat ergò, vt Euangelica perfectio præcederet Mosaicam legem, Nam quæcunque perfecta, solent esse posteriora.

Oblatio Corporis ac Sanguinis Christi verum sacrificium.

Parthi.

27 His ita se habentibus, restat etiam nunc, vt de Parthis, qui diu in Syriâ regnauerunt, aliquid dicam, antequam propositum opus attingã. Tantum enim regnum silentio præterire nõ debeo. Cum Parthis quippe Romanus populus orbis imperium legitur diuisisse. Sed quia Parthi Scytharum exules extitêre, sicut ipsorum vocabulo deprehenditur. (Scythico enim sermone Parthi exules appellantur.) De Scytharum regno post pauca narrabo; quanquam præposterus ordo esse videatur. Cum Pompeij & Cæsaris bella, quæ iam digessi tẽpore posteriora sint; tum

de

de Vesone rege Ægypti, & de Amazonum regno, & de introitu Cyri in Scythiam, quæ ante Cæsaris ortum contigerunt, tractabo.

Scythæ qui.

28 Scytharum ergò gens antiquissima sub Septentrione posita, ab vno latere Ponto, ab altero verò montibus Riphæis, & Asiâ à tergo terminatur. Sed Scythæ non minus illustria principia, quam Imperia habuêre: nec virorum magis, quam fœminarum virtutibus clаruêre: quippe viri hos, de quibus acturi sumus, Parthos, Bactrianosque; Fœminæ verò eorum Amazonum regna, condiderunt. Itaque res gestas virorum mulierumque considerantibus, incertum est, vter apud eos illustrior sexus fuerit. His tamen Vesoges Rex Ægypti primus bellum intulit: de cuius aduentu Scythæ certiores facti, vltro ei obuiam procedunt; quos cum Rex aduenire cognouisset, in fugam vertitur, & exercitu cum omni apparatu derelicto in Regnum se recepit. Scythæ verò destitutum inuadentes exercitum fugauerunt, & interemerunt: Inde reuersi Asiam perdomitam vectigalem fecerunt, modicum tributum eis magis in titulum imperij, quàm victoriæ præmium imponentes. Nihil enim victores præter gloriam concupiscunt. Igitur his Asiâ per M. D. annos vectigalis fuit. Pendendi tributi finem Ninus, cuius supra meminimus, Rex Assyriorum imposuit. Scythæ præterea per incultas solitudines errare soliti, nõn agrum exercent; sed vxores & liberos secũ in plaustris vehunt, corijs imbres & hyemis asperitates euitantes: Armenta & pecora cum eis gradiuntur, lacte & melle vescuntur: Gens laboribus & bellis aspera, vires corporum immensæ. Horum denique virgines vitam suam non otio neque lanificio, sed armis & equis ac venationibus dudum exercebant, inustis infantũ dexterioribus mammis, ne sagittarum ictibus impedirẽtur, vnde Amazones appellabãtur. Duæ his fuêre Reginæ: Marthesia & Lampedo, quæ in duas partes agmine diuiso, opibus auctæ bello terminos defendebant. Et ne successibus deesset auctoritas, genitas se Marte prædicabant. Itaque maiore parte Europæ iam sibi subacta, Asiæ quoque nonnullas ciuitates post præfati Nini Regis interitum occupauerunt, ibique Ephe so, multisque alijs vrbibus conditis, partem exercitus cum ingenti prædâ domum dimiserunt. Reliquæ verò quæ ad tuendum Asiæ imperium remanserant, concursu barbarorum cũ Marthesia Regina interficiuntur: in cuius locum filia eius Orithia regno succedit; Cui præter singularem belli scientiam, eximia seruatæ in omne æuum virginitatis admiratio fuit. Denique Amazonum virtute excitus Hercules, longis nouem nauibus præparatis, comitante principũ Græciæ

Vesoges Rex Ægypti vincitur à Schytis.

Scytharum mores.

Amazones, & earum regnũ quousque se extenderit.

Amazones ab Hercule victæ.

ciæ iuuentute eas inopinantes aggreditur. Duæ tunc sorores Amazonum regna tenebant, Antiope & Orithyia, sed Orithyia foris bella gerebat. Hercules verò cum ad littus Amazonum naues applicuisset, incautas & inermes subitaneo turbauit aduentu. Multæ denique cæsæ, & multæ sunt captæ; Menalippe ab Hercule, Hippolyte à Theseo; de qua Theseus genuit Hippolytum: Hercules autem Menalippen captiuam sorori reddidit, & precium victoriæ arma Reginæ suscepit. Porrò post Orithyiam Penthesilea regno potita est; cuius Troiano bello inter fortissimos duces magna virtutis documenta fuerunt: Penthesileâ verò defuncta, Reginæ Amazonum regnum magnificè defendentes vsque ad Alexandri Magni tempora durauerunt; quarum Minithea siue Thalestris Regina concubitum Alexandri per dies XIII. ad generandam ex eo sobilem obtinuit; sed breui post tempore propter prostratam pudicitiam cum omni Amazonum nomine decidit. Præcedenti tamen æuo Cyrus Rex Persarum, cunctis ad quos ierat perdomitis, Babyloniaque iam capta, Scythis bellum intulit: quem Thamaris Regina, quæ tunc genti præerat, cùm prohibere transitũ Araxis fluminis posset, transire permisit. Itaque Cyrus Scythiam ingressus procul à transmisso flumine castra metatus, vinum & epulas præparauit: sed astu statim quasi territus, eas dereliquit. Regina verò vbi Cyrum adesse comperit, filium suum cum exercitu ad persequendum illum destinauit: at illi castra Cyri grandi apparatu referta inuenientes, procumbunt quasi ad epulas inuitati. Sed cùm iam essent ebrietate sopiti, Cyro reuertente vnà cum adolescente obtruncantur. Thamaris autem filio cum exercitu amisso, dolorem, hostium potius sanguine diluere, quàm suis lacrymis, parat. Simulauit ergò diffidentiam, desperatione cladis illatæ, & hostem superbum victoria, ad se euocat, sicque in conualle insidijs compositis CC. Persarum M. subita irruptione deleuit. Quibus patratis Cyri caput iussit amputari, & in vtrem humano sanguine plenum inferri, ita inquiens: satia te sanguine, quem sitiuisti. Denique Rex Darius qui Magorum audaciam ferro coërcuit, ac Cyro Regi Persarum bellum intulit, quòd filiæ eius petitas nuptias non obtinuisset, sed cùm incredibili apparatu Scythiam ingressus fuisset, non facientibus hostibus legitimam pugnæ potestatem, metuens, ne interrupto Histri ponte reditus sibi intercluderetur, amissis LXXX. M. hominibus trepidus refugit: hanc tamen iacturam inter damna non reputauit.

Regnum Amazonũ ob prostratam pudicitiam decidit.

Dolus Cyri.

Vide mulieris magnanimitatem.

Verùm

93 Verùm quia de bellis Scytharum vsque modò satis est peroratum, nunc de Parthis est aliquid exequendum. Parthi igitur Assyriorum, Medorumque temporibus, domesticis seditionibus Scythiâ pulsi, inter Orientales populos obscurissimi fuêre, nam cum Orientis Imperium à Medis ad Persas translatum est, velut vulgus sine nomine, præda victorum fuêre; demumque Macedonibus triumphato Oriente seruierunt: vt cuiuis mirum videatur, ad tantam felicitatem prouectos per virtutem, vt imperent gentibus, sub quarum imperio veluti seruile vulgus mansêre. Sermo his inter Scythicum Medicumque fuit medius, & vtrisque permixtus. Vestis perlucida ac fluida. Exercitum non vt aliæ gentes liberorum, sed seruorum habent, quos pari ac liberos suos cura equitare ac sagittare magna industria docent. Vt quisque est locupletissimus, ita plures in bello equites Regi præsentat; sed serui pedibus, liberi equis vectantur; equis bella, equis conuiuia, equis publica ac priuata officia obeunt: Pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus: sæpè etiam fugam simulant, & in ipso ardore certaminis prælia deserunt, aut post fugam pugnam repetunt, vt cùm maximè vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit. Cominus in acie præliari, aut obsessas vrbes expugnare nesciunt; nec pugnare diu possunt: intolerabiles enim forent, si quantus his est impetus, tanta vis & perseuerantia esset. Signum his in prælio non tuba, sed tympano datur; munimentum ipsis, & equis loricæ sunt plumatæ. Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia; quippe violentiam viris, mulieribus mansuetudinem assignant. Semper autem in extraneos, aut in domesticos motus inquieti, natura taciti, ad faciendum quam ad dicendum promptiores; proinde secunda vt aduersa silentio tegunt. Principibus metu non pudore parent: in libidinem proiecti, vxorum dulcedine variæ libidines, singuli plures habent: Nulla delicta adulterio grauius vindicant; quamobrem fœminis non virorum conuiuia tantum: verùm etiam conspectus interdicitur: in cibo parci; nam carne, non nisi venatione quæsita vescuntur. Parthorum denique gens postquam à Seleuco Rege defecit, sub Arsace mansit; qui stabilito regno non minùs est memorabilis Parthis, quàm Cyrus Persis, vel Romanis Romulus, aut Macedonibus Alexander. Iste quippe eos primis legibus formauit, militem legit, castella muniuit, ciuitates firmauit, vrbemque eis nomine Daran in monte

Parthi qui.

Parthorum mores.

Zapa-

Zapaortheno condidit; cuius loci talis situs est, vt neque munitius quicquam esse, nec amenius possit; Ita enim & præruptis rupibus vndique cingitur, vt nullis defensionibus egeat, & soli circumiacentis tanta fertilitas est, vt proprijs expleatur. Hic etiam Hircanorum Regnum suo adiunxit, ac Seleucum superauit. Demum verò maturus decessit, cui filius successit; qui illum industriâ simul & nomine repræsentauit: nam & iste Secundus Arsaces aduersum Antiochum Seleuci filium C. M. peditum, & XXX. M. equitum instructus pugnauit, & eum superauit. Tertius verò Parthorum Rex Priapatius fuit; qui exactis in regno XX. annis decessit, relictis duobus filijs Mitridate & Phraate. Quorum maior natu Phraates more gentis suæ hæres regni, Mardos, validam gentem bello domuit, & non multò pòst decessit pluribus relictis filijs: quibus præteritis fratri suo Mitridati insignis virtutis viro reliquit imperium. Qui susceptum regnum à monte Caucaso, multis populis in deditionem redactis, vsque ad flumen Euphratem protulit; & post hæc correptus aduersa valetudine, non minor proauo suo Arsace, gloriosa senectute decessit. Cui Phraates filius successit; quo à Scythis interfecto Artabanus patruus eius, Rex constituitur: Artabano verò Mithridates pater magni Mithridatis successit, qui cùm maturâ morte defecisset, frater eius Orodes Parthorum occupauit imperium. His præterea temporibus Crassus Romanum assecutus Consulatum, per Mesopotamiam tendens in Parthiam, Euphraten fluuium, contra fœdus Luculli & Pompeij Consulum Romanorum, transiuit, & Carras vsque peruenit; vbi à Parthis circumuentus, exercitum amisit, & ipse extinctus est. Porrò memorati Orodis Parthorū Regis filij Pacorus & Phraates fuêre; Mithridates autem præfati Regis Mithridatis filius, postquam adoleuit, & regnum adeptus est, non sui tantum temporis, verùm etiam omnes superioris ætatis Reges maiestate præcessit: is enim per XL. & VI. annos multas victorias de Romanis habuit, & quoties illum summi consules Romanorum Silla, Lucullus, & Cneius Pompeius vicerunt, toties maior & clarior apparuit, damnisque suis semper terribilior reddebatur. Hic quoque Babyloniam victor occupauit, & omnes gentes, quæ inter Hydaspen fluuium, & Indum iacent, sibi subiugauit, & ad Indiam postmodum suum dilatauit imperium: sed & Cappadociam cæso Rege Artabono cœpit, & Armeniam obtinuit; Scythiam quoq; sibi pacificauit, quam nemo antè tutò transire, vel adire valebat. Bithyniam denique

Arsaces moritur.

Priapatius Rex Parthorum.

Crassus à Parthis cæsus.

Mithridatis laus.

&

&Paphlagoniam subegit, expulsis inde Phirmene, & Nichomede Regibus. Et cùm venisset Ephesum, crudeli præcepit edicto, vt quicunque inuenti essent Romani per totam Asiam, sub vna die necarentur. Archelaus denique Dux eius, cum C. & XX. M. peditum & equitum in Achaiam ab eo præmissus, Athenas, totamq; Græciam partim vi, partim verò cepit per deditionem. Verùm cùm iam senex Mithridates obsessus à Pharnace filio teneretur, & mori compelleretur, venenum hausit, vt seipsum interficeret; infusa tamen pestis in visceribus eius, nihil ei nocere potuit: Puer nempe inimicorum sæpè passus insidias, ita se aduersus eos stagnáuerat remedijs, vt nec volens quidem veneno mori potuerit. Quendam itaque Gallum, quem offendit, militem, inuitauit, & ei iugulum præbuit: & hunc vitæ finem Mithridates tulit; & hæredem sibi parricidam filium dereliquit. Periit autem habens annos LXX. II. quibus LX. regnauit; contra Romanos verò annis XL. pugnauit. Mortuo proinde Mithridate, famosissimus Pompeius Consul Romanorũ Regem Tigranem in Syria debellare cœpit. In qua expeditione positus, templũ quod erat Ierosolymis expugnauit, & non multò post Romanis ciuile bellum est exortum, in quo Cæsar memoratum Pompeium superauit. In quo etiam bello Parthi Pompeianarum partium fuêre, & propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico iunctam, & propter Crassi necem, cuius filium in partibus Cæsaris comperer ant esse, quem vltorem paterni sanguinis futurum metuebant. His de Parthis breuiter expeditis, operi proposito manum applicabo.

Crudele Mithridatis edictum.

Veneni vis in illum impotens.

Mithridatis mors.

ECCLESIASTICAS amodò historias defloraturus, DEO cooperante, à Natiuitate Domini & Saluatoris nostri IESV CHRISTI sumam exordium, ac postmodum sanctorum successiones Apostolorum, & Præsulum nomina Romanorum hîc inseram, ac demum qui viri Catholici locis celeberrimis post ipsos Apostolos regendas suceperint Ecclesias, expediam. Nec præteribo persecutionum turbines, quibus sancti Martyres diuersis temporibus pro Christo carceribus trudi, edictis principalibus vrgebãtur. Sed illi amore diuino flagrantes, sæuiẽtibus in necem illorum Regibus & legibus & ducibus & gentibus, flecti nullis cruciatibus potuerũt, semper inexpugnabiles permanẽtes. Similiter & sanctæ mulieres, virilem gerentes animo fidẽ, carceribus includebantur, cædebantur, torquebantur, vrebantur, laniabantur, trucidabantur,

bantur, coronabantur. Hos primitiua flores tulit Ecclesia, & his adhuc stipata vernat mirabili varietate: horum denique meminisse, semper erit vtile. Praeterea perfidos non praetermittam Philocumpos, id est, amatores iactantiae, non sapientiae, qui continentia, castitate, atque ieiunio, sicut quadam pietatis veste exterius tecti, intrinsecus verò habentes animum venenatum, per dulces sermones multis in Ecclesia scandalum intulerunt. Quorum perfidiam denudare curabo, & eorum erroribus locis opportunis, paucis quidem, sed affatim, Dei opitulante iuuamine, respondebo. Quod illis maximè profuturum esse confido, qui magna Doctorum volumina, quibus eis responsum est, non habent: aut saecularibus impliciti curis, ea minimè legere possunt. Nam ex his tametsi breuibus responsis, poterunt tamen incautam simplicitatis imperitiam deuitare, & dogmata fidei Christianae contraria declinare. Arguam denique caecitatem Iudaeorum, qua nolunt in Christum credere, quem sciunt sibi à Prophetis praenuntiatum fuisse. Extremam denique templi euersionem, quae facta est sub Vespasiano & Tito, non tacebo; sed referam deiectionem, siue depopulationem rerum illarum, quae dicebantur Sancta Sanctorum, licet fuerint vmbra, nō veritas; vmbra tamen designat vestigia veritatis, & intuentibus diligenter signis quibusdam, futura solet exprimere. Optimorum praeterea virorum, Romanorum scilicet, Gallorum, Gothorumque, & caeterarum gentium memorabiles actus hîc inseram, & totum hoc opus legitima ratione corroborare contendam. Incipiens quippe ab Octauiano Augusto, omnium Imperatorum nomina Romanroum ibi seriatim denotabo, vsque ad Karolum Magnum, & eius filium Imperatorem Ludouicum, & tempora, quibus floruerunt, lucidè designabo. Sicque secundùm eorum Catalogum rerum relationes gestarum, ita temporibus assignabo, vt si modò dictum decurras Catalogum, quid sub vnoquoque Imperatore gestum sit, euidenter agnoscere possis. Sunt tamen nonnulli, quibus videtur fore superfluum, cùm secundùm tempora Regum vel Imperatorum Ecclesiasticae pertractantur historiae: sed non est contra Religionem Ecclesiasticam, aut authenticam disciplinam. Lucas nempè Euangelista, cùm Dominicae Incarnationis texeret historiam, Herodis Regis Iudaicae gentis in ipso suo sancti Euangelij principio, intulit mentionem: Fuit, inquit, in diebus Herodis Regis Iudaeae, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia. Itemq; post pauca: Exijt edictum à Caesare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Caesaris

Intentio Auctoris.

Octauiani

Octauiani faciens iterum mentionem; quatenus illa quæ minus erant hominibus nota, ab his quæ pænè apud omnes celebri famâ ferebantur, confirmarentur & corroborarentur. Quod & multi alij religiosi diuinarum tractatores historiarum fecisse leguntur. Illæ quippe res gestæ, quæ nullâ Regum ac temporum certitudine commendantur, non pro historia recipiuntur, sed inter aniles fabulas deputantur.

Porrò ideò Christus ad sextam venire distulit ætatem, vt nouæ legis plenitudinem prolixitas temporis non auferret: nam si ante venisset, cuncta forsitan nouę legis præcepta, vetustas temporis aboleuisset; nunc ea seruare ipse imminēs terror iudicij exigit, nec sinit propinquitas vicini examinis periclitari nouæ fidei perfectionem: proinde decebat, vt qui sexta die hominem fecerat, sexta mundi ætate eum ad plenitudinem legis perduceret, etiam veterascentem suo nouo aduentu reficeret. *Discursus hic de Christo, licet parum huc faciat, ex Freheriano fragmento exscriptus est.*

Porrò præsenti prologo, quando id multùm operi proposito conuenire non dubito, Italiæ situm paucis comprehendam, & prouinciarum eius numerum subtiliter nescientibus intimabo. Italia ergò patria siue regio Romanorum, à Circio in Eurum extensa, habet ab Africa Tyrrhenum mare; & à Borea Adriaticum sinum; ab Occidente autem obicibus Alpium obruitur: porrò Alpes à Gallico mari super Ligusticum sinum exurgentes, primùm Narbonensium fines, demum verò Galliam Rhetiamque secludunt, donec in sinu Liburnico desigantur. *Italia descriptio.* Habet etiam Italia Prouincias decem & octo; quarum prima Istria nuncupatur. Secunda Liguria, in qua est Mediolanum atque Papia. Tertia Rhetia prima, cui connectitur Rhetia secunda, inter Alpes constituta. Quinta verò Prouincia Alpes Gothicæ nuncupantur, in qua Genua ciuitas est sita. Sexta quoq; Prouincia Tuscia nominatur, in qua Roma consistit, cui adiungitur Vmbria, in qua est Perusia atque Spoletum. Septima autem Prouincia Campania, ab vrbe sumit initium, & pertingit vsque ad Siler fluuium, habetque opulentissimas vrbes, Capuam atque Neapolim. Octaua est Lucania, cui coniungitur Brixia, à Silere fluuio, vsque ad fretum Siculum, superiora Tyrrheni maris pertingens, in qua Pestus, Lanuuium, & Regium positæ sunt ciuitates. Nona verò Prouincia in Alpibus Apenninis est sita. Decima autem Emilia vocatur, hæc incipit inter Alpes Apenninas, & pergit iuxta Padi fluenta versus Rauennam, & hæc locupletibus vrbibus decoratur, Placentia, Parma, Bonnónia, & Cornelij *Italiæ XVIII. prouinciæ.*

 foro,

foro, quod modò castrum Imolas appellatur. Vndecima autem Flaminia vocitatur, & est inter Appenninas Alpes, & mare Adriaticum posita, & in ea sita Rauenna. Duodecima verò est Picenus, habens ab Austro Appenninos montes, & ex altera parte Adriaticum mare, & porrigitur vsque ad Piscariam: Appenninæ autem Alpes per mediam Italiam pertingentes, à Punicis, hoc est, ab exercitu Hannibalis, quòd per eas transitum habuit, vocitantur. Tertia decima quoque prouincia Valeria nuncupatur, cui est annexa Nursia, huius etiam pars occidua Etruria nominatur. Quarta decima verò prouincia Samnium à Piscaria incipit, & inter Campaniam & mare Adriaticum pergit, huius caput est Beneuentus ciuitas. Quinta decima autem Apulia est, consociata sibi Calabriâ, habens opulentas ciuitates Luceriam, Sipontum, Tamisium, Brundusium, atque Tarentum. Sexta decima verò Sicilia est, quæ mari Tyrrheno seu Ionio alluitur. Septima decima autem Corsica est. Et octaua decima Sardinia nuncupatur. Sciendum tamen est, quod Liguriam & partem Venetiæ, & Emiliam atque Flaminiam veteres Historiographi Galliam Cisalpinam appellauêre: siquidem antiquo tempore Brennus, qui apud vrbem regnabat Senonensem, cum CCC. M. Gallorum ad Italiam venit, & eam vsq; ad Senogalliam super mare Adriaticum sitam occupauit, & ibi ab inuicem separati sunt Galli. Quorum C. M. Delphos adeuntes, Græcorum gladijs perierunt: alia verò C. M. intra Græciam remanentes, primùm Gallogræci, à candore corporis, postea autem Galathæ, ijdem sunt apellati; hi ergò sunt, quibus scribit Apostolus Paulus: alia autem C. M. in Italia remanserunt, Ticinumq;, Mediolanum, Pergamum, & Brixiam constituentes, Cisalpinæ Galliæ nomen dederunt. Vnde Gallia Transalpina, quæ vltra Alpes habetur, & Gallia Cisalpina quæ infra Alpes est, vocitatur. Et hæc de Brenno, siue de Gallis, quorum supra dudum meminimus, paucis dixisse sufficiat. Amodò verò Dei fultus adiutorio, & in tres libros diuidere, & in vnum corpus Ecclesiasticam historiam curabo redigere.

Gallia Transalpina & Cisalpina.

Augustus secundus Imperator.

Secundus Romanorum Monarcha interfecto Iulio Cæsare, Octauianus Augustus extitit, quo nullus Romanorum Imperator in bellis felicior, nec in pace moderatior fuit: Adolescentiam tamen suam ciuilibus bellis implicuit, & Illyricum & Pannoniam occupauit, & Sicambros & Astures, Hispaniæ populos superauit, & eiusdem terræ populum barbarum & agrestem Romanis legibus informauit. Norici quoque Dalmatæ, Mesi, Bosobani, Thraces, Daci & Sarmatæ, Ducum eius, sunt

sunt superati virtute. Sed antequam Regni monarchiam obtinuisset, ita inter ipsum & Antonium Romana Respublica diuisa manebat, vt Augustus Italiam, Galliam, & Hispaniam: Antonius Asiam, Pontumq; possideret. Erat autem Antonius sororius eius; porrò cùm esset lasciu⁹ Antonius, correptus amore Cleopatræ Ægypti Reginæ, repudiata Augusti sorore, ipsam sibi Cleopatram matrimonio copulauit, & Augusto bellum indixit. Sed Augustus ad prima nouorum motuum signa cum CCC. nauibus à Brundusio in Epirum transmeauit: Antonius verò occupauerat Atticum littus. Sed vbi ventum est ad prælium, & Augusti classis cœpit Antonij turbare nauigium, Cleopatra Regina cum aurea puppe veloq; purpureo, prima fugere cœpit, & illicò secutus est eam Antonius; instabatq; vestigijs Augustus, quod cernens Antonius, propria se manu peremit: Regina verò ad pedes Augusti prouoluta, tentauit oculos eius, sed spreta ab eo, desperauit; & vbi se triumpho seruari cognouit, incautiorem nacta custodiam, in Mausolæum odoribus refertum, iuxta suum se collocauit Antonium, demum admotis sibi serpentibus, morte sopita est. Tunc Augustus potitus Alexandria vrbe, omnium vrbium tunc opulentissima, Romam triumphans ingressus est. Quibus patratis, Parthi inclyti nominis eius fama inuitati, licet iam se pares Romanorum magnitudini crederent, Romana signa, quæ Crasso interfecto diripuerant, vltrò ei reddiderunt, & obsidibus traditis, firmum fœdus ab eo fideli supplicatione suscipere meruerunt; regni sui terminum Euphratem fluuium secundum fœdus Luculli & Pompeij Consulum Romanorum, quod dudum constituerant, statuentes: plus enim apud eos fauore nominis sui fecit Augustus, quàm facere quisquam alius Imperator armorum robore potuisset. Ad hunc quoq; Scythæ, & Indi, & Garamantes, & Æthiopes, legatos cum donis miserunt. Herodes quoque Rex Iudaicæ gentis, Antonio & Cleopatra iam extinctis, sponte ad eum nauigauit, & deposito diademate se illi obtulit, humili quidem habitu, sed Regia mente; & his eum adorsus est verbis: Ego quidem, inquiens, Auguste, fateor me fidelem Antonio fuisse socium; vtpote qui ab eo Regnum susceperim, ea tamen necessitate arma non tuli aduersum te, non quasi prælij pauidus, vel amici desertor, sed domi rebus gerundis occupatus, Ingratum tamen sibi me non sensit Antonius, cui & adiumenta exercitus, & frumenti copiam miserim absens. Nunc autem, ô Cæsar, vicisti Antonium legionibus tuis maximis, vicisti cum consilijs tuis, vicisti Imperij viribus Romani, quod dereli-

Diuisio imperij inter Augustum & Antoniũ.

Augusti & Antonij nauale bellum.

Antonij & Cleopatræ mors.

Parthorum cum Augusto fœdus.

Herodis ad Augustum oratio.

querat & abnegauerat. Certè victus est Antonius viribus tuis, sed magis moribus suis; vicerat enim eum Cleopatra vxor, & Ægyptius amor, Canopæaque luxuries. Victus est, quia maluit cum Cleopatra vinci, quàm sine ea vincere; vicit eum mulier, infestior suis, quam aduersarijs. Denique victus est, quia me audire noluit; obstruxerant enim mentem eius Cleopatræ cupiditates. Victus sum & ego cum Antonio, minori tamen flagitio, quia illum Cleopatra vicit, me Antonius: Ille barbaram, ego amicum non dereliqui. Modò verò ad te veniens, sequestraui à me Regni insignia; sed non abieci virtutis conscientiam, vt voles iudica. Ad hæc Cæsar: Salue inquit, & nunc magis vtere Regno tuo, quoniam non inuidemus virtutibus, sed delectamur; dignus es enim plurimis imperare, qui sic tueris amicitiam, vt in aduersis positum non abneges amicum. Et idcircò magis expeteris à nobis, quia nullus belli te mutauit euentus: non enim Antonium deseruisti, sed Antonius te, qui magis credidit Cleopatræ, quàm tibi. Insipientia illius te nobis acquisiuit, qui sibi perniciosam elegit Cleopatram, & te fidelem repudiauit. At non est mirum, si à te Cleopatra desciscere fecit Antonium, cùm à me etiam eum dissociauerit, & ex consorte imperij, hostem reddiderit. Nunc autem adoriemur in reliquum, vt non requiras Antonium: non enim dignum est, vt quem bello vicimus, beneuolentia non vincamus. Et cùm hæc dixisset, imposuit coronā capiti eius, ampliauit etiam munificentia Regnū illius, dans ei Gadaram & Hipponem, Samariam, & Ioppen, Turrimque Stratonis, & maritimas ciuitates. Ex quibus Herodes Turrim Stratonis in gratiam & honorem Cæsaris postmodum albo lapide renouauit, & aulicis ædificijs venustauit, & Cæsaream mutato nomine iussit appellari. Vrbem quoque Samariam, quam nunc Sebasten appellant, non solùm ædificauit, sed etiam repleuit inhabitantibus. Extruxit præterea Ierosolymis turrim magnam, quam appellauit Antoniam, propter Antonij gratiam, veteris amici. Addidit etiam in ipsa arce Regiæ domus gemina habitacula, maximi ambitus, & admirabilis pulchritudinis, quorum vnum nominauit Cæsareum, alterum Agrippium. Cæsari quoque condidit templum ad fontes Iordanis, adeò immemor religionis, vt homini templum concederet, & vsum gentilium in Iudæam induceret. Interea verò Cæsarem Augustum apud Tarraconem citerioris Hispaniæ vrbem legati Scytharum & Indorum, penè toto orbe transmisso, positum inuenerunt; qui pacem petebant, & ei munera deferebant: in

Responsio Augusti.

fauo-

fauorem enim sui declinauerat gentes sua liberalitate. Pacatis ergò omnibus regionibus per vniuersum mundum, omniq́ue bellorum fragore sedato, memoratus Augustus Rempublicam legibus pacificis adæquare siue nutrire desiderans, protulit Edictum, vt describeretur vniuersus orbis. Tunc venit vir quidam honorabilis Cyrinus nomine, & intrauit cum paucis Syriam, ab ipso ius dare gentibus missus, & censor simul patrimoniorum futurus. Igitur his diebus, id est, Octauiani Augusti. II. & XL. imperij anno, ab Ægypto verò subiugata, & Antonij vel Cleopatræ interitu, in quam nouissima Ptolemæorum apud Ægyptum regna ceciderunt, anno VIII. & XX. Olympiade autem C. LXXXIII. cùm sicut dictum est, per orbem terræ firmissima pax vigeret, Dominus IESVS Christus Filius Dei natus est, ex Maria Virgine, quæ erat ex semine Dauid, secundùm promissiones; huic enim pax famulabatur in terra. Natus est autem VIII. Kalend. Ianuarij, cùm primùm incrementa omnia anni virentis incipiunt: In cuius ortu exultantes Angeli cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Sed & de cœlo ad declarandam gentibus gloriam Diuinitatis eius, apparuit nouum sydus, quod tres Astrologi videntes, & tam artis suæ peritiâ quàm inspiratione diuina syderis nutum intelligentes, Ierosolymam venêre, dicentes: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Quod audiens Herodes, expauit, vtpote quem nulla prosapiæ Regalis origo contingebat; & accersitis legis Doctoribus, percontatus est ab eis; vbi Christus esset nasciturus; at illi responderunt ei: In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est in libro Michææ: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet Dux qui regat populum meum Israël. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: & mittens eos in Bethlehem, dixit: ite, & interrogate diligenter de puero, & cùm inueneritis, renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Hoc autem dolo dicebat, volens eum interficere; quia super se esset futurus Rex ex semine Dauid, qui regnum eius posset adipisci. Denique viri illi duce stella peruenientes ad Christi cunabula, inuenerunt eum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, apertisq́ue thesauris suis, obtulerunt ei munera; Aurum, Thus, & Myrrham. Deuotionis autem suæ officio sapienter expleto, ad Herodem redire neglexerunt:

Natiuitas Christi.

Vnde

Vnde Rex magis malâ suspicione perterritus, vsus prauo consilio, misit & occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, à bimatu & infra. Sperabat enim inter coætaneos pueros, puerum Christum interficere; sed præuenit insidias Regis, puer abductus in Ægyptum angelica reuelatione. Præterea agitabatur funestus Herodes suspicione per multa flagitia: nam ne forrè ignobilis, & ab Israëlitico semine argueretur extraneus, combussit omnes libros, in quibus nobilitas gentis in templo seruabatur scripta, vt deficientibus probamentis, ipse ad hanc pertinere videretur; vtque suam sobolem regio Iudæorũ generi commisceret, abiecta vxore Doside, quam priuatus acceperat, sicut superiùs dictum est, copulauit sibi Mariamnem, Aristoboli neptem, Hircani filiam. Nouem præterea mulieres processu temporis sibi copulauit, quarum duæ tantùm sine liberis erant, cæteris verò soboles suppeditabat: sed inter omnes pollebat Mariamne excellentissimi gratia decoris, vnde diligebat eam impensiori amore, nec offensam volebat, cumulauerat mulieri gratiam numerosior partus, nam V. ei genuerat filios, quorum duo vltra proauorum modum, regio cultu celebrabantur: suffragio enim erat iuuenibus, quòd iam patre regnante geniti forent, & amor maximè Mariamnes, cuius animum Herodes in nullo molestificare volebat. Verùm ęqua lance odium mulieris & amor viri aduersum se decertabant; non enim curabat mulier parem viro refundere gratiam, insolens conscientia formæ, & secura nimium, quòd nihil ab eo, qui supra modum diligeret, exitij perpeti posset. Habita est etiam causa, qua iure inflammatus animus eius, quia Hircanum auum suum, viri sui insidijs compererat extinctum, falsò suspectum propter Regni cupiditatem: ideoque nec à conuitio obijciendorum criminum temperabat. Ferebat ista Herodes, & tolerabat mulieris indignantis arrogantiam, quia victus miraculo eius, insurgere aduersus dilectam nequibat. Verùm scena adulterij contexitur, atque in Mariamnem crimen istiusmodi componitur, quòd imaginem suam in Ægyptum Antonio destinauisset, vt pulchritudinis suæ splendore, perstricti excitaret in se viri minimè sobriam mentem: nouerat enim illum præruptum ad libidines, & in omnes amatorum cupiditates. Quod audiens Herodes fugiens turpis corruptelæ contagium, iussit illam occidi. Sed non multò pòst secuta est facti pœnitentia, & vbi ira cecidit, furor lasciuæ cupiditatis incanduit, amorisq; consueti passio resuscitata est: itaque per nonnullos dies Mariamne illi videri, & audiri videbatur, & interdum cum illa consistere, vel confabulari;

Christi fuga in Ægyptum.

Herodes Mariamnẽ ducit, repudiatâ Doside.

Mariamne ab Herode occiditur.

fabulari; tantus erat affectus erga defunctam. Denique matri successêre filij maternæ necis vindices, pio erga matrem affectu, sed erga patrem impio; nam ad scelus parricidij nulla dignè causa potest prætendi. Crescebat in iuuenibus cottidie cum ætate malitia: accedebat etiam eis ex coniugij societate præsumptio, quòd alteri Salomes filia, neptis videlicet Herodis; alteri verò Glaphyra Archelai Regis Cappadociæ filia nupta manebat. Vnus horum iuuenum Alexander, & alter Aristobolus nominabatur. Porrò Glaphyra muliebriter insolens, omnibus, quæ in aula Regis erant mulieribus, se præferebat, eò quòd præemineret illis generis claritate, patrem auumque sibi Reges existere, & præcipuè Darium Hidaspen materni generis apicem solita iactare, contumelijsque ignobilitatis illas afficere: grauabatur etiam Alexander vxoris insolentia. Aristobolus quoque frater Alexandri, incessabat vxorem suã, obiectans illi, quòd frater regalis generis fœmina potiretur: ipse verò priuatæ vxoris contubernio degenerasset. Quibus præstricta contumelijs vxor Aristoboli, ea quæ audiebat ad matrem cum lacrymis deferebat: Salome autem Regi comperta deferebat, & his non mediocriter mouebatur Herodes; sed eò maximè, quòd conspirare cum filijs suis militarem manum, & Duces exercitus, centurionesque, quorundã indicio compertum habebat. Itaque Rex ita exagitabatur indies, vt nullum sæuitiæ genus prætermittendum putaret, nulli crederet, omnes suspectos haberet: addebantur etiam isti stimuli ab his, qui ei à filiorum insidijs cauendum crebrò denuntiabant, asserentes, quòd vltrices materni exitij manus in eum armarent. Vnde Antipatrum Dosidis supra nominatæ suæ vxoris filium, cœpit cæteris fratribus anteponere, & ad sui gratiam vberiori affectu lacessere. Ardere demum maioribus odijs aula regia cœpit, & certamine fratrum concuti, dum indignantur, quòd priuatę mulieris filius sibi in regno ortis præferebatur. At versutus Antipater, quò se inferiorem cernebat materno latere, eò studiosiùs se patri commendare, & fratres compositis insimulationibus non cessabat appetere; primùm quidem exigui temporis interuallo matrem suã patris coniugio reformauit; demum verò fretus geminis armis, adulandi scilicet arte, & simulandi versutia, ita germanos Aristobolum & Alexandrum apud patrem cœpit arguere, vt eis pater immemor humanitatis necem inferret: erat enim Herodes insimulatis irreconciliabilis, amicis incredulus, familiaribus superbus, immitis reis, pauidus ad omnia, vt crebrò sedes mutaret, & noctes sine somno duceret. Tandem *Herodis mores.*

igitur ad Vrbem Sebasten, quæ non longè abest à Cæsarea, Alexander & Aristobolus custodia septi perducuntur, ibique patris imperio quasi parricidæ strangulati sunt. Stupebat omnis Syria, & omnis Iudæa, & attonitis mentibus expectabatur tantę tragœdiæ finis: & quamuis nota esset omnibus Herodis crudelitas, nemo tamen sperabat, quòd vsque ad tantum nefas perseueraret. Antipatri etiam cruentus animus nõ est expletus mortibus fratrum peremptorum; sed mens impia, postquã non habuit fratres quos odisset, patrem latenter persequi cœpit: quibus Rex deprehensis, repentè illum alligatum vinculis custodia sepsit, ibique illum quinque diebus antequam decederet, decollari fecit. Veruntamẽ antequam Antipater decollaretur, genuerat Agrippam, qui Herodes cognominatus est, cuius inferiùs mentionem faciemus. Memoratus autem Herodes Rex anno Regni sui XXXVII. & à natiuitate Christi V. Imperij verò Cæsaris Augusti XL. & VII. ætatis autem suæ LXX. morbo intercutaneo deprehensus lecto decubuit: procedebat in deterius ęgritudo, atque accessu temporis asperabatur, quam imbecilla senectus suis incommeditatibus acerbabat cottidie: per omnes deniq; neruos & articulos humore pestifero grauabatur, ita vt putrefactis interioribus, toto etiam à foris corpore vermibus scaturiret; sicque tandem miserabiliter morte pessima vitam flagitiosissimam terminauit. Quo mortuo, continuò in amphitheatro de obitu Regis factum est iudiciũ, & apertis tabulis testamenti, recitatur Philippus hæres Trachonitidis regionis, & finitimorum locorum: Antipas verò Tetrarches, & Rex Archelaus. Ita tamen, vt ad Augustum deferretur annulus eius, atque ad eius arbitrium firmamentum omnium dispositionum suarũ reseruaretur, ac tum demum testamentum eius ratum esset, si Cæsar probasset. Successit ergò Herodi in regno Archelaus filius eius, maiestate quidem patre minor, sed vitijs non inferior. Veruntamen scelerum suorum nõ est diu impunitate gauisus: regnauit tamen annis IX. id est, vsque ad finẽ Cæsaris Augusti. Florebant per idem tempus Romæ viri insignes: Virgilius, Salustius, Terentius, Horatius, Liuius & Hortensius. Porrò Cæsar Augustus liberalibus studijs operam dabat, & erat ad recipiendas amicitias rarus, sed ad retinendum constantissimus: fuit etiã mitis, gratus, ciuilis animi & lepidi, corpore toto pulcher, sed oculis magis. Sed cùm esset cibi ac vini nimium abstinens, seruiebat tamen libidini vsq; ad probrum vulgaris famę: abiecta quippe vxore Scribonia, amore alienę coniugis possessus, Liuiam quasi concedente marito sibi coniunxit. Cui

Herodes horrendo morbo interit.

Viri doctrinâ illustres.

Mores Augusti.

Liuiæ è priori marito nati fuerant filij duo, Tiberius & Drusus; quorum Tiberium sibi successorem reliquit. Sed cùm esset, sicut iam dictum est, libidini seruiens, erat tamen eiusdem vitij seuerissimus vltor. Auxit denique & exornauit Romam ædificijs multis, isto glorians dicto: vrbem reperi latericiam, relinquo marmoream. Imperauit autem annis L. & VI. XII. cum Antonio, & XL. & IV. solus. Nolæ morbo interijt, ingressus annum VII. & LXX.

CLAVDIVS Tiberius, Liuiæ filius, Cæsaris Augusti priuignus, ad Imperium sublimatus, anno Christi XVI. Imperauit II. & XX. circiter annis. Iste primùm cum magna modestia Reipublicæ præfuit, adeò vt quibusdam adaugenda sibi suadentibus prouincijs tributa responderit: boni pastoris esse pecus tondere, non deglubere. Apud hunc denique Archelaus Rex accusatus, quòd vsurpatione temeraria iam dudum in Iudæam Regem exercuisset; apud Viennam Galliæ vrbem exilio relegatus est, & opes eius thesauro Cæsaris associatæ sunt; & ad minuendā Regni Iudaici potentiam, quatuor fratres Archilai Tetrarchæ sunt constituti: Lysanias scilicet, Antipater, Philippus, & Herodes, qui & Antipas appellatur. Porrò iste Philippus Tetrarcha vrbem Cæsaream ad radicem montis Libani ædificauit, vbi Iordanis fontes exoriuntur, & appellauit eam Cæsaream in honorem Tiberij Cæsaris: nam altera est illa Cæsarea, quæ in littore maris sita, quondam Turris Stratonis appellabatur. Et ipsius Claudij Tiberij Cæsaris anno XII. Pontius Pilatus ab eodem Cæsare præses est Iudęæ prouinciæ destinatus. Et item anno XI. Imperij eiusdem Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilęæ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituręæ, & Trachonitidis regionis, & Lisania Abylinę Tetrarcha; sub Principibus sacerdotum Anna & Caipha, sicut Euangelica tradit historia, factum est verbū Domini super Iohannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Eodem etiam anno Euangelicam doctrinam inchoauit Dominus noster Iesus Christus, eligens sibi XII. discipulos quos speciali priuilegio nominauit Apostolos; sed habuit inter eos vnum, quo malo benè vtens, & suę passionis impleret dispositū, & Ecclesiæ suę tolerandorum malorum præberet exemplum: quorum nomina Apostolorū sunt hęc. Primus eorum Simon qui dicitur Petrus & Andreas frater eius, Iacobus Zebedęi F. & Ioānes frater eius, Philippus & Bartholomęus, Thomas & Matthę[9] publicanus, Iacob Alphęi F.

Cl. Tiberius imperium adit.

Christus incipit prædicare.

& Thaddæus, Simon Chananæus, & Iudas Iscarioth, qui tradidit eum.
Post hos autem assumpsit etiam alios LXXII. discipulos, quorum vix nomina inueniuntur, è quibus tamen putatur esse Matthias, qui Iudæ successit, vt duodenarius numerus compleretur: & Ioseph qui vocabatur Barsabas & cognominabatur iustus, Cleophas quoque qui frater esse Ioseph patris Domini perhibetur, & Barnabas, cuius mentio in Actibus Apostolorum habetur. Philippus autem Tetrarcha, cuius ante meminimus, habebat vxorem Herodiadem Aristoboli filiam, Agrippæ sororem, quam cum vidisset Herodes eiusdem frater Philippi in domo eius; ausus eam sollicitare, vt relicto fratre nuberet illi, quamuis illi foret nupta Arabiæ Regis Arethæ filia: quæ ei consensit, & illicito sibi illam Herodes copulauit matrimonio. Verùm ita apud Iudæos iam interierat ius sacerdotij, ambitione & auaritiâ interemptum, vt nullus hoc facinus auderet redarguere; sed Iohannes, qui vocatur Baptista, arguebat eum, dicens: non licet tibi habere vxorem fratris tui. Vnde Rex ira commotus primùm quidem illum in carcerem posuit, ac demum anno X. Imperij Tiberij Cæsaris decollauit apud Castellum, quod Macheronta vocatur: Arethæ verò Regis filia indignata ad patrem redijt. Porrò eodem anno, quo capite cæsus est Sanctus Ioannes Baptista, ipso eodem anno passus est Ierosolymis Dominus noster Iesus Christus sponte sua, sub Pontio Pilato Præside & Caypha Pontifice, vt iusta & recta ratione mundum redimeret: Resurrexit autem tertia die, cùm illucesceret Dominica dies, VIII. Kalendarum Aprilium, prima primi mensis, qui Nisan apud Hebræos nominatur. Sed ipsa die, qua passus legitur, hora diei sexta sol defecit, & terræ motus factus est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, quæ dormierant Ierosolymis surrexerunt & apparuerunt multis; velum quoque templi, quo tegebantur Sancta Sanctorum, diuisum est; & Bithynia terræ motu concussa est, & plurima Nicææ vrbis ædificia corruerunt. Et cùm per dies XL. post diem Resurrectionis suæ viuum se, suisque Apostolis præbuisset, dixit eis: data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra; euntes ergò baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: demum verò die XL. ascendit in cælum, videntibus & admirantibus illis, & cùm intuerentur in cælum euntem illum; Ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.

Ioannes Baptista decollatur.

Christi Mors & Resurrectio & Ascẽsio.

lum. Decima autem die Ascensionis suæ misit idem Dominus noster Iesus Christus Apostolis suis spiritũ paracletum in sancta Pentecostes solemnitate. Porrò Romanis mos antiquitus erat, vt Prouinciarum Iudices, si quid fortè nouum his, quas regebant Prouincijs contigisset, Senatui scripto nuntiarent: vnde Pontius Pilatus de his quæ sub eo Ierosolymis gesta erant, in hunc modum Tiberio Cæsari scripsit: Pontius Pilatus Claudio suo salutem. Nuper accidit, quod & ipse probaui, Iudæos per inuidiam se suósque posteros crudeli damnatione punisse: nam cùm promissum haberent patres eorũ, quòd illis Deus mitteret de cælo sanctum suum, qui eorũ Rex meritò diceretur, & hũc se promiserit per virginem ad terram missurum; iste, me præside, Hebræorum Deus cùm venisset, & vidissent eum cæcos illuminare, leprosos mundare, paralyticos curare, dæmones ab hominibus effugare, mortuos suscitare, imperare ventis, ambulare siccis pedibus super vndas maris, & multa alia mirabilia facere. Cùm omnis populus Iudæorum hunc Dei filium dicerent, inuidiam passi sunt principes Sacerdotum, mihique eum tradiderunt, & alia pro alijs mentientes, dixerunt illum magum esse, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, & flagellatum tradidi arbitrio eorum; at illi crucifixerunt eum, & sepulto ei custodes adhibuerunt: ille verò, militibus meis eum custodientibus, die etiam tertia resurrexit. Sed in tantum exarsit nequitia eorum, vt darent eis pecuniam dicentes: dicite quia discipuli eius nocte corpus ipsius rapuerunt; veruntamen milites cùm accepissent pecuniam, quod factum fuerat tacere non potuerunt: nam & illum resurrexisse testati sunt, & à Iudæis se pecuniam accepisse. Et hæc ideò ingessi, ne quis aliter mentiatur, & existimet credendum mendacijs Iudæorum. Tunc Cæsar Tiberius cum suffragio magni fauoris retulit epistolam ad Senatum, postulans vt Christus Deus haberetur: Lex enim erat antiquitus designata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus decreto & sententia confirmatus. Porrò Senatus consecrationem Christi recusauit, indignatione commotus, quod non sibi secundum morem prius epistola delata fuisset, & edicto constituit, exterminandos esse Christianos, ab vrbe præcipuè; Seiano vrbis Præfecto suscipiendæ religioni Christianæ obstinatissimè contradicente: sed Cæsar super hoc indignatus comminatus est mortem accusatoribus Christianorum. Ab illa denique die cœpit immutari Cæsaris prius laudatissima modestia in pœnam contradictoris Senatus: nam non

Epistola Pilati ad Tiberium de Christo.

multis diebus interpositis plurimos Senatorum proscripsit, & ad mortem coëgit: XX. sibi viros patricios Consilij causa delegerat, quorum vix duos reliquit incolumes; Seianum quoque præfectum suum res nouas molientem interfecit; Drusum etiam & Germanicum filios suos, (quorum Drusus naturalis filius, Germanicus autem adoptiuus) veneno perdidit: sed & filios Germanici interemit, sicque contigit, vt qui spreuerant, quòd saluari à Christo possent, à Cæsare proprio punirentur. Verùm hoc, quòd Senatus consecrationem Christi recusauit, diuina dispensatione factum est; ne Christus putaretur humanis assertoribus indigere. Interea verò Ierosolymis Apostoli Matthiam Apostolum ordinauerunt. Crescente quoque in eadem vrbe numero fidelium, ordinantur ab eis Diaconi VII. per orationem, & manùs impositionem; quorum nomina sunt hæc, Stephanus, Philippus, Procorus, Nicanor, Timo, Parmena, & Nicolaus aduena Antiochenus: ab hoc Nicolao orta est hæresis, quæ appellatur Nicolaitarum, cuius mentiò in Apocalypsis Ioannis libro continetur. Hic quippe Nicolaus, cùm ad prædicandum fuisset profectus, pulcherrimam secum ducebat vxorem: sed cùm quadam die à socijs suis de Zelotypia increparetur, producit eam in medio, vt si quis vellet, ipsa vteretur: quod tamen fecit potius ex contemptu libidinis, quam intentione hereticæ prauitatis. Veruntamen hac occasione quidam hæretici putant, vti posse legitimè delectatione carnali, & absque vlla reuerentia promiscuos, & illicitos concubitus expetunt, eius dictum & factum nequiter pro sua libidine suscipientes. Proinde cùm prædicatio verbi DEI iam succresceret, & procul per diuersas prouincias sese diffunderet, Philippus descendens in Samariam prædicabat ibi verbum DEI. Erat tunc in ciuitate magus quidam nomine Simon, populum seducens Samariæ, qui virtus Dei ab ipsis vocabatur: sed hic videns signa, quæ faciebat Philippus, credidit & baptizatus est ab eo. Post paucos dies peruenerunt etiam ibidem Apostoli Petrus & Ioannes, qui cùm imponerent manus suas supra capita credentium, accipiebant Spiritum sanctum: quod cernens Simon obtulit Apostolis pecuniam, dicens: date mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum. Cui Petrus respondens dixit: pecunia tua tecum sit in perditionem, quando donum Dei existimasti pecunia pos-

Ordinatio prima Diaconorum.

Hæresis Nicolaitarũ.

Simon Magus primus noui testamenti hæresiarcha.

Potestatem Apostolicã pecuniâ licitat.

possideri, non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo, sed in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse: quibus verbis Simon confutatus, & malæ mentis conscientia intrinsecus confossus recessit, verbi diuini fulmen ferre non præualens. Hæc est hæresis, quæ radice pestifera prima surrexit in Ecclesia Christi; nam huius crimine Simonis maculantur omnes, qui sacros ordines precio consequuntur; gemina quoque damnatio est in vno eodemque delicto, vendentibus scilicet, & ementibus. Circa hos denique dies Paulus vas electionis per reuelationem Iesu Christi Domini nostri ascifcitur in Apostolatum. Proinde Diuinæ incarnationis anno XXX. VII. Stephanus Protodiaconus cuius suprà meminimus, Ierosolymis lapidatus est à Iudæis. Mota est etiam persecutio magna in illis diebus aduersus discipulos Christi. Et tunc prædicatori per totum orbē terrarum Apostoli, Iacobum, qui appellatur frater Domini, Ierosolymis Patriarcham ordinauerunt: iste est Iacobus filius Alphæi & Mariæ sororis matris Domini, qui etiam iustus cognominabatur; huius etiam Iacobi est vna de VII. epistolis Apostolorum, quas Canonicas appellant; & huius fuit frater Thaddęus Apostolus, qui & Iudas appellatur; quamquam aliam de eisdem septem Epistolis legitur edidisse: rel. quarum verò epistolarum illarum, duæ sunt Petri Apostoli, & Ioannis Euangelistæ tres. Duodecim igitur Apostoli ab inuicē segregati, dispersi sunt primùm per regiones Iudęæ & Samariæ: ac demū abierunt ad gentes, Euangelizantes vbique & Baptizantes; fiebant autē signa & prodigia magna per manus eorum. Vnde cottidie multitudo credentiū augebatur, ita vt videres vna allocutione integros simul populos ad cultū diuinæ religionis adduci. Et Petrus quidem Pontum & Galatiam, Bithyniam & Cappadociam sua suorumque perlustrauit prædicatione discipulorū. Paulus verò ab Ierusalem vsq; ad Illyricum sua repleuit salutari doctrina. Tunc quoque cæteri Apostoli singulas adierunt prouincias. Andreas videlicet Achaiam, Thomas Indiam, & Iohannes Asiam, vbi & defunctus est. Porrò illi qui ad fidem Christi conuertebantur, & baptizabantur, non Christiani, sed discipuli tantùm cognominabātur: nec erat vlla nominis distinctio inter cuiusdam Dosithei, siue Theodæ, siue Iohannis Baptistæ, Christique discipulos; sed æqualiter omnes adhuc discipuli, sicut dictum est, cognominabantur. Sed florentissima apud Antiochiam Ecclesia congregata, prima Christi discipulos cœpit appellare Christianos, discernens eos à cōmuni præfatorū

Ab hoc Simone nati sunt nostri Simoniaci, qui functiones Ecclesiasticas, quæ mera Dei dona sunt, pecuniā nundinantur.

S. Stephanus lapidatur.

Sortitio Prouinciarum inter Apostolos.

Nominis Christiani Exordium.

voca-

vocabulo discipulorum, sicque adimpletum est Isaiæ vaticinium, quo scriptum est: seruientium mihi vocabitur nomen nouum. Interea verò Agrippa qui cognominabatur Herodes Aristoboli filius, cuius præcedenti sermone meminimus, ad Cæsarem ambulauit, cupiens aduersus Herodem Tetrarcham iudicio decertare: sed despectus à Cæsare Romæ deguit, vbi asciuit plurimos sibi ad amicitiam, inter quos maximè Caium Germanici filium, Cæsaris propinquum, quodam mentis præsagio specialiter excolebat: accidit etiam, vt quodam die manibus eleuatis deprecaretur, vt Tiberio mortuo præfatum Caium adolescentem videret Imperatorem. Quo prodito per Euthericum libertum suum iussu Tiberij in vincula ducitur, & grauibus modis excruciatur, non antè dimissus, quàm Tiberius diem clauderet extremum: & cùm defecisset Claudius Imperator, memoratus Caius illi successit. Nam cùm immani furore suos pariter, & externos puniret, antequam decederet Claudius Imperator resolutis militiæ artibus in vrbe Româ, Armenia per Parthos, Mesia à Dacis, Pannonia à Sarmatis, Galliæ à finitimis gentibus direptæ sunt. Demum verò cùm imperauisset annis XX. II. LXX. & VIII. vitæ suæ anno, insidijs Caij Caligulæ extinctus est.

Nero Caligula insidijs perijt.

CAIVS igitur Caligula Imperator creatus, Anno incarnationis Dominicę XXXVIII. imperauit annis III. & mẽsibus X. & diebus XI. iste fuit filius Germanici, & quia in exercitu natus fuerat, cognomentũ calceamẽti militaris, id est, Caligulæ sortitus est. Hic primo Imperij sui anno Iudæorũ Regnũ tradidit præfato Herodi Agrippæ, Aristoboli filio, tradens illi Philippi, Lysaniæ, & Herodis Tetrarcharum Tetrarchias: & Herodẽ Tetrarcham incestum atque crudelem, qui decollauit Ioannẽ Baptistam, & Dominum Iesum Christum veste alba indutum remiserat ad Pilatum, honore spoliatum vnà cum Herodiade adultera æterno cõdemnauit exilio. Puellã quoque quæ saltauerat in decollatione sancti Ioannis Baptistæ, viuã terra deglutiuit. Præses etiam Pilatus non remãsit impunitus, sed apud Viennam Galliæ vrbẽ exiliatus propria se manu interfecit. Verũ Pilato successit Felix, & factus est Procurator Samarię, & Galilęæ, & totius prouinciæ, quę trans Iordanẽ iacet: sed & sicut dictum est, memoratus Herodes qui & Agrippa nominabatur, Regnũ Iudęorũ à memorato suscepit Augusto. Vnde idẽ Herodes Agrippa ædificauit Samariam inter Iudęam & Galilęam, & appellauit eam Sebasten, id est, Augustam, in honorem Caij Imperatoris: Ante enim vocabatur

Sichem;

Sichem; est autem posita in vertice montis Somer, iuxta sepulchrum Ioseph. Hac præterea tempestate, Matthæus Apostolus his qui in Iudæa in Iesum Christum crediderant ex Iudęis, Euangelij librum hebræo sermone conscripsit. Interea verò Cæsar magno & incredibili apparatu profectus quærere hostem, viribus citis Germaniam, Galliamque percurrens, in ora Oceani circa prospectum Britanniæ, Cinobellinum Britannorum Regis filium tyrannum in deditionem suscepit: indeque deficiente belli materia, Romam redijt. Iisdem etiam diebus Iudæi apud Alexandriam seditione excitata, cæde profligati, & vrbe proiecti; expromendarum querelarum causa, miserunt ad Cæsarem Philonem quendam virum Iudæum, eloquentia affluentissimum, & in sensibus profundissimum, pariterque interpretatione atq; intelligentia diuinarum scripturarum subtilissimum. Verùm Cæsar eius spreuit legationem, quando Iudæis erat infestissimus: iam enim Iudæos vbiq; pro commisso scelere in Iesum Dei filium, vltio diuina damnabat. Tunc Philo egressus à Caio, circumstantibus ait; bono animo nos esse conuenit, quibus iratus est Caius: necesse est enim adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium. Itaque Cæsar templum quod erat Ierosolymis, iussit prophanari sacrificijs gentilium, Iouis statua ibi collocata: se quoque fastu superbo in Dominum cœli & terræ coli & adorari præcepit. Et cùm esset flagitiosissimus, sorores suas libidine cognitas, exilio condemnauit. Obscœnitate deniq; morum omnibus odibilis factus, à suis protectoribus, id est, à Prætorianis militibus est occisus, anno vitæ suę XXIX.

CLAVDIVS Tiberius Caligulæ patruus à Romanis militibus post necem Caligulæ ad Imperium sublimatus, Anno Incarnationis Dominicæ XLII. imperauit annis XIII. & mensibus VIII. Hic vtilem Reipublicæ Principem se ostendere cupiens, bellum vndique, & victoriam vndecunque quæsiuit: itaque transuectus est in Britanniam, & expeditione commota, insulam illam inuasit, quam nec ante Iulium Cęsarem, nec post eum quisquam adire ausus fuerat. Recepit denique sine vllo prælio ac sanguine, intra dies paucissimos, plurimam eius Insulæ partem in deditionem: Orchades etiam insulas vltra Britanniam in Oceano positas, Romano adiecit Imperio. Quibus patratis sexto, quo profectus erat, mense Romam rediit, filioque suo Britannici nomen imposuit. Hoc igitur bellum Imperij sui anno quarto peregit; qui est annus ab Incarnatione Domini XLVI. Hoc etiam anno fames grauissima

Agabus Spiritu prophetico famem magnam toto orbe futurã tradixit. Actor.11.v.27.

sima per Syriam, & Palæstinam facta est, quæ in Act. Apostol. per Prophetam Agabum prædicta esse legitur: Discipuli autem qui erant Antiochiæ diebus famis, ex his quæ habebant pro viribus suis ministrauerunt Sanctis, qui erant Ierosolymis, per manus Barnabæ & Pauli. In illo quoque tempore Herodes Rex, qui, sicut sæpè retulimus Agrippa cognominabatur, misit manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia; & interfecit Iacobum fratrem Ioannis gladio. Demum videns quia de Iacobi nece placeret Iudæis, apprehendit Apostolum Petrum, & proiecit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo, quod & fecisset, nisi sancto Apostolo diuinum auxilium affuisset: Angelus enim Domini illum à compedibus soluit, & illæsum abire fecit. Sed non post multos dies, cùm idem Herodes ad Cæsaream descendisset, & in honorem Cæsaris solemniter spectacula populo celebraret, ibiq; adoraretur & acclamaretur Deus, & ille immemor humanę naturæ acclamationem illicitæ adulationis non reprimeret, statim ab Angelo percussus est, vnde graui infirmitate acceptâ, cùm iam toto corpore tumens deficeret, respiciens ad amicos, ait: en ego ille, qui modò dicebar Deus, nunc mortis nexibus meritò constringor. Mortuus est igitur L. ætatis agens annum, Regni verò sui VII. quorum tribus regnauit sub Caio, & quatuor sub Claudio; Cui successit Agrippa filius eius. Igitur primus alienigenarum apud Iudæos ille regnauit Herodes, qui pueros interfecit,; & huic successit Archelaus filius eius, & Archelao frater eius, Herodes Tetrarcha, qui decollauit Ioannem Baptistam, & Dominum nostrum Iesum Christum veste alba indutum, remisit ad Pilatum. Huic quoque successit Herodes Agrippa Aristoboli filius, qui interfecit Iacobum fratrem Ioannis gladio: & post hunc regnauit Agrippa, cuius modò meminimus, qui vsque ad extremum templi durauit excidium, Romanis semper amicus, & ab omni illa Iudæorum seditione tutissimus.

Iacobus frater Ioannis capite truncatur.

Petrus ex carceribus ab angelo liberatur.

Successio Regum Iudæorum.

Petrus Antiochiâ Romam venit.

Claudij Cæsaris prætereà temporibus, Simon Petrus ab Antiochia venit Romam, vt Dominam orbis terrarum ipse per se Princeps Apostolorum conuerteret. Dicebat enim, vt quæ erat magistra erroris, summi discipuli fieret discipula Saluatoris. Quo cùm venisset, salutarem fidem quam verbo docuit, potentissimis etiam virtutibus approbauit. His quoque diebus Marcus eiusdem Apostoli Petri discipulus, qui primus Alexandriæ fuit Episcopus, martyrium consummauit. Hic est Marcus, qui Euangelij librum composuit; non ea quæ vidit, verùm ea quæ magistrum audierat prędicantem, narrauit. Veruntamen Clau-

S. Marcus martyrio afficitur.

dius

dius Imperator, Libertorum & coniugis imperijs subiectus, cùm deficeret, Britannicum suum filium, vxoris Agrippinæ persuasionibus extorrem faciens Romani Imperij, Neronem Octauiæ suæ filiæ maritum, designauit Imperatorem. sicque prælatus est gener filio, ordine præpostero. Mortuus est autem anno vitæ suæ LXIV.

Tiberius Veneno potatur sublatus, machinante coniuge Agrippinâ.

NERO igitur V. ab Augusto Romani Imperij dignitatem adeptus, incarnationis Iesu Christi anno LVI. imperauit annis XIII. & mensibus VIII. Iste quinquennio valdè modestus extitit. Huius denique primo Imperij anno, Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotium suscepit Anianus, post Marcum Euangelistam. Is etiam Imperij sui anno V. Festum Iudęæ Procuratorem fecit; apud quem Ierosolymis causa dictâ Paulus Apostolus Romam vinctus dirigitur, & ibidem per biennium, sicut Lucas testatur, in libera custodia retinetur, indeq; postmodum Dei prouidentia relaxatus, Hispaniam adijt, & Arelati Trophimum, & Viennç Crescentem, discipulos suos, gentibus ad prædicandum reliquit. Sed inde ad supradictâ vrbem reuersus, tentus est & in vinculis positus, & inde secundam ad Timotheum scripsit epistolam. Huius præterea Pauli sunt XIV. epistolæ, quæ post VII. Canonicas epistolas in Ecclesia recipiuntur, X. scilicet ad gentes, & IV. ad discipulos singulariter scriptæ: Ad Romanos videlicet I. ad Corinthios II. ad Galatas I. Ad Ephesios I. Ad Colossenses I. Ad Philippenses I. Ad Thessalonicenses II. Ad Hebræos I. Ad præfatum quoq; Timotheum discipulum eius II. & ad Titum I. Anno præterea VII. Imperij Neronis Iacobus frater Domini, cui Ierosolymis delata ab Apostolis fuerat sedes Episcopalis, à Iudæis lapidatus, & pertica fullonis est excerebratus. Per idem quoq; tempus Festo Iudææ Procuratori successit Albinus, & Albino Florus: Florus autem iste præsente Beronice Regis Agrippæ sorore, quç ad templum causa religionis venerat, honorabiles viros Hierosolymis die solemni flagris verberauit, & patibulis suffixit, vt Iudæorum pertinaciam hac contumelia penitus annihilaret. Quod non ferentes Iudæi, contra Romanos rebellare cœperunt: ad quos domandos mittitur à Cęsare Vespasianus Magister militiæ Romanorum, Titum filium suum maiorem habens inter Legatos; Nam Cæsar Nero in re militari nihil audebat, delicijs, luxu, lasciuiaque resolutus. Circa hos denique dies Simon Magus, cuius ante meminimus, Romam venit, & ita magicis suis artibus populum dementare cœpit, vt à nonnullis adoraretur vt Deus: Qui etiam Neronem Imperatorem ita sibi concilia-

Pauli Epistolæ.

S. Iacobus frater Domini martyrio coronatur.

Signa & caussæ euersionis Hierusalem.

Vespasianus mittitur in Iudæam.

ciliauerat, vt apud eum summum teneret amicitiæ locum: & ipse quidem se credi Iouem volebat: Selinen verò quandam meretricem, quam sibi sociam suorum scelerum fecerat, Mineruam esse dicebat, suamque & eiusdem meretricis imagines tanquam Deorum simulachra adorandas publicè. Regiâ fultus auctoritate, præbebat. Sed Deus Omnipotens per Apostolum suum Petrum vanitates eius & insanias detexit: Simon Magus quamuis in alijs terrarum partibus Petri potentiam esset expertus, tamen ausus est se iactare, quòd mortuos resuscitaret. Defunctus erat illo tempore adolescens nobilis propinquus Cæsaris, admonuêre plerique experiendum, vtrùm posset resuscitari; celeberrimus in his operibus beatus Petrus habebatur; sed apud gentiles nulla factis huiusmodi deferebatur fides; dolor tamen exegit remedium. Perrectum est ad Petrum, fuêre qui Simonem accersendum esse putarent: Adfuerunt vterque, tunc ait Petrus Simoni, qui de sua se iactaret potentia, priores partes sese dare, vt si posset, mortuum suscitaret; & si non resuscitasset ille, se non defuturum, vt Christus ferret opem defuncto, quo posset surgere. Tunc Simon, qui putaret apud vrbem gentilium suas artes valituras plurimùm, conditionem proposuit; vt si ipse resuscitaret mortuum, Petrus occideretur, si verò præualuisset Petrus, in ipsum pari genere iudicaretur. Acquieuit Petrus, assensit concio. Adorsus est prior Simon, & accessit ad lectulum, incantare & immurmurare dira cœpit carmina; tunc visus est agitare caput, qui mortuus erat: & subitò ingens gentilium clamor exoritur, quòd iam viueret, iam cum Simone colloqueretur. Ira & indignatio in Petrum, quòd ausus esset se conferre Simoni: sed Petrus poposcit silentium, & ait: si viuit defunctus, loquatur; si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur, phantasma illud sciatis esse, non veritatem, quòd videatur caput mouisse. Deinde, inquit: separetur à lectulo Simon. Abducitur à lectulo Simon, & remanet immobilis, qui mortuus erat. Tunc astitit Petrus longiùs, & voce magnâ dixit: Adolescens surge, resuscitat te Dominus Iesus Christus; qui statim surrexit, & locutus est, & ambulauit, & cibum sumpsit, & cum matre sua recessit. Et cùm populus in Simonem impetum faceret, vt lapidaretur, ait Petrus: sinite eum, satis est ei ad pœnam, quòd agnoscit suas artes nil valere; viuat, & Christi regnum crescere videat vel inuitus. Torquebatur Magus Apostoli gloriâ, & colligens populum, offensum se dicit à Galilæis, relicturum se vrbem, quam tueri solebat. Diem statuit, pollicetur volatum, quo supernis sedibus inueheretur; & cùm iam volitaret, mirari popu-

Simon Magus Romam veniens, se Deum prædicat.

Cum Petro cõgreditur.

populus, & venerari. Tunc Petrus in medio stans, ait: Iesu Christe Domine, ostende ei vanas esse artes suas, ne hac specie populus, qui crediturus est, decipiatur. Et statim in voce Petri corruit Simon ab alto, & confractis cruribus, mortuus est. Tunc Nero dolens se deceptum & destitutum, iussit vt cōprehenderetur Petrus Apostolus. Dato deniq; die, quo comprehenderetur Petrus, rogabatur à fidelibus, vt se aliò transferret; resistebat ille, dicens: Nequaquam se facturum, vt tanquam metu mortis territus cederet, qui multos doctrinâ suâ compulerit, morti se subdere pro Christo, qui pati voluit pro peccatoribus. Hæc Petro dicente, instabat plebs lachrymis multis, quibus fletibus victus Petrus, promisit se vrbem egressurum; & proxima nocte salutatis fratribus, & celebrata concione proficiscebatur solus; sed vbi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, & adorans eum, dixit: Domine, quò vadis? Et respondit ei Iesus: Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus de sua passione hoc dictum, quod in eo Christus passurus videretur, qui patitur in Sanctis suis, non corporis dolore, sed quadam misericordiæ compassione, & conuersus rediјt in Vrbem, & mox captus à persecutoribus, cruci adiudicatus est. Crucifixus est igitur Petrus capite deorsum; Paulus verò, qui dudum in vinculis tenebatur, in eadem vrbe, capite truncatus est, ipsa eadem die. Sed horum & cæterorum Actus Apostolorum, Lucas, modò dicti Apostoli Pauli discipulus, lucido disertoq; sermone conscripsit, hic etiam Lucas Euangelij librum secundùm traditionem Apostolorum composuit. Porrò Cæsar Nero, sicut hostis iustitiæ & æquitatis, primus in Christianos persecutionem excitauit; qui etiam tam effrenatę petulantiæ fuit, vt nec à matre, nec à sorore cupiditates suas compresserit, quarum parricidio demùm sceleratior fuit: nam matrem, fratrem, sororem, vxorem, & omnes penè suos cæteros propinquos crudeliter interemit. Occidit prætetea plurimos Senatorum: & poëtam Lucretium, & Senecam præceptorem suum; sed & incendium vrbis, vt similitudinem ardentis Troiæ conspiceret, per VII. dies, & per VII. noctes eius pauit aspectum. Qui ex altissima turre prospectans, lætusque flammæ, vt agebat, pulchritudine, tragico boatu Iliadem decantabat. Sed dum hæc & alia multa mala, (quæ recensere per singula nimis longum est) Reipublicæ irrogaret, tandem hostis à senatu iudicatus est, vt qui sacrilegio fidem, parricidio pietatem, incestu pudicitiam violauerat, ipsamque potestatem Romani Imperij, vel officia, seu negotia improbissimis Libertorum commiserat:

Petrus Simonem volare conantem, ex alto præcipitat.

Petrus & Paulus Romæ supplicio afficiuntur.

Prima Christianorum persecutio, priuatim hinc inde nuper inchoata, à Nerone publico edicto instituta.

Incendium vrbis Romæ per Neronem.

Nero post innumeras libidines, immanitatesq; necem sibi ipse consciuit, fugiens fortè paratum sibi à senatu supplicium.

Poetæ illustres.

Petro Linus succedit in Pontificatu.

serat. Cùm enim ipse fidem nulli seruaret, omnes suspectos habebat: duobus tamen nequissimis, Nimphidio, & Gemellio se credendum putauit, quos vilis conditio sibi obnoxios fecerat; verùm ipsi exemplum crudelitatis eius quandoque perhorruère. Nam quia quosque sibi carissimos interemerat, cauere sibi, & præuenire voluerunt, quod metuebant: Ambo igitur facta cum cæteris conspiratione, parricidam deseruerunt. Itaque desertus ab omnibus suis fugit ex vrbe, & seipsum interfecit. Porrò sub Nerone pollebant Romæ Poëtæ, Lucanus, Iuuenalis, Persius, & Seneca Tragicus. Philosophi, Musonius atque Plutarchus. In Romana verò Sede post Petrum Apostolum sedit Linus Episcopus. Adhuc tamen, Nerone superstite, Galba in Hispania creatus est Imperator. Perijt verò Nero ætatis suæ anno XXXII. cuius morte Romana plebs ita exultauit, vt induta pileis, tanquam sæuo exempta Domino triumpharet.

Galba cum filio adoptiuo interimitur.

GALBA igitur postquam Nero dignum meritis suis vitę exitiũ tulit, Romam venit, & imperauit mensibus VII. & diebus totidem. His tamen diebus auaritiæ & segnitiæ deditus, Pisonem nobilem & industrium adolescentem sibi in filium adpotauit: sed hos ambos Otho Romæ in medio foro interfecit.

Otho violentas sibi manus intulit.

OTHO Saluius splendidis ortus parentibus, ex oppido Ferentano, inter tumultus & cædes, Romanum inuasit Imperium, & imperauit mensibus tribus. Contra quem è Germania veniens Vitellius, Lucio Vitellio ter Consule natus, dimicauit. Sed cùm animaduertisset Otho suos vinci in pręlio, seipsum interfecit, sicque Vitellius Romam victor intrauit.

Vespasian Imperator à militibus eligitur.

VITELLIVS imperauit mensibus octo: Interea verò Vespasianus debellabat prouinciam Iudaicæ gentis, inualuit itaq; in exercitu rumor ciuilium bellorum, & de Galbæ & Othonis nece manifestatum est, deq; imperio Vitellij: qui nequior superioribus, quasi fex resederat. Tunc conferre secum viri veteris militiæ cœpêre, & indignè ferre, se primos ad pericula, & vltimos ad honores, quod ab inferioribus Dominos acciperent. Addebant etiam, esse sibi virum strenuum Vespasianũ, quem legi decuerat Imperatorem, æui maturum ad consulendum, & iunioribus validiorem ad præliandum. Adoriuntur itaq; Vespasianum, rogantq; vt gubernaculum Romani suscipiat Imperij, ille abnuere ac se indignum dicere: illi promptius instare, vrgebant illum milites, insistebant Duces. Cessit igitur Vespasianus inuitus, & prius curam, quàm hono-

honorem induit imperialem; vsusq; sapienti consilio, vnà cum filio Tito à Iudæa exiens, festinauit Alexandriam: sciebat enim illic inesse maximas vires Romanæ Reipubl. Conuento deniq; Tiberio Alexandriæ, qui militib. Romanis ibi militātibus præsidebat, & cōpositis erga se reb. suis, prosperè venit Antiochiā: ibique tractatu habito, Mutianū quendā sui exercitus Ducem cum magna parte militum, & nō modico pedestri exercitu transmisit ad Italiam: ipse verò per Cappadociam & Phrygiam iter direxit. Romæ verò Vitellius, posita omni magnitudine nominis ac maiestatis oblitus, conuiuijs inhiabat: sed excitatus sinistro nuncio, Cecinnam quendam Ducem sui exercitus misit, eiq; summam summi commisit periculi: ipse verò luxuria marcidus, tabescebat. Porrò Cecinna Roma progressus, vbi cognouit prævalidam manū aduentare, cominus strenuā bellis, & exercitatam triumphis, seq; cōtra viribus imparē: conuocatis centurionibus suis, suadet bello desistere, quod viribus essent inferiores, & gloria Imperatoris præponderaret, Vespasianū multis sæpè victorijs enituisse, Vitellium vino sepultum, nihil aliud expectare, nisi vt cùm hostis aduenerit, ebrius pereat sine sensu doloris, vicerit Othonē vitijs parem: aduersus eū nunc esse negotiū, qui pænè totum triumphis suis cinxerit orbē; omnibus populis iudicia sua reprehensa propter electi flagitia. Deniq; cū Cecinna pugnare metuit, & moras innectit, repentè Dux alter partis aduersæ, Antonius nomine, iuxta Cremonam ei occurrit, consertoq; prælio Cecinna superatus est, & ceciderunt ex eius exercitu plus quam XXX. M. Quod postquam Vitellius comperit, primùm molitus est deponere Imperiū; sed post à quibusdā animatus Sabinum Vespasiani fratrem nihil mali suspicantem, interfecit. Domitianus verò Titi frater iunior capitolium occupauit, moxq; Vitellius capitoliū incendit. Post diē autem alterū Antonius adest, occurrūt è diuerso, trinoq; circa vrbis mœnia cōgressu habito, fusi sunt & cæsi omnes Vitelliani. Deficientibus itaq; Vitellianis partibus, cū se in quandā proximā pallatio cellulam Vitelli⁹ intrusisset, turpiter inde protractus & excruciatus in forum deducitur, & ibidem occiditur; demum verò collo ligatus, & vnco in Tiberim tractus, communi caruit sepultura.

Vitellius fune turpiter in collū iniecto trahitur in forum, occiditur, & in Tiberim proijcitur.

VESPASIANVS igitur illa turbida Tyrannorum turba discussa, Imperium adeptus Anno incarnationis Dominicæ LXXI. imperauit annis IX. mensibus XI. diebus XXII. Hic multis Iudæorum oppidis captis, sicut superiùs dictum est, audita morte Neronis, hortatu militum Imperator factus, reliquit Titum filium suū ad procurationē Hierosolymorum

morum obsidionis, vt & Romanis non deesset, nec Iudæis, quem filius repræsentaret. Interea verò cùm apud Iudæos corrupta essent legis iura, & violata religio, deseruit eos diuina prouidentia, & non solùm illos vrgebant Romani, sed & ipsi inter se domesticis seditionibus laborabant. Cuius seditionis erant duo Principes, quorum vnus erat Ioannes quidam, vir leuis, populi lues, dolis nulli versutorum secundus; quippe cui nunquã defuit nocendi affectus, doli callidus, fallẽdi artifex, doctus mendacijs quærere fidem; & credulitatem compositis asciscere mendacijs, qui fallaciam virtutẽ putaret, & elegantię duceret carissimos circumuenire: promptus ad conspirandum, & vehemens ad audendũm, acer ad officiendũ; cui etiã erat inquietus animus, prompta audacia, qua processus alebat, & opes ad consociandam perditorum manum. Alter verò erat Simon, non dispar crudelitate, sed tamen inferior operum quantitate: Et ipse erat durus & immitis, & qui nullo affectu ad pietatẽ flecteretur, quiq; nil earũ vel sanctum haberet. Ambo tn. sub obtentu conseruandæ libertatis sæuiebant. Feruebant etiam in populo studia diuersa; alij quippe sectabantur luxuriæ effusiones, & vnguentorum odores: alij verò calamistris crispabant capillos, & stibio depingebant oculos, & muliebri amictu induebantur: alij quoque non solùm ornatum muliebrem, sed mollitiem affectabantur, nam viri muliebria exercere, vocem effœminare, illicitis passionum generibus sexum dissoluere, fracto gressu incedere, comam pascere, vultum dealbare, genas pumicare, barbã vellicare: in hac tamen dissolutione exercere sæuitiam intolerabilem, subitò enim momentanei bellatores reconditos sub chlamydibus gladios exerebant. Denique versabatur inter eos seditio, pax sepulta erat, fides arebat, crudelitas vigebat. Præfati etiam Principes, dum sibi inuicem aduersarentur, diuersis populum conditionibus fatigabant, & terrificabant modis nequissimis & iniquis. Et primùm quòd publicè dehonestabantur Regalis generis viri, aut vinciebantur, vt cæteri terrerentur: Alij quoque falso crimine afflicti in carcere iugulabantur, vt sæuientium Principum nequitia velaretur. Fingebantur itaque calumniæ, qui se redimebat, innocens erat, qui non offerebat pecuniam, tanquam reus feriebatur. Regnabat quippe inter eos misera fames pecuniæ, quæ nihil sequendum putat, nisi quod ad præsens lucrosum, nihil honestum, quod pecuniâ sit vacuum; & hæc passio generaliter inflammauerat omnes ad exercitium flagitiorum. Sacerdotes quoq; peregrini ab ipsa legis cognitione, qui contra sua merita

Ioannes & Simon seditionis Hierosolymitanæ capita.

Vterq; sub specie libertatis conseruandæ sæuit.

Auri sacra fames.

ade

adepti fuerant sacerdotij dignitatem, ad omne nefas, arbitrio nequissimorum Principum, sicut ignobile vulgus, subijciebantur. Sic Principes atque Sacerdotes solutionem legis euidenter operabantur: similitudo enim morum, voluntatis societatem operatur, & cognita studia sibi facilè connectuntur. Et dum hæc Hierosolymis agerentur, Titus executor paterni triumphi cum valida manu ab Alexandria est reuersus, & per desertum agens iter, peruenit ad Ascalonem, & inde in Ioppen, sicque peruentum est in Cæsaream: vbi paulisper commoratus, congregauit militum manum, quæ adhuc in hybernis agebat. Et cùm iam hyemis asperitas deficeret, assumptis secum equitibus numero DC, perrexit exploratum equitatu ante vrbem Hierosolymorum, loci situm, munimentorumque qualitatem, & murorum altitudinem, & studia plebis. Inspexit igitur totum muri ambitum per circuitum, & in crastinum existimauit adoriendam obsidionem. Obsedit ergò eam die solemni Paschæ, quo frequens eò conuenerat turba Iudæorum; iusto scilicet Dei iudicio, tempore vltionis electo: vt qui in diebus Paschæ Saluatorem nostrum cruentis manibus & sacrilegis vocibus interemerant, in ipsis etiam diebus velut in vnum carcerem conclusi feralis pœnæ exitium, quod merebantur, exciperent. Sed vbi hostis adesse visus est, domestico fœdere sequestrata sunt ciuilium bellorum certamina: plerumque enim acerba odia metus comprimit. Denique cohortati sunt se inuicem factionum viri, vt in vnò conspirantibus studijs patriam defensarent, ne eorum discordia incruentam Romanis daret victoriam. Freti igitur numero, hostem subitò adoriendum putarunt, & improuisa eruptione primos turbauêre: sed Romani vsu veteri, & diuersarum gentium prælijs exercitati, sese armis confirmauêre, & ordine suo nixi incursantes cœperunt cædere, scutis repellere, proturbare iactu telorum, non sine communi exitio. Nulla intermissio, nulla requies, nullæ dabantur induciæ, momentis omnibus dimicabatur. Iohannes cum suis in castro, cui nomen Antonia, præliabatur. Simon verò ad cuiusdam Iohannis sepulchrum vicem tuendæ vrbis susceperat. Et Iudæis quidem pro salute, Romanis verò pro victoria certamen erat. Simon arguebat suos terrore & formidine; Titus verò Romanos sui pudore, quàm maximè conueniebat. Titus militem monebat consilio pugnare, & eam solam dicebat esse virtutem, cui comes est prouidentia; fortitudinem autem sine consilio videri temeritatem. Cæsi sunt multi mortales, admouentur denique arietes, quibus ferirentur valida murorum

Titus executor paterni triumphi.

Initium Obsidionis Hierosolymitanæ.

Seditiosi odiorum ac discordiarũ obliti, in vnum corpus coëunt.

Iudæorum cum Romanis conflictus.

ædifi-

ædificia, quibus quatientibus paulatim cedebat murus: vnde ipsum maiorem arietem appellabant Iudæi vrbium excisorem. Solutâ itaq; parte murorũ dereliquerunt propugnacula primi muri, & concessêre ad secũdum murum, securi quòd duos muros alios interiores haberent: fugientibus Iudæis, Romani ingredientes portas aperuêre; tunc intromissus exercitus diruit murum exteriorẽ, ne bellantibus Romanis esset impedimento, & rebellantibus Iudæis defensaculum ad salutem. Bellum cursus accenditur, imminebant partibus Duces. Erat ciuitas plena horroris, vbiq; luctus vbiq; pauor, clamor mulierum, eiulatus senum, morientium gemitus, iuuenum desperatio. Nec humare quenquam vlli vacabat, dũ bello occuparentur vniuersi, feriendi magis quam humandi curâ retinerentur: omnes ergò artus cæsorum diro fœtebant odore. Denique Cæsar iubet admoueri arietem ad murũ secundũ: Iudæi verò ad exurendas machinas ignes iaculabantur. Tandẽ tamen vi insistẽtis Cæsaris solutus est murus secundus: vnus iam murus, hoc est tertius, supererat, duobus subuersis, cùm Cæsar milites temperari iubet, aduertens præcipitẽ pertinaciam Iudæorum, & studet operibus admiscere sermonẽ, ne fortè per desperationẽ peruicaciùs niterentur. Suadet ergò ne se vrbis incendijs inuoluerent, sed permitterent eam suæ potestati, quę armis iam teneretur, & circũdata obsidione premeretur, promittens cedentibus veniam se præstaturũ, si modò vel sibi, vel patriæ consulerẽt, ne tanta ciuitas dirueretur. Verùm arbitros & incentores seditionis magis scelerum pęna, quàm aduersa belli terrebat fortuna: populi tamen pars non modica ad Cæsarẽ erumpere cupiebant; sed crudeles Principes seditionis retractantes, quæ in plebẽ grauibus perpetrauerant flagitijs, dum nullũ venię locũ sperarent, perire cum omnibus malebant. Cæsar ergò post triduũ, quia nihil à Iudæis pacificũ deferebatur, gemino agmine mœnia aggreditur, & duos aggeres attolli imperat: vnũ contra Antoniã & alterum contra murũ, qui erat ad Iohannis sepulchrũ. Tunc etiam è diuerso distribuunt sibi Iohannes & Simon officia defensionis; & omnes obsidentium conatus, quibus generibus defensionũ poterant, eludebant. Interea clausis insuderat se miserabilis fames, & frumentum non inueniebatur; nullus panis in publico ferebatur; sicubi compertũ fuisset, ilico domus expugnabatur, ædium dominus iugulabatur, auferebatur quod occultauisset: si non repertũ fuisset, quasi diligentius absconditum foret tormenta inferebantur. Itaque iã in occultis, & in abditis mandebant incocta cibaria, nulla mensa, nullũ sedile, nulla lux, ne quis interueniret: miserabilis cibus, lachryma-

Romani primo muro potiuntur.

Miserabile, dignumq́; lachrymis spectaculũ.

Titus secũdo muro potitur.

Titi erga Iudæos benignitas.

Populus inopiâ laborat, & penuriâ victus multi deficiunt.

lachrymabilis esca, filij parentibus, parentes filijs de ipsis faucibus cibum rapiebant. Ipsa etiam equorum cadauera, si fortè reperissent, inter se trahentes graui prælio decerpere festinabant; alij cortices arborum detrahebant, alij radicibus vescebantur herbarum, plerisque aliorum vomitus esca fuit. Proinde diuitibus aut in vrbe permanere, aut perire, vnum & idē erat: si enim in vrbe permansissent, facultatum suarum causa obiecto crimine, quasi qui de transfugiendo cogitarent, perimebantur. Præcisæ vndique spes miserorū; nam fugiendi nulla copia erat, fremebat enim intus Simon, & furebat Iohannes, & cauebant ne cui liceret de populo vrbem exire, maiorq; cura erat eis egressionē suorum, quam ingressus cauere Romanorum. Et si quis fortè deprehensus fuisset, qui fugere tentaret, graues pœnas dabat, & iam non argumentis veritas, sed supplicijs quærebatur. Eorū etiam qui fugerant proximi trucidabantur, aut crucibus affixi, his quòd lapsi fuerant ostendebantur. Miserabantur Romani, immouebantur Iudæi; compatiebatur hostis, socij non flectebantur; sic lius apud aduersarios pietas, quàm apud socios reperiebatur. Optabant pleriq; se mortis compendiū, cùm & fames afficeret, & crudelitas excruciaret. Inualescens deniq; acerbitas famis, familias gentemq; vastabat, ita vt foris, & in penetralibus strata iacerent mulierum virorumq; cadauera. Ciuitas plena mortuis; sed nullus eiulatus in exequijs; quia omnem affectum vis mali concluserat, nec erat iam vllus doloris locus in communi omnium calamitate. Miserabilis erat congeries insepultorum cadauerum, & in circuitu longo terra ipsa tecta cadaueribus. Terribilis species, horror grauis, odor pestilens, qui nec victores, nec victos discerneret, erat enim simul omnibus noxius. Sed quid opus est pondus illius famis explicare, quæ in ipsas descēderat populi medullas, cùm gestum sit ibi facinus, quod neque apud Græcos, neq; apud barbaros vllus accepit auditus. Manebat intra ciuitatem mulier quædam, genere & facultatibus nobilis nomine Maria, quæ cum reliquâ multitudine, quæ confluxerat Hierosolymas, suas eò deuexerat opes, quas primū Principes factionum certatim inuasêre, & quicquid alimentorum habebat, de manibus eruebant: Exagitabatur à perditis, dira imprecabantur à perditis; volebat mori, sed percussorē non inueniebat; malebant enim eā diutius affligere grauiùs, quàm citò perdere, quia putabant prædam fore quā diu viueret. Iā defecerant omnia, & iā delicijs assuetam dira fames asperiora palearum, vel dura coriorum edere compellebat. Habebat infelix mulier infantulum quē genuerat,

Ingens & horrenda fames in vrbe.

Miserabilis victus.

Iudæorum in aduersis dura constantia.

Multitudo congestorū in ciuitate Cadauerū horrenda visu.

Mulier per famem filium coxit.

cuius vagitu excitata, quæ se & paruulum commacerari videret, multis iam victa malis & calamitatibus, necnon & fame, quæ infuderat sese in medullas eius, dolorem absorbuit, furorem assumpsit, conuersaque ad paruulum, iam matrem oblita, sic ait: quid tibi faciam paruule? quid faciam tibi? sæua te circumstant omnia, bellum, fames, incendia, ruinæ, latrones & expilatores; cui te moritura credam, aut cui te tantillum relinquam? speraueram si adoleuisses, quòd me pasceres matrem, aut sepelires defunctam, & si me obitu præuenires, ego te pretioso meis manibus includerem monumento; quid agam misera? viuendi tibi aut mihi nullum video subsidium: omnia sunt nobis erepta, cui te reseruabo, aut quo condam sepulchro, ne canibus, vel alitibus præda sis? omnia enim, inquam, erepta sunt nobis: potes tamen dulcis meus matrem esurientem pascere; Idoneæ carnes tuæ ad cibum. O mihi suauia viscera, artus iocundi! Antequam consumat vos fames, reddite matri quod accepistis, redite inquam, in illud naturale secretum, in quo domicilio viuentem Spiritum suscepistis, in eo tumulus defuncto paretur, ipsa complectar quæ genui, ipsa exosculabor. Esto ergò mihi cibus; horror latronibus, & fabula vitæ, ne quid desit nostris calamitatibus. Et hæc dicens, auerso vultu cultrum demersit, & in frusta filium secans igni supposuit, partem comedit, & partem operuit, ne quis superueniret: sed odor & nidor incensi peruenit ad principes seditionis, & odorem secuti intro ierunt mulieris hospitium minantes necem, quod ausa esset ipsis ieiunantibus edere, & exortes eos facere cibi, quem repetissent. At illa, partem vestram vobis seruaui, nec auara nec inhumana: nolite indignari, habetis quod & vos edatis: de meis vobis visceribus cibum paraui, considere ocyus, mensam apponam: mirari habetis ministerium meum, & iudicare, quod in Iudæa nullius talem mulieris affectum inueneritis, quæ vos nec dulcis filij fraudauerit membris. Et hæc dicens discooperuit ambusta membra, & epulandum eis tradidit cum adhortatione huiusmodi: hoc est prandium meum, & hæc est vestra portio, videte diligentius ne vos fraudauerim; ecce pueri manus vna, ecce pes eius, ecce dimidium reliqui corporis; & ne alium putetis, filius meus est iste. Ego denique diuisi mihi quod manducarem, & quod vobis seruarem. Numquam mihi dulcior fili fuisti; tibi debeo quod adhuc viuo, tua suauitas animam tenuit meam, & produxit matri miseræ diem mortis, subuenisti in fame, tu munus supremum senectæ, tu percussoris repressor. Venerant neca-

Matris miserabile ad filium alloquium. priusquam illum mactat.

Seditiosi nidore pueruli recenter cocti, inuitati, à matre minaciter cibum paratum poscunt.

Mater iterum miserabiliter filium semimansum alloquitur.

turi;

nui; conniuæ facti sunt. Habebunt & ipsi quod tibi debeant, cùm epulas meas sumpserunt. Sed quò refertis gradum? quid horrescitis animo? cur non epulamini quod mater fecit? possunt & vos delectari epulæ, quæ matrem exsaturauêre. Iam postquam me filius pauit, & abundè exsatiata sum, famem nescio. Gustate & videte quam suauis est filius meus, nolite molliores matre fieri, infirmiores muliere: aut si vos estis in meo vulnere misericordes, & non suscipitis hostiam meam, atque auersamini holocaustum meum, ego consummabo sacrificium meum: manducabo quod reliquum est, videte ne vobis opprobrio sit, quod fortior vobis mulier reperta sit, quæ assumeret epulas virorum. Ego quidem tales paraui epulas, sed vos sic epulari matrem fecistis: & me tenebat passio, sed vicit necessitas. Repleuit continuò totam vrbē, tanti sceleris nefas, & vnusquisque ante oculos positum parricidalis conuiuij ministerium perhorrescebat. Cœperunt ipsi incentores seditionis examinare post hæc, ne similes escas inuenirent, & velut imprudentes sumerent. Cœperunt quoque vniuersi timere, ne diu viuerent, & mori velle. Sed & plerique hoc horrore perterriti ad hostem fugerunt. Quo comperto Cæsar execratus infelicis terræ contagium, manus eleuans ad cælum talia protestabatur: ad bellum quidem commilitones venimus, sed aduersus homines belluis ac feris crudeliores decertauimus. Diligunt feræ fœtus suos, quos etiam in fame nutriunt; sed & ea quæ alienis pascuntur corporibus à consimilium ferarum abstinent cadaueribus. Hoc est vltra omnem acerbitatem & impietatem, vt membra quæ genuit mater deuoret, ab hoc contagio me tibi mundus absoluo, & quæcunque in cælo potestas es. Scis enim quia intimo affectu pacem frequenter obtuli; quia volebam populo parcere, vrbem seruare: sed quid facerem, sæpè à mœnibus reuocato exercitu monui, rogaui, incendia restinxi: & ipsi nos de muris sæpè hortati sunt dimicare, ne grauius perirent à suis. Quales sunt ciues quibus hostis remedium est? Audieram quidem quod hic populus incredibilibus opinionibus se excitaret in omnem insolentiam. Aiunt se de cælo genus ducere, & ibi primùm induisse corporis formam, cæli fuisse incolas, descendisse ad cultus terrarum, de terris ad cælum redisse, transisse per maria sicco vestigio, fugisse ante se fluctus maris, conuersa Iordanis fluenta retrorsum: Asserunt etiam stetisse solem, vt hostes suos vincerent, ne nox eos impediret: quosdam

Protestatio Titi, & insignis ad milites oratio.

Titus cladē Iudeorum ex animo miseratus est.

suorum raptos in cælum igneis curribus, prœliatas pro se potestates, & absentibus his vniuersas hostium fusas copias, dormientibus partam victoriam. Postremo quando his potest deesse audacia, qui, vt aiunt, mortui viuunt, & sepulti resuscitantur? Sed & opinio frequens intulit auribus nostris aduersus Deum conspirasse hos homines, & pœna indicio est: ardent enimuerò terræ propter incolarum impietatem. Videmus mare mortuum: videmus & virentium fructuum vmbras inanes, foris gratiam, intus fauillam. Quis dubitare potest, quod apud inferos versemur, & vbi iam elementa quodammodo mortua sunt? Quinetiam ipsa, quæ post mortem viuere solet, naturæ pietas, apud hos mortua est, & superstes defunctis religio. Quis enim parentes etiam mortuos non diligat? quis amissos filios non amet, & loco pignorum teneat? manet affectus, & si pignus obierit, perseuerat nomen; gratia naturæ non intercidit. Apud hos verò nec viuentem mater recognoscit filium, nec audit appellantem, nec miseretur; sed propter vnius horæ execrabilem cibum infert filio parricidales manus. Infelix ciuitas, in quâ talis officina, taleque ministerium est. Operiant eam ruinæ suæ, & abscondant huiusmodi contagium, ne sol videat, & ne stellarum globus spectet, aut maculentur aurarum spiramina. Thyesteas dapes fabulam putabamus, flagitium videmus, cernimus veritatem tragœdijs atrociorem: ibi enim firmior sexus, & pastus alienus & aliena fraus; hîc autem propria voluntas Ille doluit: hæc insultauit, digna talibus viris pœna, qui pertinaciter bellando mulieres suas ad tale coëgerunt conuiuium. Maturius igitur bellum conficiamus & fugiamus regionem istam execrabilem, & perniciosam: & his dictis admoueri muro arietes iubet. Euoluto itaque biennio postquam obsessa est Ciuitas, victor Titus machinis & alijs bellicis instrumentis muros eius irrupit, non tamen sine suorum sanguine. Rupto itaque muro, solitò terribilior increpuit sonitus tubæ ipso diei crepusculo; quo fessi labore de improuiso Iudæi turbantur, somnoque solati antè cœpêre fugere pauore perterriti, quàm veri fides pateret. Titus verò audito tubæ fragore exercitum suum ad arma concurrere iubet, & orto mane electorum circa se conuocatâ cohorte murum ascendit, suis auxilio, hostibus impedimento. Iam per aditum hostes irruebant, iam cuncta turbauerant, iam que ciuitatem tenebant. Exclusi vndique Iudæi in templũ se cateruatim conferunt. Romani fiunt eis obuij, & instaurant prælium ante vestibulum templi, ibique furor bellicus dominature

Post varias clades ac perpessam famem inauditam, Hierosolyma capitur ac tota cum templo vastatur.

minatur: nec iam spiculis; nec sagittis res agitur; sed manus inuicem conseruntur, fiunt vulnera super vulnera, gladius obtunditur ferri rigore, ictus infligitur super ictum, obtruncantur plurimi; sed maximè vulgus ignobile, vbicunque occurrerat, sicut grex interficiebatur: nullis enim armis munitum, nec rebellando vulneri, nec retorquendo idoneum erat. Cerneres sanguine quasi fluuio terram decurrere, & cæsorum congeriem. Temerabantur Sancta Sanctorum belli necessitate, maiore tamen suorum quam Romanorum insolentiâ: nam cum furore ac temeritate adibant Iudæi ipsa templi penetralia, & madidas manus humano gerentes sanguine tractabant altaria. Vbique strages, vbique luctus, vbique periculũ, vbiq; clamor, vbiq; desperatio, nullus locus vacabat periculo. Resonabant clamores, personabant gemitus morientium, atque viuentium. Itaq; confuso strepitu tota ciuitas implebatur. Verùm nocte superueniente vterque paululum requieuit exercitus. Sequenti verò die præcepit Cæsar ianuas argento opertas succendi: & admoto igne cœpit argentum defluere, ac demum paulatim lignum ardere, sicque in porticum interiorem aditus patescere. Sed miseratus Cæsar ne templum exureretur, vocauit ad consilium Duces exercitus dicens: non sibi cum insensibilibus esse certamen, nec bellum cum ædificijs, quæ victoribus sufficerent, si inexusta reseruarentur. Duces verò dicebant altitudinem parietum, & templi munitionem Iudæis in reliquam ætatem incentiua futura; radices rebellionis funditùs euertendas, ne recrudesceret iterum temeritas. Iudæi quoque dum insidiantur volentibus incendia templi restinguere, cæsis aliquibus, hostem accenderunt. Vnus itaque de Romanis admouit ignem portæ templi, quæ aurea vocabatur, & liquefactus auri rigor illicò lignum nudauit: exustis denique valuis furor ignis in penetralibus templi sese proripuit. Turbati omnes qui se templi munimine defensabant; dumque se in superiora, auratum spiramine ignis attolleret, magnum omnibus Iudæis dolorem infudit: deinde omnes fusi qui erant in templo Romanorum gladijs feriebantur. Flamma iam depascebat templi conclauia, & accurrit Titus cupiens, cuiusmodi esset ædes inspicere: cuius gratia motus præcellentiorem fuisse templorum suorum operibus fatebatur. Mirabatur saxorum magnitudinem, metalli nitorem, venustatem operis, gratiam pulchritudinis. Pronuntiabat etiam non immeritò tantam fuisse loci celebritatem: & quod tam honestum, non nisi summi Dei crederetur domicilium. Interea verò prædones irruentes in om-

Ingens cædes in vrbe & calamitas.

Clamor & vlulatus Iudæorum pereuntiũ.

Cæsar sanctum templi seruare, idq; frustra conatur.

Templum sanguine & igne repletum.

in omnia, quæcunq; intus erant exinanibant, & iterum strages magna in eos qui resistebant Iudæos agitabatur. Tunc etiam fugientibus seditionis principibus, vnus ex Sacerdotibus sese dedit, & quædam vasa sacerdotalium ministeriorum, lucernas videlicet & duas mensas, crateras, & phyalas aureas; sed & peripetasmata templi. Fessi denique multâ cæde Romani, quærebant quibus mancipia captiua venderent, sed quia plurimi venales, & pauci inueniebãtur emptores, nõ defuêre qui XXX. mãcipia vno numismate mercarentur. Tunc etiam comprehensus Phinees custos gazophylatij templi, ostendit sacerdotum multam purpuram, & coccum, & cinnamomum, & casiam, & thymiamata, & aromata multa, & vasa sacramentorum, & vestem sanctam Summi Pontificis. Iohannes præterea de occultis exiens non multò pòst se Tito dedit, fame tabidus, ieiunioque confectus. Simon autem latuit cum paucis se recondens fidelioribus; sed vbi & cibus defecit, & nullus euadendi exitus patuit, ad superiora erepsit, indutus veste pretiosa, quem Rufus Terentius Romanæ militiæ Tito præsentauit. Concremata igitur est Ciuitas, & murus ad solum vsque deiectus. Cæsa per omne tempus obsidionis innumera M. Iudæorum; sed non omnium eiusdem regionis ac loci: quia eò vndique conuenerant multi causa solemnitatis paschalis. Captiui adducti ad DCCCC. VII. M. Qui fuêre nobiles, & validiores triumpho sunt reseruati, Quidam etiam captiuorum fermè per singulas vrbes, per quas remeabat Titus, bestijs obijciebantur, vel cæteris supplicijs perimebantur, vt longè lateque per orbem rebellium supplicio metus spargeretur. Hoc est templi supremum excidium, quod anno M. C. II. contigit à conditione sua. Hoc etiam Dominum Iesum Christum, antequam crucifigeretur, liquidò significasse Euangelij lectio docet. Consummatum est hoc bellum annis quatuor: duobus quidem Nerone viuente, duobus quoque postea. Verumtamen antequam templum exureretur, fermè per annum vnum supra ipsum Cometes apparuit, gladij quandam in se ferens similitudinem: denuntiabat enim ferro, igni, gentis, regni, vrbisque ipsius pariter futuram vastitatem. In ipsa denique Pentecostes solemnitate nocturno tempore ingredientes Sacerdotes templi interiora, vt assueta offerrent sacrificia, motum quendam se sensisse primùm professi sunt, & demum sonitum editum audisse se repentina voce clamantium: Transeamus hinc. Octauo igitur die mensis VII, concremata est ciuitas, & templum funditus est euersum. Denique Vespasianus & Titus Imperatores magnificum

XXX. mãcipia vno numismate vendita.

Simon & Ioannes dedunt se Romanis.

Numerus Cæsorũ & captiuorũ tempore obsidionis.

Prodigia quæ excidiũ Hierosolymæ præcesserunt.

nificum & memorabilẽ de Iudæis agentes triumphum, Romam ingressi sunt: continuoque omnibus bellis atque tumultibus, domi forisque compressis, pacem toto Regno Romano pronũtiauerunt. Tunc etiam Achaia, Lydia, Rhodus, Byzantium, Samus, Thracia, Cilicia, Comagena, in prouincias redactæ, Romanis legibus paruerunt. A Vespasiano denique Romæ Colossus erigitur, habens C. & IX. pedes proceritatis. Romam quoque incendijs deformem ædificiorum copiâ renouauit: nam Capitolium, & ędem Pacis, & Claudii monumenta reparauit. Itaque hunc Romana Respublica, iam exanguis sæuitia Tyrannorum, quasi fato quodam, ne penitus rueret, assecuta est. Verùm anno vitæ suæ LXX. serijs ioca, quibus delectabatur, admiscens, interijt. Nam dùm ventris eluuie fessus surrexisset, stantem, ait, Imperatorem excedere terris decet, sicq; exanimatus est: Cui successit Titus filius eius. In Romana verò Cathedra Sancto Apostolo Petro Linus successit, & Lino Cletus.

Vespasianus aluo ad defectionem vsq; solutâ stans moritur.

S. Petro in Pontificatu Linus succedit, & Lino Cletus.

TITVS ergò Vespasiani filius patri succedens in Regno, Anno Incarnationis diuinæ LXXXI. imperauit annis II. & totidem mensibus. Hic fuit vir omnium virtutum genere mirabilis, & morum pariter imperialium floribus adornatus, & qui nulli quicquam negaret. Huius etiam fuit illud celebre dictum, quo ait, se perdidisse diem, quo nil militibus suis largitus fuerat. Qui in tantum facundissimus extitit, vt causas latino poëmate peroraret, & tragœdias græcè componeret. Verùm assumptæ dominationis toto decurso biennio, cum ingenti suorum luctu, in eâdem, qua pater suus, villa defunctus fuerat, apud Sabinos febre exanimatus est, anno vitæ suæ XL. primo.

Moritur ingenti omnium mærore, veneno, vt quidam existimant, à fratre Domitiano ipsi parato.

Igitur post extremum Iudaicę plebis excidium, eorundem breuiter arguam Iudæorum perfidiam, qui nondum in Christum credere volunt. Maximus error versatur in cordibus Iudæorum, quibus spiritualis intellectus non emicat, in pagina diuinarum scripturarũ. Contemptibilis enim eis in Christo videtur carnis infirmitas, & corpus de fœmina sumptum, & opprobrium Crucis: in quibus stultã fecit Deus sapientiam huius mundi, sicut ait Apostolus: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Et alibi: Vbi sapiens, vbi scriba, vbi conquisitor huius seculi: Nonnè Deus stultam fecit sapientiam huius mundi? Sed quoniam non per sapientiam suam cognouit eum mundus, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes: quoniam quidem Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt.

Excursum hunc in Iudæos, qui in M. S. meo desiderabatur, ex fragmento Freheriano, Iuoni falsò adscripto, supplendum esse censui.

Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis scandalum, gentibus verò stultitiam. Ipsis verò vocatis Iudæis & Græcis Christum, Dei virtutem, & Dei sapientiam. Quoniam stultum Dei sapientius est hominibus: & infirmum Dei fortius est hominibus. Propterea quippe totum hominem suscepit Deus in se; vt totum quod est homo, à peccatorum peste sanaret. Et ideò per passionem Crucis voluit mori, vt per gloriam Resurrectionis suæ nobis aditum repararet vitæ. Et hæc gratia qua sanat infirmos: non superbè iactantes falsam beatitudinem suam, sed humiliter confitentes miseriam suam. Ipsi autem hoc quasi stultum & infirmum, velut sua virtute sapientes fortesque contemnunt. Dicunt etiam non adorandam Trinitatem; cùm lex eorum dicat: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Quod eis ideo intelligimus esse dictum, ne Deos colerent alienos: quia iam vnum in substantia & maiestate Dominum cognouerant. Porrò nos vnam in Trinitate colimus diuinitatem; cuius Trinitatis admirabile Sacramentum Psalmista nobis aperuit, qui ait: Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Verbum Domini, Christum volens intelligi; & spiritum oris eius, Spiritum sanctum, qui in ipso mundi principio super aquas ferebatur: vt pro arbitrij sui liberalitate rudibus creaturis vitæ vigorem infunderet. Et trinam iterum esse non simplicem suę maiestatis essentiam, ipse Deus loquens in Genesis libro, cùm hominem creare disponeret, nobis ostendit, cũ ait: Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram. Non enim dixit: Faciam hominem ad imaginem & similitudinẽ meam; Sed, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostram. Et, quia nefas est credere, hominem factum ad imaginem Angelorum, aut eandem esse imaginem Angelorum & Dei, rectè ibi intelligitur pluralitas Trinitatis. Sed quoniã Trinitas vnus est Deus: sequitur, & dicit: Et fecit Deus hominem ad imaginẽ Dei; Et non dixit: Fecerunt dij hominẽ ad imaginẽ eorum; Hominem scilicet interiorem, non exteriorẽ, qui inuisibilis est per naturam, vt Deus immortalis, nihil habens graue neq; caducum. Nam exterior homo corporeis lineamentis compactus atq; coniunctus, facilè dissoluitur, & labefactus tabescit: ideoq; non Deo similis, sed esse dissimilis comprobatur. Et hæc de Trinitatis essentia dixisse sufficiat. Porrò Dauid Christum Dei filium esse testatur, vbi ait: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Et hunc eundem esse Deum & hominem, Ieremias perhibet

hibet dicens: Hic est Deus noster; & non æstimabitur alter ad eum, qui inuenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo. Et post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Locum quoq; Natiuitatis eius designat Michæas, inquiens: Et tu Bethlehem Ephrata, non es minima in millib⁹ Iuda, ex te enim exiet, qui sit Princeps in Israël, & possessio eius ab initio seculi. Et de Apostolorũ electione Psalmista locutus est, dicens: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terrã. Et de prædicatione eorundẽ Apostolorum: In omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum. De Passione proinde ipsius Esaias loquitur, dicens: Vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra. Et item post pauca: Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: & sicut ouis ad occisionem ductus est. Et quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Qualitatem autem Passionis Dauid declarat, dicens: Foderunt manus meas, & pedes meos. De Resurrectione quoq; eius sic cecinit, & ait: Nõ derelinques animã meã in inferno: nec dabis sanctũ tuũ videre corruptionẽ. Et de Ascensione inquit: Et ascendit super Cherubin. Locũ quoq; sessionis eius insinuat, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. De æternitate etiam regni ipsius: Et ego primogenitum ponã illum: excelsum præ Regibus terræ: In æternum seruabo illi misericordiam meã, & testamentũ meum fidele ipsi; & ponam in seculum seculi semen eius: & thronum eius sicut dies cœli. Si autem dereliquerint filij eius legẽ meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea nõ custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autẽ meam non dispergã ab eo. Neq; nocebo in veritate mea, neq; prophanabo testamentum meũ: & quæ procedunt de labijs meis, non faciã irrita. Semel iuraui in Sancto meo, si Dauid mentiar, Semẽ eius in æternũ manebit. Et thronus eius sicut sol in cõspectu meo: & sicut luna perfecta in æternũ, & testis in cœlo fidelis Ecclesia nempe sancta semper in suæ fidei cõstantia permanebit, sicut promissum est: donec finito mundi termino, omni corruptione deposita, recipiat carnalem, sed sine corruptione, substantiam. Veteris verò ceremonias testamenti, noui euacuatas esse constat plenitudine testamenti: sicut solet puerilem ætatem virilis ætas excludere. Decebat enim, vt arbiter æternus, per famulum suum Moy-

sen hominibus minora præcepta daret; Et sua præsentia sublimiorem elis vitę viam postmodum demonstraret. De qua legis euacuatione, Ieremias propheta vaticinatus est, dicens: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo supra domum Israël, & supra domum Iuda testamentum nouum, nec secundùm testamentum quod disposui patribus eorum, cùm apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti. Cessare verò ipsas veteris legis ceremonias, Daniel præuidit, cùm ait: cum venerit Sanctus Sanctorum, cessabit vnctio. Vnde iam ipsi sine Rege, sine Sacerdote, & sine sacrificio sunt. Sed cùm hæc vident, & Christum adhuc venisse dubitant credere, impletur in eis quod scriptum est; Oculis videant, & non videant, corde intelligant, & non intelligant, ne quando conuertantur, & sanem eos, dicit Deus. Porrò ideò Deus homo fieri voluit, vt hominem, quem fecerat, perire non sineret. Voluit etiam ideò humanam assumere carnem, vt peccatum ab homine contractum, ab homine piaretur. Decebat etiam, vt qui legem homini dederat, legis eius decreta per assumptum hominem perficeret. Et vt ad imitationem iustitiæ & sanctitatis humanum genus non tam vi cogeret, quam per assumptum hominem inuitaret. Igitur homines suum legislatorem viderunt prę̨sentem, vt necessariò illum imitarentur legis opera facientem. Sed fortè nunc dicit aliquis; potuit aliquis Angelus à supernis sedibus mitti, qui bonos homines à malis separatos ad superna gaudia raperet: & malos diuina fultus autoritate, cum diabolo malorum incẽtore, pœnis gehennalibus deputaret. Verùm non erat congruum, vt homo, qui ab Angelo maligno fuerat factus corruptibilis, per quemlibet Angelum redderetur incorruptibilis. Porrò hæc contra Iudæos sub specie prologi dixisse sufficiat, & hanc metam finis suscipiat.

DOMITIANVS igitur frater Titi iunior, Romanum sumens Imperium dominicę Incarnationis Anno LXXXIII. imperauit annis XV. & mensibus VI. Iste primò clemens visus est. Cattos Germanosque bello deuicit; ius quoque perorabat æquissimè, & Romę multa construxit ędificia; inter quæ ędificauit Romæ templum mirificum, quod Pãtheon antiquitas vocabatur, sed nunc in honorem Sanctę Dei Genitricis Mariæ, & omnium Martyrum consecratum esse dignoscitur. Dehinc verò atrox factus, post Neronem secundam in Christianos persecutionem exercuit, & in tantam superbiam euasit, vt Deum & Dominum totius orbis se appellari iuberet. Magna denique crudelitate erga

Persecutio secunda sub Domitiano.

extraneos

extraneos & domesticos saeuiens, in vrbe Roma nobiles & illustres viros nullo iure, nulla ratione trucidauit, & multos in exilium trusit: inter quos etiam Iohannem Apostolum, quem Dominus Iesus Christus semper amauit plurimùm, quique in Cœna super pectus eius recubuit, & cui dum penderet in cruce Matrem virginem virgini commendauit, propter insuperabilem euangelizandi constantiam, in Patmos insulam relegauit, vbi positus Apocalypsin signatis edidit sermonibus. Huius praeterea Caesaris Domitiani anno IV. apud Alexandriam Aniano, qui Marco successerat, successit Habilius. Hierosolymis verò sancto Iacobo Patriarchae successit Simeon, filius Cleophae. In Romana verò Sede eadem tempestate Cleto Papae Clemens successit. Iste est Clemens Papa sapientissimus atque sanctissimus, qui magnificos viros in Gallias ad collocandū destinauit Dominicae fidei fundamentū, Lugdunensibus Photinum, Narbonensibus Paulum, Turonensibus Gratianum, Cenomannis Iulianum, & alios plures, per quos per illas regiones fidei doctrina profecit, & immensę multitudinis populus ab idolorum cultura recessit. Sed cùm Domitianus in vrbe Roma senatum, populumque laniaret, & foris malè dispositum exercitum assidua hostes caede conficerent, à Senatu est damnatus, & in Palatio interfectus. Hoc quoq; definitum est, vt omnes, qui ab eo in exilium trusi fuerant, decreto Senatûs reuocarentur, & suas reciperent facultates. Perijt autem anno vitae suę XL. quinto, corpusque eius humana caruit sepultura.

S. Ioannes relegatur in insulam Patmos.

Cleto Papa Clemens succedit.

NERVA denique senex, Domitiano exitiabili Tyranno successit, anno Incarnationis Dominicae LXXXXIIX. Petronio Praefecto fautore, & Parthenio Spadone, interfectore Domitiani. Imperauit autem anno vno. Hic iurgiorum disceptator, & scientissimus & frequens fuit. Hic quoque primo suo edicto cunctos exules reuocauit, quos Domitianus exiliauerat. Vnde beatus Ioannes Apostolus ab exilio Ephesum redijt, quasi ad propriam scholam. Pullulauerant interea per Asiam haereticorum semina quaedam, Cerinthi scilicet & Ebionis, & caeterorum, qui negant Christum in carne venisse; quos idem Theologus in epistola sua Antichristos appellat: mundum ab angelis factum esse dicentes, & Iesum hominem tantummodò fuisse, nec resurrexisse. Irridebant quoq; ecclesiastica dogmata, & resurrectionem mortuorum non credebant. Cùm redisset ergo ab exilio iam dictus Apostolus, compulsus est ab Asiae fratribus, & multarum legationibus Ecclesiarum, de coaeterna Patris & Christi diuinitate facere sermonem: qui mox in ipso

Cerinthus & Ebion haeretici.

sui

sui sancti Euangelij exordio patenter ostendit, quòd in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Cuius nos informati sermone, quo scriptum est, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, memoratam abdicantes hæresim, mundum ab eo, non ab angelis factum esse, Christum credimus & verum Deũ esse, & in carne venisse, & conceptum fuisse, non de viro, sed de Spiritu Sancto, & de carne Virginis Mariæ, quæ vtique erat de semine Abrahæ. Credimus, inquam, Christum Deum de Deo, cuius vnigenitus est, & hominem de substantia Matris, de qua temporaliter natus est: nam & virtutibus verus Deus esse comprehenditur, & homo ex humanis infirmitatibus comprobatur. Porrò hunc contra morem humanæ conditionis virgo concepit & peperit, & integritatis damna non pertulit. Sed huius conceptionis & natiuitatis inenarrabile Sacramentum illa Aaron virga significauit, quæ diuina virtute contra naturam, sine radice, vel humore, frondui, floruit, & fructificauit. Denique dogmata non irridemus Ecclesiastica; sed veneramur atque suscipimus: sicut data non per hominem, neque per angelum, sed per eundem Dominum nostrũ Iesum Christum: Ex illius quippe latere pendentis in Cruce aqua nobis profluxit ad lauacrum, & sanguis ad propitiationem nostrorum criminum. Spiritum quoque Paracletum sicut filij adoptionis suscepimus. Quorum perceptione Sacramentorum illi compaginati, vnum corpus Ecclesiæ sumus in illo, in quo etiam credimus resuscitari, cùm venerit iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem: & hæc contra perfidos hæreticos. Sed nunc ad historiam redeamus. Nerua Cæsar afflictæ Reipublicæ multùm consuluit, dum Traianum virum strenuum, & sapientissimum sibi in filium, antequam moreretur, adoptauit.

TRAIANVS igitur, genere Hispanus, Romanum Imperium Neruâ tradente suscipiens, Anno diuinæ Incarnationis XCIX. imperauit annis X. & IX. & mensibus VI. Hic apud Agrippinam Galliæ vrbem insignia Imperij suscepit, moxque Germaniam trans Rhenum subegit, & trans Danubium gentes multas superauit: Barbaras etiam nationes trans Euphratem & Tigrim sitas, redegit in prouincias: Deniq; Seleuciam & Babyloniam occupauit, & vsq; ad fines Indię post Magnum Alexandrum accessit. Hic etiam fuit liberalis in amicos, habens in re militari diligentiam, in ciuilibus lenitatem, & in subleuandis ciuitatibus largitionem, eratque ei domi sanctitas, & in armis fortitudo, & vtrobique prudentia. Denique prostrato, & debilita-

Traianus bellicosus, & in re militari diligens.

to

to statu Romano, in remedium malorum credebatur diuinitus datus. Huius temporibus Iohannes Apostolus, qui quasi vnus de Paradysi fluminibus verba sancti Euangelij in toto terrarum orbe diffudit, cùm esset annorum LXXXX. IX. sciens sibi vltimum vitæ diem imminere, præsentibus suis discipulis, præmissa oratione ad Deum, descendit in defossum sepulturæ suæ locum, & ita à dolore mortis extraneus, migrauit ad Dominum. Traiani præterea tempore tertius in Christianos persecutionis impetus ebulliuit. Vnde Clemens Papa in mare præcipitatus est, vbi in templo sibi diuinitus præparato manibus angelicis, requieuit; Simon quoque filius Cleophæ, discipuli Christi, Hierosolymorum Episcopus, crucifixus est pro nomine eius. Ignatius quoque Antiochenus Episcopus Romam adductus, & bestijs traditus, suscepit martyrium. Sed & Alexander Papa Romanus martyrio consummatus est, & plures per alias circumquaque prouincias Christiani. Veruntamen persecutione feruente, Plinius secundus Orator & Historiographus, qui inter cæteros iudices & persecutor datus fuerat, Præsulatum administrabat, multitudine peremptorum permotus, scripsit Imperatori, Christianos præter Confessionem Christi, & honesta conuenticula, nihil Romanis legibus contrarium facere. Moxque Dei nutu rescriptis lenioribus Cæsar temperauit edictum. In illis præterea diebus apud Alexandriam Iustus sacerdotio fungebatur. Traianus verò apud Seleuciam Isauriæ vrbem profluuio ventris extinctus est. Vixit autem annis LXIV. Huius etiam exusti corporis cineres Romam delati, & in foro Traiani sub marmorea columna referuntur conditi esse.

Iohannis Euangelistæ mors.

Tertia persecutio sub Traiano.

ÆLIVS ADRIANVS consobrini Traiani filius, decimus tertius ab Augusto principatum adeptus, anno ab incarnatione Domini CXIX. imperauit annis XXI. Hic fuit græcis litteris impensiùs eruditus, & non sermone tantùm peritus, sed & cæteris disciplinis, canendi, medendique scientia pollens. Erat etiam musicus, geometer, pictor, fictorque ex ære, vel marmore, atque facetus, acer nimis ad lacessendum, & ad respondendum serijs, ioco, maledictis. Sic enim referebat carmen carmini, dictumq; dictui, vt prorsus ad omnia diceres meditatum. Hic etiam per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem Atheniensem virũ sapientem, libris de Christiana religione compositis, instructus & eruditus, præcepit per epistolam ad Minutium Fundanum Proconsulem Asiæ datam, vt nemini liceret Christianũ, sine

obie-

obiectu criminis, ac probatione damnare. Hic etiam bellum contra Sauromatas gessit, & vicit. Iudęos denique perturbatione scelerum suorum exagitatos, prouinciam quandam suam Palæstinam depopulantes, vltima cæde perdomuit, & Hierosolymam reædificauit, & illam Æliam, suo de nomine appellauit. Cuius opere factum est, vt loca sancta, Dominicæ scilicet Passionis, & Resurrectionis quondam extra vrbem iacentia, nunc eiusdem vrbis muro septentrionali circumdentur. Denique præcepit, ne cui Iudæo introëundi Hierosolymam esset licentia, Christianis tantùm ciuitate permissa: vnde primus ibidem de gentibus Marcus Episcopus constitutus est. Idem etiam Ælius Adrianus Rempublicam iustissimis legibus ordinauit; ideoque Pater Patriæ in Senatu, vltra morem maiorum appellatus est, & vxor eius Augusta. Verùm quia Hierosolymis hoc tempore, & deinceps, assumere Episcopos ex circumcisione cessatum est, nunc omnes à primo vsque ad hæc tempora eiusdem vrbis Episcopos enumerare decreuimus. Primus horum fuit Iacobus Iustus, qui & frater Domini est appellatus: secundus, Simeon, filius Cleophæ: tertius, Iustus: quartus, Zachæus; quintus, Tobias: sextus, Beniamin: septimus, Ioannes: octauus, Matthias: nonus, Philippus: decimus, Seneca: vndecimus, Iustus: duodecimus, Leui: Tertius decimus, Ephrem: quartusdecimus, Ioseph: & quintusdecimus, horum vltimus, Iudas. Eodem præterea tempore Iustus Episcopus Viennensi pręfuit Ecclesiæ. Floruit etiam in illis diebus Aquila Orator genere Ponticus, secundus interpres Mosaicæ legis post LXX. Porrò vixit Ælius Adrianus Augustus annis LXII. In Romana verò Cathedra post Clementem sedit Anacletus, & Anacleto successit Euaristus, & Euaristo Alexander, qui constituit Aquam sparsionis cum sale benedici, & in habitaculis hominum spargi, & huic subrogatus est Xystus, Xysto verò successit Telesphorus; hic etiam constituit, vt per sex hebdomadas ante Pascha ieiunium celebretur, & vt in Natali Domini Missæ per noctem decantentur.

Episcopi Hierosolymitani.

Viri doctrinâ illustres.

Clementi ordine succedunt Anacletus, Euaristus, Alexander, Xystus Telesphorus.

Institutio Aquæ benedictæ.

Item Ieiunij quadraginta dierũ.

ANTONIVS PIVS, qui & Titus Fuluius cognominatus est, erat vir pijssimus, & natura benignus, successit Ælio Adriano anno ab incarnatione Domini CXXXX. Imperauit autem annis XX. & III. non plenis. Iste ab Adriano in filium fuerat adoptatus, cuius & gener: huic etiam Iustinus Philosophus librum de Christiana Religione compositum tradidit, & benignum illũ erga Christianos homines reddidit, huius etiam primo anno Telesphorus Papa Romanus vita decessit, &

Higinius

Hyginius ei successit; post quem sedit Romæ Pius Episcopus, (sub quo Hermes librum edidit, qui Pastoralis appellatur) & post Pium sedit Anicetus: Aniceto verò subrogatus est Soter. Porrò Antoninus Augustus ita tranquillus extitit, vt meritò Pius appellatus sit: nam ad illũ exteræ gentes legatos misêre, Indi scilicet, Bactriani, & Hircani, iustitia tanti Imperatoris comperta: erat enim carens appetentia gloriæ, & ostentatione. Decessit autem imperij sui anno XXIII. ob cuius honorem templa, sacerdotes, atque alia multa honorum insignia Romæ à Senatoribus sunt decreta. Floruerunt huius temporibus viri insignes Arrianus Nicomedensis Philosophus, Photinus Lugdunensium Episcopus, & Maximus Tyrius, & Apollonius Stoicus, & Basilides Scythopolitanus, & Galenus insignis Medicus, & Iustinus martyr atque Philosophus.

Telesphoro surrogatur Hyginius, Hyginio Pius, Pio Anicetus, Aniceto Soter.

Febri diuexatus obijt.

Viri eruditione clari.

MARCUS Aurelius Antoninus Romanum Imperium assecutus anno incarnationis Dominicæ CLX III. imperauit annis X. & IX & mensibus XI. Hic fuit vir tantæ seueritatis, vt ab infantia vultum nec ex lætitia, neque ex mœrore mutarit. Hic etiam asciuit ad imperij partẽ AVRELIVM VARVM propinquum suum: & ambo hi contra Parthos admirabili virtute, & felicitate pugnauerunt, & vnà de victoria Parthica triumphauerunt. Horum tamen diebus persecutio Christianorum iam post Neronem quarta vice excitata est: qua persecutione feruente Polycarpus vir egregius, Ioannis Euangelistæ, & Apostoli discipulus, Smyrnæorum Episcopus, in Asia martyrio vitam finiuit. Iustinus etiam Philosophus martyrizatus est: hæc quoque persecutio, durissima Lugdunensem atque Viennensem, vrbes nobilissimas Galliæ, quas præcipiti lapsu Rodanus præterfluit, subiit rauit. Vnde Photinus egregius Episcopus Lugdunensis, & Iustus Viennensis in eisdem vrbibus martyrizati sunt cum alijs multis. Sed statim secuta est lues magna, quæ multas latè prouincias deuastauit, maximeque Italiam adeò contriuit, vt passim villæ & agri sine cultore & habitatore remanerent. Ab armis denique nulla vsquam quies erat: sed & per omnem Orientem, Illyricum, Italiam, & Galliam bella feruebant. Terræ motus quoque non sine interitu ciuitatum, & inundationes fluminum crebrescebant: lues etiam crebræ, & locustarum agmen prorsus agros infestabat. Verùm Aurelius Verus dum fortè in vehiculo veheretur XI. imperij sui anno, casu morbi quem Græci apoplexin vocant, suffocatus est. Quo defuncto, Marcus Antoninus solus Reipublicæ paucis diebus præfuit: de-

Bini Cæsares æquâ potestate Imperium administrant.

Quarta Persecutio Christianorum sub Antonino, & Aurel. Vero.

Martyrio affecti Polycarpus, Photinus, Iustus.

Grauissima Pestis Italiam potissimum affligit

Aurel Verus Apoplexiâ moritur.

mumque feueriores leges nouis conditionibus temperauit: per omnes enim prouincias tributa donauit, omniaque fiscalium negotiorum calumniosa monimenta simul congesta in foro iussit incendi. Hac præterea tempestate barbaræ nationes, Marcomanni, Quadi, Wandali, Sarmatæ, & omnes penè Germaniæ populi Romanum exercitum in Quadorum finibus circumuallauerant. Verùm cùm tolerare nequiret ardorem sitis, & hostis periculum, idem Romanus exercitus in preces effusus ad inuocationem nominis Christi tantam vim pluuiæ obtinuit, vt subitâ inundatione largissimè reficerentur. Barbari verò crebris fulminum ictibus perterriti in fugam versi sunt. Postmodum verò Antoninus Imperator Commodum Lucium filium suum assumpsit in regnum. His præterea diebus Hierosolymis, sicut dictum est, post eos qui ex circumcisione fuerant ordinati, sedit Marcus Episcopus, & post hunc Cassianus, deinde Publius, quem secuti sunt Maximus & Iulianus. Post Iulianum autem sedit Caius alter & Iulianus. Capitonem denique secutus est Valens, & Valentem Dolicianus. Demum autem XXX ab Apostolis huic præfuit Ecclesiæ Narcissus, vir sanctitate præcipuus. Alexandrinam autem Ecclesiam post Marcum Euangelistam gubernauit Anianus, & post Anianum Abilius, & post Abilium Cerdon, & post Cerdonem Primus, & postmodum Iustus, Eumenes, & Marcus, demum verò Celadion; & post Agrippinus, tandem Iulianus. Sed & Antiochiæ post Heronem præfuit Cornelius. Regebat etiam hac eadem tempestate Apollinaris Hierapolitanam Ecclesiam, & Melito Sardensis Ecclesiæ erat Antistes. Romanam denique sedem obtinebat Eleutherius Papa sanctissimus, ad quem misit Lucius Britannorum Rex epistolam, obsecrans vt per eius mandatum Christianus efficeretur, & mox effectum piæ postulationis consecutus est. Susceptam quoque fidem Britanni vsque in tempora Diocletiani Principis inuiolatam, integramque in pace seruauerunt. Per idem etiam tempus floruit Egesippus historiographus, & Theodotion tertius diuinæ legis interpres. Erant etiam insignes in illis diebus Fronto Rhetor, Aristides, Smyrnæus sophista, Oppianus poëta, & Atticus Platonicus Philosophus. Præterea Marcus Antoninus XIV. Imperator ab Augusto in Pannonia constitutus, repentino morbo diem obijt: vixit annis LVIII. Ob cuius honorem templa, columnæ, & alia multa condita esse comperiuntur. Cui successit Lucius Aurelius Commodus filius eius.

Successio Episcoporũ Hierosolymitanorũ.

Episc. Alexandrini.

Eleutherius Papa.

Britanni ad fidem Christi sub Eleutherio Papa accedunt.

Viri litteris clari.

AVRELIVS denique Commodus patre defuncto, anno Incarnationis Dominicę CXXCI. Imperauit annis XIII. Hic luxuriæ & obscœnitati deditus interfecit plurimos Senatorum, illos tamen maximè, quos aduertit industria & nobilitate præcellere. Flagitia Imperatoris, vrbis pœna prosecuta est: nam Capitolium fulmine ictum est, ex quo inflammatio facta, Romanam Bibliothecam rapaci turbine concremauit. Hac præterea tempestate Eleutherio Papæ Romæ Victor successit. In his etiam diebus facta est quæstio magna de Pascha. Vnde apud Cæsaream Palęstinæ Concilium celebratum est, vbi statutum fuit, vt semper in die Dominica celebremus sicut nunc agimus, obseruata XIV. luna Aprilis mensis. Huic Concilio interfuerunt Victor Papa Romanorum, & Narcissus Patriarcha Hierosolymorum. Theophilus quoque ipsius Cæsareæ Episcopus, & Pręsul Lugdunensis Irenæus. Eodem etiam tempore apud Alexandriam Iuliano Episcopo Demetrius successit, & apud Antiochiam octauus ab Apostolis constituitur Serapion. Apud Cæsaream Palæstinæ autem Theophilus, & apud Corinthum Bacchyllus. Dionysius etiam gubernabat Ecclesiam Viennensem. Porrò Cæsar Commodus cunctis incommodus in domo Vestali strangulatus interijt.

Romana Bibliotheca incendio peryt.

Eleuth. Papa succedit Victor.

Concilium Cæsariense.

HELIVS Pertinax senex à Senatu Imperator creatus imperauit sex tantummodò mensibus, quibus vix expletis Iuliani Iurisperiti scelere in palatio cæsus est.

Strangulatus à Narcisso, mortuusq; senatus decreto in Tiberim deiectus.

IVLIANVS autem, qui vi sibi Romanum vendicarat Imperium, imperauit septem mensibus. Is apud Pontem Miluium bello ciuili victus est, & extinctus. Sic quoque inter Pertinacem Cæsarem, & eius successorem Iulianum vnus annus assumptus est. Per idem tempus erant insignes Clemens Alexandrinus Philosophus, & Panthænus Stoicus, & Africanus historicus, & Musanus.

SEVERVS genere Afer, qui se ex nomine Imperatoris, quem occisum vltus fuerat, Pertinacem voluit appellari, Romanum consecutus imperium anno Incarnationis Dominicę CXCV. Imperauit annis X. & VIII. Hic fuit natura sæuus, multisque bellis lacessitus, fortissimè quidem Rempublicam, sed laboriosissimè rexit. Nam Pescenniũ Nigrum, qui in Ægypto & Syria ad tyrannidem aspirauerat, interfecit; Iudæosq; & Samaritas rebellare conantes, coërcuit: Parthos quoque & Arabas superauit, & ad extremum Claudio Albino, qui se in Gallia

Cæsarem fecerat, Lugduni interfecto, in Britanniam bellum transtulit, ibique magnis grauibusque prælijs sæpè gestis, insulam recepit, quam & vallo, & crebris turribus per C. & XXXII. M. passuum à mari ad mare communiuit. Hic etiam post Neronem in Christianos quintam persecutionem exercuit; qua persecutione plurimi Sanctorum per diuersas prouincias passi referuntur: inter quos Leonides pater Origenis pro Christi nomine cæsus, teneræ adhuc ætatis supradictum Origenem dereliquit filium; sed ita erat præfatus Origenes iam Grammatica eruditus, XVII. agens annum, vt ad docendum sufficeret, & quæ ad victum ei erant necessaria, ex hoc pararentur: Census quippe Leonidis, qui maximus fuerat, regio fisco per proscriptionem sociatus erat. Sub hac etiam persecutione in Lugdunensi Ciuitate, passus est sanctus Irenæus Episcopus cum maxima multitudine Cleri & populi; cui successit Zacharias Episcopus. Sed & Viennensem Paracodas regebat Ecclesiam. Tunc etiam floruit Symmachus elegans Diuinæ legis interpres, & Theodotion genere Ponticus, qui tertio anno post memoratum Symmachum secundam scripturarum sanctarum composuit editionem. In Romana verò cathedra Calixtus Zepherino successit: post quem Vrbanus Romanum tenuit Pontificatum. Imperator autem Seuerus apud Eboracum oppidum deficiens, reliquit filios Bassianum & Getam: quorum Geta hostis publicus iudicatus interijt: Bassianus autem, Antonij cognomine assumpto, potitus est patrio Regno. Porrò Seuerus cùm vixisset annis LXV. defunctus est, vir bellicosissimus omnium, qui ante eum fuerunt, & græcis ac latinis litteris simul sufficienter instructus: fuit etiam acer ingenio, & ad omnia quæ intendisset, finetenus perseuerans: Beneuolentia verò, quò se inclinasset, mirabili atque perpetua: ad quærendum quoque diligens, & ad largiendum liberalis; & in amicos, & inimicos pariter vehemens.

Quinta Christian. persecutio sub Seuero.

Leonides capite plexus Alexandriæ.

Zepherino Papæ succedit Calixtus, Calixto Vrbanus.

AVRELIVS Antonius Bassianus, qui & Caracalla dictus est, Seueri filius, Lugduni genitus, solus Romanum consecutus Imperium, Diuinæ incarnationis anno CC. XIII. Imperauit annis VII. Hic fuit libidine intemperantior patre, qui etiam nouercam suam Iuliam duxit vxorem. Huius tempore apud Alexandriam præfuit Demetrius; cui successit Heraclas. Et Antiochiæ præerat Serapion Episcopus. His etiam temporibus, Symmachus hæreticus prædicabat Christum de Ioseph fuisse semine natum, & Mosaicam legem iudaico ritu esse seruandam. Nos autem Catholici credimus Christum Iesum non de virili semine

Episcopi Alexandrini.

Symmachus Hæreticus.

mine, sed de Virgine natum, vt sicut intrauerat mors in mundum per virginem, ita etiam vita redderetur hominibus per virginem: sed huic virgini Ioseph ministerium tulit, & puero simul, & puerperæ oportuno tempore sedulò ministrauit. Nec quemquam moueat, quod illum Euangelista patrem Saluatoris appellat; hoc enim vulgus opinabatur. Sed Lucas ipsam rem euidenter aperuit, dicens: Factum est cùm baptizaretur populus à Iohanne, & Iesu baptizato & orante, apertum est cælum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, & vox de cælo facta est: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit. Erat autem ipse Iesus quasi annorum XXX. vt putabatur, filius Ioseph. Mosaicam verò legem, quam radicem nouæ legis dicimus, non penitùs sicut Idololatriam abijcimus; sed velut elementa eruditionis nostræ credendo suscipimus: hanc enim Christus non venit soluere, sed adimplere, transferens illam ab vmbra ad veritatem, à signo ad rem, à timore ad amorem, à seruitute ad libertatem. Sed idcirco vetustatem litteræ, quam constat euacuatam plenitudine mysterij superueniente, non custodimus; quia cognoscimus in noui Testamenti mysterijs omnem nobis salutem pleniter esse constitutam. Hoc igitur contra hæreticum dixisse sufficiat: nunc ad historiam redeamus. Cæsar igitur Aurelius Antoninus contra Parthos egressus apud Edissam occisus est, corpusque eius Romam delatum. Vixit autem annis ferè XXX. cui successit nulla voluntate Senatus, Macer Macrinus Palatij Præfectus.

Veteris & nouæ legis diuersitas.

A Marciano Centurione, quem ad hoc facinus Opilius Macrinus subornarat, pugione confossus.

MACRINVS Opilius Palatij Præfectus, post Antonium Romanum inuasit Imperium; sed emenso anno, tumultu militari occisus est.

MARCVS Aurelius Antoninus Gabalus Imperio Romano potitus imperauit annis IV. Hic sacerdos Heliogabali templi nullam sui, nisi stuprorum & flagitiorum, totiusque obscænitatis infamem memoriam dereliquit. Hic etiam tumultu militari Romæ exorto, cum matre peremptus est.

An. ætatis 18 vita exutus, per plateas tractus ac post in Tiberim proiectus; vnde Tractitius dictus.

ALEXANDER Mammeas Senatus & militum voluntate Imperator creatus, anno Christi CCXXIII. Imperauit annis XIII. Hic in Persas expeditione commota, Xerxem eorum Regem maximo bello victor oppressit. Huius Imperatoris mater Mammea Christiana, Originem presbyterum ab Antiochia euocatum audire curauit. His tamen temporibus inclyti martyres Christi Tiburtius, & Valerianus, cum beata virgine Cæcilia Romæ martyrizati sunt. Hac etiam tempestate apud

Tiburtius, & Valeria-

mus cum Cæcilia Virgine martyrio coronatur.

apud Antiochiam Philetus Episcopus residebat. Porrò Aurelius Alexander Moguntiæ à Maximino Iulio tyranno interfectus est.

Persecutio Sexta sub Maximino.

Pontianus Papa qui Vrbano successit, martyrio afficitur: cui in Cathedra surrogatus Antherus.

MAXIMINVS Iulius, nulla voluntate Senatus, Imperium assecutus est, anno Incarnationis Domini CCXXXVI. Imperauit annis tribus. Hic propter Christianam Alexandri, cui successerat, & Memmeæ matris eius familiam, excitauit in Sacerdotes & in Clericos persecutionem. Vnde Romæ Pontianus Papa, qui Vrbano successerat, martyrio coronatus est. Cui Antherus successit. Porrò Maximus Iulius, qui & Maximinus legitur appellatus, tertio quo regnabat anno, à Pupieno tyranno Aquileiæ interfectus, persecutionis & vitæ finem simul fecit. Moxque Pupienus & Balbinus frater eius vsurpauerunt Romanum Imperium; sed statim in palatio cæsi sunt.

Anthero Papa Fabianus successit.

GORDIANVS Romanum sublimatus in Regnum anno ab incarnatione Domini CCXXXIX. Imperauit annis VI. quibus expletis, postquam aduersus Parthos sæpè feliciter dimicasset, suorum fraude secus Euphratem interfectus est. His diebus Romæ Anthero Papæ Fabianus successit. Floruit etiam eadē tempestate Africanus vir inter scriptores Ecclesiasticos nominatissimus. Porphirius quoque Philosophus, & Theopompus, & Victor Sophista apud Athenas claruerunt.

Primus Imperator Christianus.

PHILIPPVS, qui & Marcus Iulius dicitur appellatus, Imperator cōstitutus, anno ab Incarnatione Domini CCXXXXV Imperauit annis VII. Hic Philippus filium suum fecit consortem Imperij, & primus Imperator Romanorum Christianus extitit. Denique horum imperatorum anno tertio, millesimum annum à conditione sua Roma compleuit: & hoc eodem anno Heraclas, apud Alexandriam obijt, & sacerdotium Dionysio dereliquit. Hic autem Dionysius multis sæpè confessionibus clarus, & pro tormentorum diuersitate toto orbe magnificè claruit. Verùm ambo Imperatores diuersis in locis fraude Decij successoris sui circumuenti sunt, & occisi.

Pater Veronæ, Filius Romæ occisus.

Septima Christianorum persecutio sub Decio.

Fabianus Papa Martyr cū alijs.

DACIVS Romanum inuadens Imperium, anno Incarnationis Dominicæ CCLII. imperauit anno vno & mensibus tribus. Hic ad persequendos & interficiendos Christianos, septimus post Neronem, feralia dispersit edicta. Quâ persecutione martyrizatus est Romæ Papa Fabianus; & apud Antiochiam Babylas sanctissimus, & in Epheso sancti septē requieuerunt pueri dormientes Sed & Hierosolymis Alexāder Episcopus veneranda canitie præfulgens, posteaquam frequenter multis passionibus glorificauerat Deū, dum de vinculis ad tribunal, & à tribunali

reuo-

reuocatur ad vincula, inter ipsa sibi succedentia tormenta defecit: cui in sacerdotium Marabenes successit. Denique non possumus euoluere quantæ multitudines hoc persecutionis igne feruente, In desertis & in montibus latitantes, fame, siti, frigore, languore, latronibus, bestijsque consumptæ sunt. Hac præterea tempestate Nouatus Romanæ Ecclesiæ presbyter, elatione tumidus & Episcopatus cupiditate, quam intra se latenter gerebat, bonitatem simulãs, vt incautos deciperet, princeps hæreseos Nouatianorũ extitit: eorum scilicet, qui se superbo nomine Cathoros, id est, mundos appellant. Hi igitur lapsis fratribus in persecutione non cõmunicabant, nec eorum pœnitentiam suscipiendam esse censebant. Ob quã rem sacerdotale Conciliũ in vrbe Roma congregatũ est Episcoporum numero LX. & Presbyterorũ totidem, cum Diaconibus plurimis, cui præfuit Cornelius Romanæ Præsul Ecclesiæ. In quo Concilio statuitur Nouatus cum suis sectatoribus alienus ab Ecclesia Dei: & fratres in certamine lapsi pœnitentiæ medicamine decernuntur esse fouendi: quibuslibet enim criminosis pœnitentia non negatur, si vita mutetur, & pœnitentia peragatur: vbique nempe occurrit Diuina medicina. Nam datur homini præceptum ne peccet, & si peccauerit, promittitur remedium, ne desperet. Illi tamen, qui in malitia sua permanent, & Eleemosynis peccata sua se redimere sperant, falluntur; propter hoc nempe eleemosynæ sunt faciendæ, vt cùm de præteritis criminibus deprecamur, exaudiamur; non vt in eis perseuerantes licentiam malefaciendi nobis per eleemosynas comparare credamus. Igitur priùs prauitas deserenda est, & demum vnicuique conuenit vt tantò maiora quærat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò sibi grauiora intulit damna per culpam. Porrò Decius Imperator non totis duobus annis principatu Romani apicis administrato, cum filio suo, quem iam Cæsarem legerat, in medio barbarorum sinu interfectus, regnum cum vita perdidit.

Hæresis Nouatiana.

Concilium Romanum sub Cornelio Põtifice.

Finis Eleemosynarũ.

Pater in bello Gothico, paludis gurgite submersus; filius ferro extinctus.

GALLVS Hostilianus cum filio suo Volusiano Regno potitus anno incarnationis Dominicæ CCLIII. Imperauit vix annis duobus. Huius Regnum cùm floreret in initio, & cuncta ei ex sententia cederent, sanctos viros, qui pro pace & prosperitate Regni eius Domino supplicabant, persequi cœpit, cũ quibus pariter prosperitatem suã fugauit & pacẽ. Sed exorta persecutione, exorta est etiã vltio violati nominis Christiani & vsquequo ad profligãdas Ecclesias edicta decurrunt, eatenus incredibilium morborum pestis extenditur. Nulla ferè prouincia

Grauissima persecutio sub Hostiliano & Volusiano.

Romana,

Horribilis Pestis in vltionem Christiani nominis per totum orbē exerta est.

Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non generali pestilentia correpta atque euacuata sit. Hâc solâ pernicie insignes Gallus & Volusianus, dum contra Æmilianum nouis rebus studentem bellum moliuntur ciuile, occisi sunt.

ÆMILIANVS quoque tertio mense inuasæ tyrannidis extinctus est. Verùm per idem tempus Romæ sancto Papa Fabiano iam defuncto, & Cornelio Episcopalem eiusdem sedis cathedram obtinente, Carthagini verò sancto præsidente Cypriano, ambobus fide & virtute præcipuis, orta est quęstio in Africę partibus; vtrū oporteret hæreticos rebaptizare: quæ tandē definita est, & inuentū atque sancitum, sola eos manus impositione posse purgari: siue enim schismaticus, aut hæreticus, vel facinorosus secundū sanctorum sententiā Canonum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizet, non debet ille, qui baptizatus est, rebaptizari, ne tam salutare Sacramentum videatur annihilari; quod Sacramentū specialiter est constitutum ad dissoluendam obligationem originalis peccati: nam sicut quisque maris & fœminæ coniunctione opus habet, vt seculo nascatur; ita & regeneratione opus habet, qua Deo renascatur per aquam & Spiritū sanctum, sicq; fit, vt à noxa originalis peccati, qua tenetur impeditus, hoc salutifero sacramento reddatur expeditus. Et hoc de Baptismatis sacramento. Porrò circa hos dies Origines Presbyter, cuius mentionem suprà fecimus, defunctus esse legitur: cuius presbyteri scripta quibusdā in locis hæretica repeririuntur prauitate conspersa, maximè in locis illis, vbi de purgatione, & liberatione, ac rursum, post longū tempus ad eadem mala reuolutione rationalis vniuersę creaturæ tractare videtur. ibi enim affirmare contendit, quod omnes, qui præsentē vitam in flagitijs & facinoribus quamlibet maximis finierunt; ipsum quoq; postremo diabolum, & omnes satellites eius tandem post longa tempora purgatos, Regno Dei, luciq; restitui: & rursus post alia tempora omnes qui liberati fuerint, ad tormenta relabi, atque reuerti: & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum omnis rationalis creaturæ dicit semper fuisse, & semper fore. Sed hoc euidenter Euangelio contrarium sonat; ibi enim legitur; quoniam cum venerit Dominus in sede maiestatis suæ, dicet his, qui à sinistris eius positi erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & angelis eius. Et post pauca: tunc ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Quod ideo diximus, ne studiosus lector semper verbis Origenis attendat; sed sic bottrum carpat, ne spinam

Quæstio nū hæretici rebaptizādi.

Origenes moritur.

Eius errores.

Refutatur Origines.

spinam contingat. Nam profectò liquet, quia si falsum est, quòd verax & iustus Deus criminosis æternum minatur supplicium; illud iterum esse falsum, quòd iustis promittit vitam ęternam. Verùm Origenes iste mille & eò amplius tractatus edidit, & multos Commentarios, quos appellat tomos, multos etiam gentiles ad fidem Christi conuertit, & ita à pueritia mundanam calcauit voluptatem, vt se zelo Dei, sed non secundùm scientiam, ferro castrauerit: quod non solùm moribus hominum, sed etiam legibus interdictum esse euidentissimè liquet. Imbecillis enim animi suffragium est, & non obtinet virtutis trophęum, hominem aduersus corpus suum vesano militare furore; nec habet insignia fortitudinis, nec profectum vtilitatis. Est quippe huiusmodi istud, ac si videns nauis gubernator tempestatem futuram, tempestatis gratiâ declinandæ iratus, gubernacula frangat, ac nauim fluctibus immergat. Hosti igitur se tradere causâ martyrij religiosus Christianus sine pietatis dispendio, vbi oportunum prospexerit, potest; manus verò suas sibi in hostem conuertere, sine scelere non potest. Sed his breuiter expeditis, ad historiam redeamus.

Origenes sese castrauit.

VALERIANVS ab exercitu in Rhętia creatus Imperator, anno ab Incarnatione Domini CCLV. imperauit annis XV. Eodem tamen anno Romæ à Senatu Gallienus Cæsar est constitutus. Porrò Valerianus ita primùm Sanctos venerabatur, vt domus eius Dei esse Ecclesia crederetur: sed deprauatus postmodum per quendam magum, cœpit detestari fidem Christianorum, ita vt eos, quos ante ducebat venerandos, iuberet interfici, sicut qui aduersarentur magicis artibus, quibus se deuouerat. Octauus denique à Nerone adigi per tormenta Christianos ad Idololatriam iussit: qua feruente persecutione, passus est Beatus Cyprianus apud Carthaginem, eodem die, quo Romæ Papa Cornelius, sed non eodem anno. Verùm Romanæ vrbis Cornelio Episcopo Lucius successit, & Lucio Stephanus, & Stephano Xystus, cuius fuit Archidiaconus sanctus Martyr Laurentius. Porrò Valerianus persecutionis huius non est diu impunitate gauisus: nam postquam Christianos affligi & interfici iussit, subitò per totum Romanum Imperium turbationum fragor increpuit, & solutæ vndique barbaræ gentes, laxatis habenis, omnes Romanorum fines ingrediuntur. Græcia quippe simul & Macedonia, nec non & Pontus, & Asia Gothorum inuasione populantur. Germani denique Alpibus & Italia penetrata, Rauennam vsque perueniunt. Alemanni quoque Gallias ingrediuntur. Quadi &

Octaua persecutio sub Valeriano.

Cornelio Papæ Lucius successit, Lucio Stephanus, Stephano Xystus.

Vindicta in persecutores Christianorum.

Sarmatæ Pannoniam depopulantur. Parthi Mesopotamiam auferunt. Posthumius in Gallia tyrannidem inuasit, quam & per annos X. tenuit, postea verò suorum seditione militum peremptus est. Ad extremum autem ipse Valerianus Dei præsidio destitutus, à Rege Persarum Sapore captus, ignominiosa apud eum seruitute consenuit, & donec vixit, hanc infamis officij pœnam semper tulit, vt acclinis humi, Regem ascensurum in equum, non manu, sed dorso attolleret.

Valerianus ignobili seruitute consenuit, post mortem excoriatus, & sale conditus fuit.

GALLIENVS tam claro Dei territus iudicio, postquam rerum summam solus obtinuit, leniùs ac moderatiùs agere cœpit, & pacem Ecclesijs condonauit; statimque ira Dei in misericordiam versa est: & Æmilianus tyrannus apud Moguntiacum, cùm res nouas moliretur, occisus est. Marius quoque, qui in Gallijs post mortem Posthumij inuaserat imperium, continuò interfectus est; sed & Victorinus Cæsar à Gallis vltrò creatus, post paululum est oppressus. Huic successit Tetricus, qui tunc Aquitaniæ Præsidatus administrabat officium, qui & ipse multas seditiones militum pertulit. In Oriente etiam per Odenatum quendam victi & repressi Persæ, defensaq; Syria, & recepta est Mesopotamia. Porrò per idem tempus Antiochenam Sedem obtinebat Demetrianus, & Hierolymitanum Sacerdotium post Mazabenem suscepit Hymenæus. Apud Alexandriam verò XII. anno Imperij Gallieni, Dionysius Patrum nobilissimus, cuius supra meminimus, quieuit in pace, & successit ei Maximus. Denique Gallienus Imperator Claudio succedente defunctus est. Regnauit autem cum Valeriano annis VII. & solus annis VIII. vixit annis L.

CLAVDIVS igitur vir armis strenuus, & moribus probus, voluntate Senatûs Imperator creatus, anno ab Incarnatione Domini CC LXIX. imperauit anno vno. Hic Gothos iam per annos XV. Illyricum, Macedoniamque vastantes, bello adorsus, magnâ strage coërcuit. Vnde illi à Senatu in Curia clypeus aureus, & statua simul equestris aurea collocata est. Hoc etiam tempore apud Antiochiam Demetriano Episcopo Paulus quidam Samosatenus genere, successit: qui indigna de Christo sentiens, vtpote tumidus & superbus hæreticus, prædicabat eum hominem tantum communis naturæ fuisse, & de terra initium suscepisse, quod omninò Catholicæ fidei contrarium est. Duas quippe in Christo confitemur naturas: vnam coëternam Deo Patri, & alteram, qua natus est Deus homo de Virgine. Diabolica enim fraude pri-

Pauli Samosateni hæresis.

Refutatur Samosatenum.

de primum deceptum hominem, voluit omnipotens Deus sua benignitate, excellentiori gradu, quàm conditus fuerat, sublimare: vnde factus est particeps humanitatis nostræ, vt nos erigens ad sublimiora, participes faceret Diuinitatis suæ. Denique operata est pariter in Christo vtraq; natura, quod proprium habuit: Diuinitatis scilicet essentia, quod Dei est; & carnis substantia, quæ carnis sunt. Nam ita plena Diuinitas in Christo intelligitur homini iuncta, & plena humanitas in Deũ assumpta, vt nihil videatur caro sine Diuinitate peragere, nec Diuinitas sine carne quicquam efficere. Et sic Deus per suam sapientiam diaboli superauit astutiam, & ita qui primùm deceperat hominem de incontaminata terra formatum, superatus est à Christo de Virgine nato, sine iniuria maiestatis ac Diuinitatis. Præfati præterea Pauli, dum verbum faceret ad populum, erat spectare superbiam; iactabat enim dexteram, palmam femori illidebat, scabellum pede cum sonitu feriebat, & ab auditoribus fauorem plausumque quærebat; antiquis præterea tractatoribus insultabat, suas laudes extollens: collocauerat etiam sibi intra Ecclesiam thronum excelsum, & secretarium suum varijs ornamentis decorauerat, ita vt hæc videntes gentiles, propter illius arrogantiam derogarent Religionem Diuinam. Sacrosanctum enim debet esse sacerdotale ministerium, vt clero & plebi sit exemplo. Verùm nunc ad historiam redeamus. Claudio apud Syrmium defuncto, QVINTILLVS frater eius ab exercitu electus est, & in solio sublimatus; sed septimo die Imperij sui interfectus occubuit.

AVRELIANVS Imperium sumens Quintillo defuncto imperauit annis V. & mensibus VI. Iste fuit vir industriæ militaris expertissimus, & memoratam Gothorum gentem duris prælijs profligauit, deditionemque Romanam antiquis terminis stabiliuit, & Syriam totam sibi vendicauit. Vnde magna gloria Romæ triumphauit, & postmodum ipsam vrbem muris firmioribus cinxit. Præterea status Ecclesiæ hoc eodem tempore prosperioribus incrementis augebatur quotidie. Vnde apud Antiochiam celebre Concilium est aggregatum, in quo præfatus Paulus hæreticus manifestissimè conuictus, & condemnatus, insistente maximè Malchione Presbytero Antiochenæ Ecclesiæ, viro sapientissimo: Huic enim ab omni Episcoporum Concilio permissum *Concilium Antiochenum.*

est cum Paulo disputare, excipientibus Notarijs; qui cùm esset disertissimus, dissimulantem & occultantem se Paulum diutius, validissimis tandem disceptationibus publicauit. Quibus ita gestis continuò Paulus sacerdotio abscissus est, & communione priuatus, & quidam vir nomine Domnus in eius locum subrogatus. Et cùm essent adhuc vniuersi pariter Sacerdotes in Concilio positi, scripserunt ad Dionysium vrbis Romę Papam epistolam, & ad Alexandrinum Episcopum, & ad omnes Ecclesias, indicantes Pauli hæresim esse denudatam, atq; deiectam; sed & vitam intemperatam, moresque eius pariter eisdem reuelare studuerunt, & quòd diu permanserat in potentatu, cùm esset immitis, & elatus, quadam specie tyrannidis, ita vt ad arguendum illum, vel ad accusandum nemo prorsus auderet accedere. Verùm ille ablato fidei ministerio nolebat exire de domo Ecclesiæ. Vnde interpellatus est Aurelianus Imperator, vt inde illum exire compelleret, qui mox imperauit illum inde vi publica expelli, & Domnum virum multis virtutibus adornatum, Ecclesiæ tradi, cui fauebat Romanus Antistes, & omnes Italiæ Sacerdotes. Nondum enim erat Aurelianus malis deprauatus consilijs, quibus processu temporis bonum postmodum propositum immutauit, & persecutionem durissimam Ecclesijs excitauit. Quo persecutionis tempore in Gallijs passa est Sancta Virgo Columba in Senonensi ciuitate; alij quoque per diuersas prouincias occubuerunt, libenter pro Domino Iesu Christo diuersa certamina peragentes. Sed cùm piorum sanguinem impijssimus effunderet Aurelianus, inter Constantinopolim & Heracleam morte subitâ diuinitus est extinctus. Quo defuncto TACITVS imperauit mensibus VI. Et hoc in Ponto interfecto FLORIANVS Romanum Imperium est adeptus, qui & ipse Imperij sui tertio mense apud Tharsum est occisus.

Nona persecutio sub Aureliano, quæ ingentē Martyrum multitudinem peperit Ecclesiæ.

PROBVS denique Regnum Romanorum sortitus, Tacito & Floriano Imperatoribus interfectis, anno ferè ab incarnatione Domini CC LXXVII. imperauit annis V. & mensibus IV. Hic Gallias iamdudum à Barbaris occupatas, per multa & grauia prælia, deletis tandem hostibus, perfectissimè liberauit. Egit denique duo bella ciuilia; vnum in Oriente, quo Saturninum Tyrannum oppressit; & aliud, quo Proculum, & Bonosum apud Agrippinam, magnis prælijs superatos interfecit. Circa hæc prætereà tempora Romæ Dionysio Papæ Felix successit, & Felici Eutichianus, & Eutichiano Caius, & Caio Marcellinus: Antiochiæ verò post Domnum Episcopum, suscepit Thinæus sacer-

Dionysio Felix, Felici Eutichianus, Eutichiano Caius, & Caio Marcellinus successit.

sacerdotium, & Thinæo successit Cyrillus, & Cyrillo Dorotheus; Apud Alexandriam autem post Maximum, Theonas sedit, & huic Petrus vir egregius atque sanctissimus successit, qui persecutionis tempore sub Maximiano Galerio Cæsare postea Martyr occubit. Ierosolymis etiam post Hymenæum Zambdas suscepit sacerdotium. Sed & apud Laodiceam, post Socratem sedit Eusebius, & post Eusebium Anatholius, vir eruditus & eloquentissimus: & apud Cæsaream Palęstinæ Theotecno successit Agapius, & Agapio Pamphilus Martyr sanctissimus. Hac denique tempestate fuit quidam Manes, genere Perses, acer ingenio, vitâ verò vel moribus barbarus, qui secundum nomen suum insaniens, se paracletum nominabat. Ab hoc diffusa est hæresis Manichæorum per orbem vniuersum. Hic asserebat duo esse principia, vnum boni, & alterum mali; vnum lucis, & alterum tenebrarum: cùm omnis creatura bona sit per naturam; sed dum fuerit vitiata, fit mala. Amissio igitur boni, mali nomen accepit, & absentia lucis, tenebræ nuncupantur. Proinde malum, de quo per Prophetam Dominus dicit: Ego Dominus æternaliter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: non ideò dicit, vt in vlla sua natura mala subsistant, sed tunc se dicit mala creare, cùm res benè conditas malè agentibus in flagellum creat; vt ea ipsa & per dolorem, quo delinquentibus inferuntur, mala sint; & per naturam, quâ existunt, bona. Vnde venenum mors quidem homini est, sed vita serpenti. Denique desipit omnis, qui videre tenebras quærit, vel audire silentium, cùm sint res non efficientes, sed deficientes. Sed nimis longum est, modò tam stultam huius hæretici prauitatem redarguere, præsertim cùm beatus Augustinus Episcopus, secundum sibi à Deo datam sapientiam sermone luculento, ei in quodam suo responderit libro. Porrò Probus Imperator apud Syrmium militari tumultu necatus est.

Manetis dogma à quo & Manichæi ortum ducũt.

CARVS Narbonensis, Anno ab Incarnatione Domini CC. LXXXII. Imperauit annis II. Hic cum filios suos Carinum & Numerianum consortes Regni fecisset, ad bellum Parthicum profectus, in castris fulmine ictus interijt. Numerianus verò, qui cum patre profectus, inde rediens Apri soceri sui fraude interfectus est.

Carus Fulmine tactus perit.

DIOCLETIANVS ab exercitu Imperator electus Numeriano perempto, anno ab Incarnatione Domini CCXXCIV. Imperauit annis fermè XX. Iste Aprum Numeriani interfectorem manu sua, mox

ut creatus est Imperator, interfecit, & Carinum Numeriani fratrem apud Dalmatiam flagitiosè degentem, difficillimo bello superauit, & extinxit. His diebus Amandus & Ælianus in Gallia, collectâ rusticorum manu, quos *Bagaudas vocabant, perniciosos tumultus excitauerunt. Vnde Diocletianus Maximianum Herculium, quondam Commilitonem suum, Cæsarem fecit, & in Gallias destinauit, qui facilè agrestium hominum imperitam & confusam manum militari virtute compescuit. Sed & in ipso itinere Thebæa Legio Seduni Galliæ in loco Agauno, sub præfato Maximiano pro Christo libenter occubuit. Hoc etiam tempore dum prosperis incrementis Ecclesia Dei per vniuersum orbem dilataretur & cresceret, subitò persecutionis turbo increpuit. Anno quippe XIX. Imperij Diocletiani, cum sicut dictum est, Ecclesia Dei prosperis profectibus affluerer, proponitur eiusdem Principis edictum, vt cunctæ, quæ in toto erant orbe Ecclesiæ dissiparentur vsque ad solum, & sacræ Scripturæ igne comburerentur vbique, & omnes qui Ecclesijs præerant in vinculis ponerentur, ac demum exquisitis supplicijs immolare cogerentur. Rapiebantur igitur omnes Ecclesiarum Principes, & sancti Clerici sicut Christi domestici, & cum eis nobiles, & multi ignobiles: breui quoque post tempore rapiebantur & fœminę, nec non & pueri in carceribus cruciabantur. Æstuantibus itaque carceribus præ multitudine compeditorum, rursus noua decreta vulgantur, vt ex his qui inclusi erant, si quis immolare vellet, liber abscederet, qui verò abnuerent, diuersis pœnarum generibus interirent. Tunc quidam terrore correpti cedebant, sed alij virtute Diuina suffulti, non solum hæc, sed omnia quæ homicidis, adulteris, veneuarijs, & violatoribus sepulchrorum inferri solent tormentorum genera non lassescendo ferebant. Nam primò virgis cædebantur; sed cum nec sic adhuc frangerentur, adhibebantur eis leones, pardi, vrsi, apri, & indomiti tauri, quibus deuorarentur, ac discerperentur. Alij verò laminas ac craticulas ignitas, fustesque, crucesque patiebantur. Nonnulli denique post flagella flammis traditi sunt: alij verò in mare præcipitati, & quidam capite cæsi, & alij inediâ sunt consumpti. Et hæc persecutio eò vsque flagrauit, vt etiam Oceani limbum transmearet. Passi etiam sunt sub hac persecutione in Britanniæ partibus, Albanus, Aaron, & Iulius, cum alijs pluribus viris ac fœminis. Et semel incepta rabies persecutionis vsque ad VII. Constantini Magni Imperatoris futere non cessauit annum. Qua persecutione feruente Marcellus Papa tentus est à Maximiano, & dum duceretur ad immolandum, consensit,

Bagaudarũ tumultus.

**Orosius habet Vacuadas.*

Thebææ legionis martyrium.

Decima persecutio Ecclesiæ Christi per edictum Diocletiani.

Varia suppliciorum genera, quibus afficiebantur Christiani.

Marcellus Papa pro Christo mortem oppetijt.

ſed poſtmodum pœnituit, & Martyr eſſe promeruit; hac etiam tempeſtate decem & ſeptem millia Martyrum paſſi ſunt intra vrbem Romam. Sed dum Diocletiani iuſſu, & Maximiani iſta geruntur, graues per omnes Romani Imperij fines ſubitarum perturbationum concrepuêre fragores: Carauſio, qui ad obſeruanda Oceani littora poſitus fuerat, in Britannia rebellante: & Achilleo in Ægypto; cum & Africam Quingentiani infeſtarent, & Narſeus Rex Perſarum etiam Orientem bello premeret. Quo periculo Diocletianus permotus, Maximianum Herculeum ex Cæſare fecit Auguſtum. Constantium verò & Maximianum Galerium Cæſares legit; tradens Conſtantio Theodoram Herculei Maximiani filiam, & ſuam, nomine Valeriam Maximiano Galerio. Porrò præfatus Carauſius Britannia ſibi per VII. annos fortiſſimè vendicata & retenta, tandem fraude Alecti ſocij ſui interfectus eſt. Alectus verò poſtea ereptam Carauſio inſulam per triennium tenuit, quē Aſclepiodotus Præfectus oppreſſit; Britanniam quoq; poſt X. recepit annos. Conſtantius verò Cæſar in Gallia, prælio primo, ab Alemannis profligato exercitu ſuo, vix ipſe ſubreptus eſt; ſecundo autem ſecuta eſt ſatis ſecunda victoria, nam paucis horis LXX. M. Alemannorum cæſa referuntur. At Maximianus Auguſtus Quingentianos in Africa perdomuit. Diocletianus autē Achilleū obſeſſum per VII. menſes apud Alexandriā cepit & interfecit; ſed immoderata victoria vſus, Alexandriā direptioni dedit, Ægyptumq; totā proſcriptionibus fœdauit. Erat etiā cum Diocletiano illis diebus Conſtantinus iuuenis inclytus, filius Cæſaris Conſtantij, quem ex Helena priori ſua coniuge procreauerat, quē Diocletianus, dolo perimere cogitabat, Galerio inſtigante; ſed cognitâ fraude ad patrem ſuum ſaluus, diuinâ prouidentiâ, remeauit Conſtantinus. At Maximianus Galerius, cū duobus iam prælijs aduerſum Narſeum conflixiſſet, tertio congreſſu victus, amiſſis copijs ad Diocletianum refugit, à quo arrogantiſſimè except⁹ eſt, ita vt per aliquot millia paſſuū purpuratus ante vehiculū eius cucurriſſe referatur. Verūtamē hac cōtumelia quaſi cote ad virtutē vſus eſt, per quā detrita regiæ faſtus rubigine, aciē mentis expedijt. Itaq; mox per Illyricū & Mæſiā vndiq; copias cōtraxit, raptimq; in hoſtē reuerſus, Narſeū magnis copijs viribuſq; ſuperauit, extinctiſq; Perſarū copijs, ipſo Narſeo in fugā acto, caſtra ei⁹ inuaſit, vxores, ſorores, liberoſq; cepit, immenſâq; vim gazæ Perſicæ diripuit, captiuoſq; quāplurimos Perſarū nobiles adduxit, & reuers⁹ in Meſopotamiā à Diocletiano plurimo honore ſuſcept⁹ eſt. Interea verò dir⁹ perſecutionis furor in Chriſtianos ſæuiebat. Verūtamē tandē Diocletian⁹ ab inuito exegit Ma-

Conſtantius Chlorus & Galerius Maximianus ſiunt Auguſti.

Conſtantino ſtruuntur inſidiæ.

Dioclet. & Maximianus se ipsos exauctorãt, & Imperio abdicant.

ximiano, vt simul purpuram, Imperiumque deponerent, ac iunioribus in Republica substitutis, ipsi in priuato habitu consenescerent. Itaque sub vna die Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus verò apud Mediolanum potestatem Imperij, cultumque deposuerunt. Tunc Galerius Maximianus, & Constantius Augusti, in duas procurationes, Orientis scilicet, & Occidentis, primi Romanum Imperium diuiserunt, & annis quinque pariter regnauerunt: Et Galerius Maximianus Illyricum, Asiam, & Orientem tenuit: Constantius verò vir summæ mansuetudinis & ciuilitatis, Galliâ tantum, Hispaniaque contentus, Galerio cæteris partibus cessit. Demum tamen Galerius duos post se Cæsares legit, Maximianum, quem in Oriente constituit, & Seuerum, quem in Italia posuit, ipse in Illyrico constitutus. Idem etiam Galerius Augustus, cùm esset nimis superstitiosè simulachrorũ cultibus deditus, iussit vetusta & derelicta delubra per totum Orientem renouari; & tanta insuper impietate Christianos afficere cœpit, vt præcessores suos omnes vinceret in scelere; Sanctorum quippe singulis membris specialia gestiebat inferre supplicia. Passus est igitur apud Alexandriam hoc persecutionis tempore suprà nominatus Petrus, vrbis eiusdem Episcopus, vir inclytus, & maximis virtutibus adornatus. Passi sunt etiam tam in præfata vrbe, quàm per alias Orientis prouincias, innumerabiles Sancti pro fidei veritate, & spiritûs libertate. Sed cum semel accensa crudelitas persecutionis magis magisque quotidie iam per decennium grassaretur, præfatus Cæsar Galerius ægritudinem incurrit, qua stimulatus angustia, edictis latè missis Christianos de exilijs reuocauit. At memoratus Augustus Constantius mitius se agebat, & cultores Christi venerationi habebat, & honori, intelligens in idolis veri Numinis nullam consistere maiestatem. Vnde, gratia Dei, matura prædictorum subsecuta est perditio Tyrannorum, & Regnum Constantini filij eius vsque ad Oceanum dilatatum feliciter creuit. Nam Maximianus Herculeus persecutor, Imperium, quod abiecerat, iterum arripere volens, à Constantino nondum Imperatore Massiliæ oppressus est & extinctus. Galerius autem Augustus Seuerum Cæsarem ad Italiam cum exercitu misit; vbi cùm vrbem obsideret, militum suorum scelere desertus, & proditus, Rauennæ est interfectus. Diocletianus quoque, sicut iam dictum est, Regia dignitate deposita, Salonæ defunctus est. Constantius deniq; Strenuissimus Imperator, anno Imperij sui XV. Eboraci deficiens, ordinauit Licinium Cæsarẽ Hispaniarum, & filium suum Constantinum Cæ-

Romani Imperij in duas procurationes prima diuisio.

Persecutiones nondũ desæuierunt.

Galerius edicto exules Christianos reuocat.

Galerius Rauennæ interficitur.

sarem Galliarum. In Romana verò sede post Felicem Papam Eutichianus sedit, & Eutichiano Caius successit, & Caio Marcellinus, & Marcellino Marcellus, cui subrogatus Eusebius. Eusebio Miltiades. Hic constituit, vt nunquã in die Dominica ieiunium celebretur: huic quoq; Siluester successit, qui Imperatorem Constantinum baptizauit, & priuilegium Romanæ Ecclesiæ ab eo promeruit, hic etiã constituit vt sacrosanctũ sacrificium non in panno serico, sed in puro linteo consecretur, & reperit quoque Dalmaticæ vsum. Floruit per idem tempus Paucius Viennensis Episcopus, & Arnobius Africanus Rhetor sapientissimus.

Felici Papæ ordine succedunt, Eutichianus, Caius, Marcellinus, Marcellus, Eusebius, Miltiades, Siluester.

PRÆCEDENTI Libro, Spiritus sancti suffragio, pauca de quibusdã primitiuæ Ecclesiæ Sanctis, qui post nostri Saluatoris Natiuitatem, & eius ad cęlos gloriosam Ascensionem pressuras innumerabiles pro fide sustinuêre catholica, peroraui: præsenti verò volumine tentabo, si possum, de illis, qui pacis & tranquillitatis diebus floruerunt, aliquid etiam dicere: ab illo tempore ducens exordium, quo Romani Imperatores idolis abrenunciantes, pro quibus persequebantur Christianos, verũ Deum cœperunt colere, qui mundi fabricam condidit vniuersam. Nullo enim tẽpore destitit Deus in vinea sua, id est, in Ecclesia sua idoneos conducere operarios; neque illa dignos illi fructus per patientiam gignere: sed quantò duriora pro Redemptoris sui nomine certamina tolerauit, tantò gloriosiùs semper de Diabolo triumphauit. Proinde zelatur Diuini muneris efficaciam antiqui serpentis impietas, & contra pietatis iustitiam armatur iniquitas. Ille quippe qui dudum in cælo positus Diuinitati se comparauit, & esse Deo similis, non per iustitiam, sed potentiam concupiuit; quique propter suam de cælo proiectus est superbiam, solita versutia post persecutionis tempora, quam sustinuit Ecclesia primitiua, tranquillitati eius inuidens rursus per quosdam hæreticos tentauit subuertere Catholicam fidem: & qui priùs aduersus eam, saeuam persecutionum excitauerat tempestatem, ille etiam postmodùm in ea hæreticorum seminauit germina nequam. Sed pietatis Dei munificentia contra præfatam nequitiam quosdam suos armauit proceres, qui magno suo labore, & hæreticorum dolos peffundarent, & sacræ fidei lineam vberiori facundia roborarent. Quorum profectò meritum à martyrij dignitate non degenerat: nam idem labor pro fide certantibus eos martyribus æquiparat. Et quia nihil est veritate validius, ita omnem hæreticam prauitatem fides Catholica præfatorum labore viro-

Doctorum & Martyrum par meritum.

rum contriuit; sicut dudũ antiquorum Philosophorum ambiguas opiniones Sanctorum Patriarcharum atq; Prophetarũ auctoritate quassauit. Et quemadmodum ille felix Angelorum exercitus, qui post Diaboli lapsum in cælis remansit, Deo, secundùm datum ordinem dignitatum, famulatur & seruit; & ad nutum eius Angelorum multitudinem, Archãgelorum obedientia regit: ita & nunc Ecclesia, secundùm sibi datos gradus ordinis & disciplinæ, ipsi Deo, pro humana possibilitate, fideliter in terrâ ministrat. Verùm quos illa non colligit, hos profectò Diabolus ad interitum secum rapit. Et hæc præsenti prologo de sanctâ dixisse sufficiat Ecclesiâ. Amodò verò inferam operi inchoato quædam capitula de gestis Francorum locis oportunis: non enim fas est præterire penitùs tantæ gentis virtutem, quę Gallorum gentem asperam, audacem, bellicosam, & cunctis regnis terribilem, ipsisque etiam Romanis, imperio terrarum florentibus, formidabilem, suis armis subigere, & suo sensu potuit retinere. Priùs tamen ipsius Galliæ situm, quem nunc præfata Francorum gens incolit, breuiter comprehendam atque depingam. Igitur vniuersa Gallia non tam ampla, quàm inclyta, prouincijs tribus terminabatur antiquitus: quarum vna Belgica, alia Aquitania, alia verò Lugdunensis nominabatur. Porrò Belgica prouincia habet ab oriente limitem flumen Rhenum & Germaniam: ab Euro verò habet Alpes Apenninas; & à meridie, Prouinciam Narbonensem; & ab occasu, Prouinciã Lugdunensem; & à Circio, Oceanum Britannicum. Vrbes eius inclytæ, & famosæ: Colonia Agrippinensis, Tungris, Treueris, Metis, quæ & Mediomatricum, Rhemis, Landunis, & pagus Heluetiorum, quem nunc Alemanni incolunt. Fluunt per eandem prouinciam Scaldus, Matrona, & Mosa, & Axona quæ vltimo Rhemorum fines prętersluit. Sylua etiã habetur in ea, quæ dicitur Ardenna, quæ à ripis Rheni fluminis vsque in Treuirorum fines extenditur. Aquitania verò à Garumna flumine ad Pyrenæos montes extenditur, & obliquo Ligeris cursu, qui eam ex parte terminat, penè in orbem cingitur. Continentur in eâ vrbes egregiæ Narbona, Aruernis, quæ clarus Mons dicitur, Bituris, Cadurcum, Tholosa, Rhuthenus, Lemonis, Petragorica, Pictauis, Burdegala, Xantona, Engolisma. Meat per Aquitaniam Dordonia, quæ in Garumnam immergitur. Sylua habetur in ea Letenna Bituribus & Aluernis confinis. Lugdunensis autem prouincia oritur à monte Virano, qui est inter Sequanos & Heluetios, & à lacu Lemanno, & flumine Rhodano, & extenditur ad Oceanum Britannicum, dila-

Gallia olim tribus prouincijs Belgicâ videlicet, Aquitaniâ & Lugdunensi terminabatur.

Belgica.

Aquitania.

Lugdunensis prouincia.

dilataturque ad Ligeris alueum, qui eam ab Aquitania separat & diuidit. Vrbes in ea multæ & opulentæ, Lugdunum, Cabillonis, Hedua, quæ & Augustudunus, Senonis, Antissiodorus, Niuedenus, quæ & Niuernis, Meldis, Trecas, Parisijs, Carnotum, Gennabus quæ & Aurelianis, Rothomagus, Ebrocas, Oxunus, id est Sagiensis, Cenemannis, Lixouium, Nanneris, Andus quæ & Andegauis, Abrincantina, Rhedonis, Venetus: quarum Augustudunus, & Senonis maioris antiquitus auctoritatis fuêre. Nam Augustudunus amicitiam Romani populi amplectendo nobilis euasit. Senonenses verò Romam quondam obsidione cinxerunt. Fluunt per Lugdunensem prouinciam Rhodanus, & Araris, qui & Sagona vocatur; & Sequana, qui Oceano Britannico immergitur. Syluæ in ea Perticus, & Longotia. Has tres Galliæ prouincias dum Galli occupauissent, illam regionem, quæ septentrionem versus, inter Mosam & Rhenum porrigitur, Austriam, illam autem, quæ à Mosa vsque ad Ligerim portenditur, Neustriam vocitauerunt. Quædam tamen pars Galliæ, quam Burgundiones intra Lugdunensem occupauêre prouinciam, nunc Burgundia vocatur, Aquitania verò nomen adhuc auitum retinet; dicta Aquitania, quia præ cęteris Galliæ prouincijs fontibus & torrentibus scaturiat. Et hæc modò tantùm compendioso sermone de situ Galliæ dixisse sufficiat. Restat tamen vt & Narbonensem prouinciam, quę pars Galliarum est, describamus. Narbonensis prouincia habet ab Oriente Alpes Gothicas, & ab Occidente Hispaniam, & à Circio Aquitaniam, & à Septentrione Lugdunensem prouinciã, & ab Aquilone Belgicam Galliam, & à meridie Insulas Baleares; à fronte verò, quà Rhodanus in mare defluit, insulas Cycladas. His ita decursis ad historicã reuertar amœnitatẽ.

Aquitania cur sic dicta.

Narbonensis prouincia limites.

2 CONSTANTINVS igitur Magnus, Constantij moderatissimi & egregij Principis filius, in Britannia Imperator, Dei nutu constitutus, anno Christi CCC. VI. Imperauit annis XXXII. In Orientis autem partibus regnabat adhuc Maximianus Galerius. Romæ verò à Prætorianis militibus Maxentius, Maximiani Herculei filius, Imperator erat constitutus. Sed Constantinus Magnus, mox vt apicem Regni ex paterna hæreditate suscepit, mira Dei gratia exercitui acceptus, & viris fortibus imitandus; facinorosis verò, & ignauis, terribilis fuit. Maxentius verò in tanta flagitiorum & scelerum fece, & in tanto impuritatis cœno versabatur, vt nihil facinorũm pessimorum, ab eius vita vel actibus esset alienum. Igitur cùm iam VII. annum

Constantinus Magnus in Britannia Imperator creatur.

imperij sui perageret Constantinus, aduersum Maxentium, pessimis, vt dix imus, moribus adornatum, nondum baptizatus, conspirante secum collegâ Licinio, bellum parauit: & dum illuc pergeret, & multa secum de imminentis belli necessitate pugnæ proximus pertractaret, vidit per soporē in cælo signum Sanctę Crucis flammeo rutilare nitore, & Angelos sibi assistentes, & dicentes: Constantine, IN HOC VINCE. Et euigilans, signum, quod viderat, in vexilla depinxit militaria. Deinde transformat signum, quod dictum Labarum, in speciem Crucis Dominicæ; & ita instructus & armatus, cum magna spe victoriæ, iter aduersus Maxentium dimicaturus accelerauit. Et cùm iam procul à ponte Miluio castra posuisset, ecce Maxentius furia instigatus, ab vrbe per pontem nauigijs compositum egressus, hostiliter occurrit illi; iusserat quippe nauibus ad decipulam compositis fluuiū sterni, & superpositis tabulis exæquari; sed cùm vtrimque pugnarent, & exercitus Maxentij sanctæ Crucis virtute prosterneretur, ad vrbem fugiendo remeare volens Maxentius, pontem, quem diximus nauigijs compositum, ascendit; & subitò subsidere naues, ipse lapsu equi in profundum aluei demersus est, sicque belli futuras cædes sui nefandi capitis redemit interitu. Tunc Constantinus vrbem Romam triumphans ingreditur, & ita totius Occidentis Imperium vsque ad Oceanum deuenit tàm ad Constantinum, quàm ad Liciniū. Constantino ergò Augusto in vrbe recepto, statim vt imagines ob honorē triumphi illi Senatus erexit, Vexillū Sanctæ Crucis in dextera sua fecit depingi, & subter ascribi: hoc esse INVINCIBILE SIGNVM DEI VIVI. Adhuc tamen in Orientis partibus, sicut iā diximus, imperabat Maximianus, vir impius & mente ferox: quem Licinius à Roma digressus expugnare parauit: & cùm iam ferro Licinij, cecidisset exercitus Maximiani Galerij, pars quæ supererat, videns Imperatorem suum diuino fauore nudatum, Licinio se subdidit. Maximianus verò Galerius, vt vidit à Dijs suis se deceptum, & ab hominibus derelictum, turpiter & infeliciter fugit: veruntamen dum reparauisset exercitum, velletque secundò cum hoste confligere, doloribus interiorum viscerum correptus, vehementer exagitari cœpit, ita vt nec stratis quidem recumbere posset: demum verò morbo luminibus amissis viuendi finem fecit. Interea verò Constantinus Romæ positus valida squaloris lepra perfunditur, & cùm multorum cura medicorum ei adhiberetur, nec vnus quidem facere potuit, vt consequeretur salutem. Tunc venientes Sacerdotes Capitolij dixerunt illi, debere piscinam fieri in Ca-

Crux in somnis visa, auspiciū victoria Constantino.

Maxentiū vincit.

Maximianus à Licinio vincitur.

Constantinus lepra inficitur.

Capitolio, & compleri sanguine innocentum, & calente eo lotum posse sanari. Aggregatis igitur plurimis infantibus volebant eos mactare: quod vbi comperit Imperator, & lachrymas matrum cum vlulatibus exaudiuit, illicò facinus exhorruit, & propitiatus dolore earum, præcepit restitui paruulos matribus suis, vehicula quoque & dona dispertiri, vt his muneribus amaritudinem maternarum obducerent lacrymarum. Transactâ denique die dum somni tempus aduenisset, astiterunt ei sancti Apostoli Petrus & Paulus dicentes: quoniam flagitijs posuisti terminum, & effusionem sanguinis innocentis horruisti, missi sumus à Domino Iesu Christo dare tibi sanitatis recuperandæ consilium. Audi ergò, & fac quæ indicamus tibi: Syluester Episcopus, gentilis populi ritus & delubra fugiens, in monte Soracte cum suis Clericis latebram fouet: hunc cùm ad te adduxeris, ipse tibi piscinam ostendet, in qua dum tertiò immerserit, omnis te valetudo deseret lepræ. Pro quo facto, hoc tuo Saluatori compensa, vt per totum orbem Ecclesiæ restaurentur, teque ipsum purifica, vt relictis idolis Deum verum, qui solus est, adores. Surgens ergò Constantinus à somno, misit ad montem Soracten, & accersiuit ad se Sanctum Syluestrum. Et cùm ingressus ad eum Sanctus fuisset Episcopus, percunctatus est illum Imperator, qui Dij essent Petrus & Paulus, ille non Deos, sed Apostolos Christi eos esse respondit, atque ex imaginibus eorum, quas illi ostendit, hos esse didicit Imperator, quos in visione conspexerat. Tunc Papa Syluester catechizans eũ intra Palatium Lateranense, pœnitentiam indixit, & die VII. in qua claudendum erat ieiunium, vespertino tempore, benedicto fonte illum purificauit. In quo dum tertio mersus fuisset, manum de cælo se contingentem vidit, & protinus ab omni squalore mundatus est lepræ, ac demum albis vestibus indutus, & sacro crismate confirmatus, & sigillo sanctæ crucis est signatus. Qui inde egressus, postquam se sanum conspexit, publico præcepit edicto, vt per totum Romanum Imperium templa clauderentur, & Ecclesiæ ædificarentur: ipse etiam extruxit Deo, & sancto Ioanni Baptistæ Ecclesiam intra Palatium Lateranense, quam voluit esse caput, & verticem omnium Ecclesiarum, in qua consecrauit Baptisterium ex lapide porphyretico, exornans illud intus argento purissimo, posuitque in medio eius columnam, quæ gerebat phialam, vbi ardebat die ac nocte balsamum probatissimum. Ædificauit quoque alteram in eadem vrbe Basilicam exquisito decore Sanctis Apostolis Petro & Paulo, ibique eorundem Apostolorum corpora recon-

Sanguinarium Consilium.

SS. Petrus & Paulus apparent Constant. in somno.

Vsus Imaginum in Ecclesia antiquissimus.

Constantinus Magnus baptismate à lepra mundatur.

condidit, ære & cupro ea circumdans, V. pedes grosso: extremam verò ipsius Basilicę camerā decorauit auro, ditauitq; illam multis possessionibus & muneribus. Denique incredibile est memoratu, quàm breui eius studio, sancta latè per totū orbem creuerit Ecclesia, & quantâ curâ erga sumptum ædificandarum Ecclesiarum fuerit ardens. Nam cùm edicto publico ædificarentur Ecclesię per totū eius Imperium, ipse ad hoc peragendū ex regijs thesauris pecuniā affluentissimè conferebat. Scribebat insuper singulis ciuitatibus regni sui, vt populus Episcopis ministraret de regali fisco, vnde sanctæ Ecclesiæ perficerentur: fide quippe Dei animus eius æstuabat, & benignum ipsius ingenium atque clemens bonis operibus pascebatur. Proinde Licinius, qui ab eo consors tam Imperij, quàm propinquitatis fuerat factus, (sororē enim eius, Constantiā nempe, in matrimoniū acceperat;) inuidia stimulatus, dissidiū moliebatur, hoc in querelam deuocans, quòd non ita pro se, sicut pro Constantino, Christiani solemnibus orationibus excubarent; non enim tā vi & metu, quàm amore & religione, Constantinus omnibus imperabat. Stulta igitur hac Licinius ita commotus, primùm occultis pium Principē decipere parat insidijs. Sed postquā intelligit molimina sua parū procedere, manifesta sæuitia Imperatori bellū indicit, & Christianos persequi crudeliter parat: & primùm quidē de palatio suo, si quis Christianus esset, exire iubetur; tū & de omni militia: postmodùm verò tyrannicis præcepit edictis, omnes qui Christianos se profiterentur, in carcerem mitti. Sed postquā huiusmodi armis & virtutibus pręcinctus tyrannidem cœpit agitare Licinius, Constantinus veris virtutibus adornatus, tot tantisq; flagitijs ire obuiam parat, nec aliqua fuit difficultas victoriæ, vbi causa iustior, & fides purior, & virtus erat eminentior. Facta est igitur congressio in Bithynia circa Chrysopolim, & victus est Licinius, atque comprehensus, & apud Thessalonicā capite truncatus: sicq; deiecto Licinio, & extincto, Cōstantinus mira bellorū felicitate, soliditatē Romani Regni solus obtinuit. Perijt autē Licinius regni sui anno XIV. vitæ verò suę ferè LX. vir animo seuerus, spadonumq; & Aulicorū vehemens domitor: appellebat quippe eos tineas, soricesq; Palatij. Verùm cū ad Cōstantinū omne Romanorū, sicut dictum est, deuenisset Imperiū, hoc non suæ virtuti, sed Diuino muneri deputabat. Tūc ędificauit sibi Byzantiū maritimā Ciuitatē, & vocauit eā Constantinopolim de nomine suo. Ornauit deniq; illā diuersis fabricis, & construxit in ea plures Ecclesias, quarū vnā appellauit Irenē, & aliā Apostolorū: aliā verò dedicauit Agiæ Sophię,

Constantini feruor in erigendis Ecclesijs.

A Constantino alienatus Licinius.

Licinius persequitur Christianos.

Licinij à Constantino debellati mores & interitus.

Exordium vrbis Constantinopolitanæ.

id

id est, sanctę Sapientiæ, quę Christus est: & aliā sancto Michaëli Archangelo. Transtulit etiā eò omnes penè nobiles Romanos, & ordinē Senatorum cū vxoribus & liberis. Vrbē Romā verò cum palatio suo, quod Lateranense dicitur, concessit Apostolis Christi Petro & Paulo, & sancto Papæ Syluestro. Sanciuit etiā & instituit testamento, vt omnia, quę ad Ecclesiasticū ordinem pertinent, Romani Episcopi iudicio dispositionē accipiant: sed & per totum Imperiū priuilegia singulis ciuitatib9 dedit, vt omnis populus Christianus sub Episcoporū ordinatione, Domino liberè deseruiret; fatebatur quoq;, quòd opportunū ministrum adduxerit illū à Britannico mari ad loca Orientis, vt eius diebus propagaretur Christianismus per vniuersum Romanū Imperium. Et dū hæc agerentur, mater eius Helena magnificè ab Angelis admonita, diuinis visionibus Ierosolymā perijt, & Caluariæ locū, vbi sacrum Christi corpus cruci pependerat affixum, ab incolis exquisiuit. Erat tunc locus ille ad inueniendum difficilis, eò quòd à perfidis hominibus erat in eodem loco Veneris simulacrū constitutum, vt si quis ibi Christum adorare voluisset, Venerē adorare videretur. Quò cùm Imperatrix peruenisset, cęlitus sibi signo facto, cœpit subitò inde odor suauissimus, sicut fumus aromatum, prorumpere in altū; defossaq; tellure, tres confuso ordine reperit cruces. Manebat in eadem vrbe quædam fœmina, quæ graui laborabat incommodo; ad quam ingressa Regina cum Machario eiusdem vrbis Episcopo, & frequenti populo, adhibuit super eam vnā de tribus crucibus, sed nihil ei profuit; tunc adhibuit & secundā, & nec tunc quidem aliquid actum est: sed vt admouit tertiam, mox mulier sana & alacris surrexit, & tota domo discurrere cœpit. Hæc videntes multi Iudæorum, & Paganorum ad Christianam conuersi sunt fidem. Tum voti sui compos effecta Regina, illud scelestissimum Veneris templū fecit deijcere, Idolumq; confringere, & ibidē Ecclesiam Regiâ ambitione construxit: demumq; salutare Lignum secari fecit per mediū, & vnam ibidē argenteis thecis recondidit portionē, vt vbi Dominicis fuerat membris aptata supplicio, ibidem glorificaretur à populo: alteram verò Constātinopolim, ibi etiam nunc solita veneratione seruatur. Clauos quoque, quibus Corpus Dominicum cruce pependerat affixum, portat ad filiū; quibus ille frenos cōposuit, vt his vteretur ad bellum, & ex alijs galeam fertur armasse. Interea verò idem Augustus cōdidit in Bithynia ciuitatē, quā ex nomine matris suæ Helenopolim nominauit: Romæ quoq; cōstruxit Ecclesiā, quam nominauit Sanctam Ierusalem, eamque sanctæ Crucis ligno nuper inuentæ insigniuit, & quatuor candelabra argentea,

Constantinus Lateranense Palatium Petro & Paulo dat.

Merita Constantini in Ecclesiam varia.

Helena angelico instinctu Hierosolymam contendit.

Helena S. Crucem inuenit, & eam quomodo à reliquis secernat.

Helenopolis condita.

secundum numerum quatuor Euangelistarum, ibidem constituit, quæ ante ipsam Dominicæ Crucis portiunculam iugi lumine coruscarent. Extruxit etiam in eadem vrbe Ecclesiam Sancto Martyri Laurentio, quā cancellis argenteis honestauit, & insuper intrinsecùs porphyreticis adornauit marmoribus. Fabricari præterea fecit in eadem vrbe Ecclesiam beatę martyri Agneti rogatu Constantiæ filię suæ: sancto quoq; Apostolo Paulo extruxit basilicā, suggerente sibi Sancto Papa Syluestro, quam & muneribus, & possessionibus amplissimis honorauit: ædificauit quoque multas per diuersas ciuitates Ecclesias. Demum verò idem Augustus pietate fretus, Sarmatas, Gothos, & alias barbaras gentes armis edomuit. Et quantò humiliùs se Deo subijciebat; tantò ampliùs Deus illi vniuersa subdebat. Calocerum denique Tyrannum in Cypro nouis rebus aspirantem oppressit. Sed cùm iam magnificè per vniuersum Romanū Imperium, pij Imperatoris instantiâ floreret Ecclesia, non pertulit inuidus inimicus. Erat eodem tempore apud Alexandriam quidam Presbyter Arrius nomine, forma simul & specie magis, quā virtute religiosus, laudisq; & nouitatis improbæ cupidus, qui in eadē Ecclesia expositionē Diuinarum scripturarum videbatur habere commissam. Hūc igitur inueniens inimicus, nisus est per eū in Ecclesia excitare tempestatem: prædicabat enim Filiū Dei, creaturam esse, & Spiritum sanctū ab eo creatum; addebat etiam: erat quando non erat. Et cùm has faceret Arrius inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum differentias: Alexāder eiusdem Episcopus vrbis ei resistens, astruebat Filium Patri coæternum, & Spiritum sanctum tempori nunquam obnoxium; sed vnà cum Patre & Filio coæternaliter viuere, & ab vtroque procedere. Docebat etiam totā solidæ Trinitatis maiestatem, simplicem & indissociabiliter esse connexam, ita vt nunquam Pater à Filio, nunquam separari possit Spiritus Sanctus ab vtrisque. Sed cùm illū ab exitiabili errore reuocare nequiret, expulit eum ab Ecclesia sancta. Ille verò contra eum seditionem excitauit: quod audiens Princeps Constantinus, coadunari fecit sanctam Synodum apud Nicæam Bithyniæ vrbē, Anno Incarnationis Diuinæ CCC.XVI. conuenerunt ibi CCC.XVIII. Episcopi. In qua Synodo definitum est, Filium Patri consubstantialem, quia græcè homousion dicitur, deberi confiteri. Et hæc est prima Synodus vniuersalis. Iam Papa Syluester defunctus fuerat, & illi Marcus successerat, Marco verò Iulius: Iste tunc in Apostolica Cathedra residebat; veruntamen huic non interfuit Concilio propter senectutis imbecillitatem, sed

Initium hæresis Arriana.

Arrij errores.

Arrius ab Alexandro Episc. Alexandrino refutatur, & expellitur ex Ecclesia.

Synodus Nicæna Vniuersalis sub Iulio Pontifice.

Syluestro Papa succedit Marcus, & huic Iulius.

sed adfuerunt pro eo Vitus & Vincentius Romanę Ecclesię Presbyteri. Adfuerunt etiam ex Apostolicis Sedibus Macarius Hierosolymitanus, & Eustachius Antiochenus, & Alexāder Alexandrinus honorabiles Patriarchæ. In quo Concilio Arrius est damnatus, & ab Ecclesia separatus. Fuerunt tamen quidam, qui impietatis facem ab Arrio susciperent, & Ecclesiastica dogmata blasphemarent. Ea denique tempestate multi Sanctorum Ecclesias exornabant; inter quos florebat Hosius Cordubensis Ecclesiæ Episcopus, qui tempore persecutionis multis iam fuerat factus confessionibus clarus; & Dorotheus Episcopus Tyri, qui multa sub Diocletiano pertulerat tormenta. Maximus quoque Treuirorum Episcopus, & Nectarius Viennensis, & Eusebius Cæsariensis, & Retius Augustudunensis, omnes venerabiles Episcopi, & Paphnutius homo Dei in Ægypto. His præterea diebus quidam Romanæ Ecclesiæ Subdiaconus, Euortius nomine, venit in Galliam causâ perquirendorum germanorum suorum, qui captiui fuerant ab Italia ducti. Porrò Aurelianis in diebus suis pro constituendo Pontifice conuenerant quamplurimi Episcopi, & celebrato triduano ieiunio, intra Ecclesiam Dominum deprecabantur, vt Deus eis Antistitem, qui dignus esset, cœlitus declararet; fortè præfatus Subdiaconus adfuit, & in peregrino habitu constitutus iuxta ianuas Ecclesiæ stetit; omnibus ergo Dominum deprecantibus, ecce columba nutu Dei per fenestram Ecclesię aduolans, allata est super caput eius: quod signum videns populi frequens multitudo admirari cœpit. Columba verò vnde ingressa, illuc & egressa est; verùm hoc signo diuinitus ostenso, tunc venerabilis Euortius Episcopus ordinatur. Denique euoluto anno consecrationis eius, contigit vt ciuitas casuali conflagratione corriperetur, quod cernens vir Dei in oratione prosternitur; illo autem orante continuò voracitas extincta est flammę. Altera autem vice, cum idem Pontifex sacra mysteria ex more celebraret, & hostiam eleuatis manib⁹ Deo protenderet, ad declarandum Sancti viri meritū, apparuit super caput eius manus candida sicut nix, tertio oblatam benedicens. Porrò sæpè nominatus Constantinus Augustus, omni memoriâ tyrannicæ dominationis ab omni Romano ablata Imperio, defunctus est in suburbio Nicomediæ, anno ætatis suæ LXV. Cui successère tres filij Constans, Constantius, Constantinus. Quorum Constantinus Romanum adeptus est Imperium; Constantius verò Constantinopoli imperauit, & apud Antiochiam Constans. Porrò Constantini corpus in Byzantio, Constan-

S. Euortius diuinitus per columbā designatur Episcopus Aurelianensis.

Euortij sanctitas.

Constantinus Magnus moritur.

Filij Constantini Magni.

tinopoli dicta, conditum est. Is etiam Constantinus donec vixit, habitum regium gemmis, & caput suum exornauit perpetuo diademate. Nutriuit præterea semper bonas artes, legebat, & ipse scribebat, & meditabatur.

3 CONSTANTIVS II igitur post patris obitum Romanũ adeptus Imperium, anno Diuinæ Incarnationis CCCXXXVII imperauit annis XXIIII. Hic vt factus est Imperator, deprauatus est per necessarios suos à Catholica fide. Porrò Athanasius Alexandrinus Episcopus, vir spectabilis & magnificæ fidei, Imperij huius anno secundo, disputauit cum Arrio, turbis hinc atq; inde astantibus, apud Laodicæam Syriæ vrbem. Probus autem vir quidam Imperatoris iussu arbiter inter eundẽ Arrium, & strenuissimũ sanctæ fidei defensorem Athanasium sedit, vbi nitor fidei ad purum decussus est, & ostensum multis & copiosis diuinorum librorum probamentis, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum proprijs constare personis: & alium esse Genitorem, alium verò Genitũ, & alium Spiritum Sanctum; sed vnam esse Patris, Genitique, & Spiritus Sancti naturam. Arrius tamen indurata mente permansit in malitia sua, sed eius versutias atque blasphemias tandem Dei iudicia sunt secuta. Ibat fortè quadam die per mediam ciuitatem, & cùm venisset iuxta locum, cui vocabulum est, Constantini forum, percunctatus est, si secessus esset in proximo. Quò cùm venisset, atque sederet, defectus quidam illum repentè corripuit, & vnà cum stercoribus, meatus quoque prosiluit, sicque cum subtilibus intestinis exectabilem effudit vitam in eodem loco. Secessus verò vbi talia gesta sunt in Constantinopolitana vrbe monstratur. Porrò Imperatoris Constantij præsidio fulti Arrianorum Episcopi, prosperitatem Ecclesiæ domestica turbatione vexauerunt, & quosdam Catholicos viros sibi viriliter pro fidei iustitia resistentes, exilio damnauerunt: inter quos fuêre Athanasi⁹ Alexandrinus, & Eusebius Vercellensis, & Hilarius Pictauiensis, insignes Episcopi. Liberius quoque, qui defuncto Papa Iulio Romanam gubernabat Ecclesiã pro fide Nicæni Concilij, in Beroëa Thraciæ à prædicto Imperatore exiliatus est, & quidam eius Diaconus nomine Felix, in locũ eius sublimatus. Iste tamen Felix inconcusè Nicænam seruauit fidem, & celebrans in vrbe Roma Concilium, agnouit ibi duos presbyteros de Arriana fece consentientes Constantio, Vrsanum videlicet, & Valentem, quos statim à Concilio expulit, & excommunicauit. Vnde indignatus Augustus, consilio prædictorum presbyterorum expulit

Athanasius disputat cũ Arrio.

Arrij heretici fœda mors.

Liberius Papa, qui Iulio successit, cogitur exulare pro fide Cõcilij Nicæni.

expulit eum à Sede sua, & reuocauit Liberium; Liberius autem deinceps corruptoribus sacræ fidei sine discretione communicauit. Facta est igitur persecutio in Clero & populo, tempore illo, ita vt presbyteri & clerici intra Ecclesiam, non prohibente Liberio, ab Arrianis necarentur. Qua persecutione feruente, passus est Romæ beatus Martyr Eusebius. Præfatus verò Papa Felix suâ Sede priuatus, habitauit in prædiolo proprio via Portuensi, vbi etiam quieuit in pace. Interea Constantinus Augustus militari tumultu occisus est. Constans quoque frater eius, dum se intolerandis vitijs tradidisset, Magnentij Tyranni dolis necatus est. Per idem præterea tempus Romani milites in Illyrico costituti, Vetranionem quendam ætate grandæuum Imperatorem sibi creauerant, virum quidem natura simplicem, cunctisque iocundum, sed qui nec prima vnquam litterarum elementa didicisset: Itaque cùm primùm litteras, litterarumque syllabas Imperator senex interdum inuitus meditaretur, à Constantio, qui tunc in Magnentium vltione fratris accensus, bellum præparabat, deponere iussus est Imperium, qui abijciens purpuram cum litteris, contentusq; priuatis ferijs, Palatium simul, scolamque dimisit. His etiam diebus Romæ Nepotianus Constantini sororis filius, gladiatorum manu fretus, inuasit Imperium; sed cùm esset suis inuisus, à Magnentij Ducibus oppressus est. Deinde factum est horribile bellum inter Constantium & Magnentium apud vrbem Mursam, in quo multa Romanarum virium profligatio facta est: Magnentius tamen victus aufugit, & non post multum tempus apud Lugdunum propria se manu interfecit. Decentius quoque frater eius, quem Cæsarem Galliarum fecerat, apud Senonas laqueo vitam finiuit. Tunc etiam Constantius Gallum sui patrui filium sibi Cæsarem legit, sed hunc, crudeliter ac tyrannicè se agentem, paulò post quam creauerat, interfecit. Sciendum tamen est, quod Constantinus, qui Byzantium suo nomine appellauit, duos habuit ex eodem patre, sed non ex eadem matre germanos: quorum vnus Dalmatius, alter verò Constantius vocabatur. Et Dalmatius quidem sui nominis habuit filium, qui post obitum Magni Constantini à militibus est interemptus, non iubente Constantino, nec tamen prohibente. Constantius autem Dalmatij frater duos habuit filios, Gallum & Iulianum; quorum Gallus modico tempore, sicut dictum est, sub Constantio Augusto Cæsar fuit; Iulianus verò scholis vacabat, habitu procedens priuato.

Persecutio Ecclesiæ sub Constantio Arriano.

Obitus Cõstantini & Constantis.

Vetranio à militibus Illyricianis Imperator appellatur.

Nepotianus inuadit Imperium.

Magnentius & Decentius sibimet ipsis intulerunt manus.

Iulianus à Constantio Cæsar constituitur Galliarum.

Mortuo ergo Constante, & Gallo Cæsare iam defuncto, aduocauit Constantius Augustus Iulianum à Constantinopolitana vrbe, & constituit illum Cæsarem Galliarum, iungens illi matrimonio sororem suam Constantiam. Cæsar itaque factus Iulianus, deuicit Gallos mira facilitate apud Rhenum fluuium consistens, & cùm militibus suis gratus esset, appellatur ab eis Augustus. Quo nomine tumens Iulianus, spreto Constantio Augusto, Italiam, Illyricumque peruasit. Quod audiens Constantius in vrbe regia positus, instructione belli Parthici derelicta, venit contra illum, sed in itinere defunctus est, anno vitæ suæ XLV. Quo defuncto Iulianus veniens Constantinopolim, factus est Imperator. Itaque Constantius, qui Catholicos persecutus est Christianos, totum tempus Imperij pertulit inquietum. Hac præterea tempestate Reliquiæ Sancti Andreæ Apostoli, & Sancti Lucę Euangelistæ, & Sancti Timothei, Constantinopoli cum magno honore sunt reconditæ. Nata est etiam in Syria & in Macedonia hæresis Anthropomorphitarum; Syrus quidam Audæus nomine, fuit huius noui dogmatis adinuentor. Hic nempe fatuè intelligens, quia scriptum est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: humanam formam asserebat habere diuinitatem, & corporis partibus Deum esse distinctum, quod Catholicæ contrarium est doctrinæ. Refelli tamen non potest, Deum aliquando ea posse videri specie, quam diuina voluntas elegerit, non natura formauerit. Sed & humana mens dum adhuc est in corpore constituta, potest diuinitus rapi ex hac vita, sicut qui raptus est in paradysum, & audiuit illic ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui: illam autem, quæ in Deo habitat, Diuinitatis plenitudinem, nemo corporeis oculis cernere, aut mente potest comprehendere. Et hæc contra hæreticam dixisse sufficiat prauitatem, vt ad historiam redeamus.

Obitus Constantij.

Reliquiæ SS. Andreæ Lucæ & Timothei Constantinopolim delata.

Hæresis Anthropomorphitarum.

4 IVLIANVS Apostata primùm Cæsar, sicut præmissum est, ac demum Imperator ex clerico factus, anno ab Incarnatione Domini CCC LXII. imperauit annis duobus, & mensibus VI. Hic impudenter sanctum baptisma diluens sanguine sacrificiorum, cu ... cta faciebat, quibus Dæmones placari suescunt. Reserauit etiam templa gentilium, & factus est Christianorum cæteris persecutoribus callidior persecutor, nam non vi, neque tormentis, sed præmijs & honoribus, blanditijs & suasionibus maiorem penè populi partem, quàm si pulsaret atrociter, expugnauit. Militiæ quippe cingulum, & procurationem prouinciarum, & officium iuris docendi, Christianis non debere committi dicebat,

Iulianus statim Christianã Religionem solemniter abnegat.

Persecutio sub Iuliano.

bat, vtpote quibus lex propria gladio vti vetuisset: vnde militibus publico postmodum præcepit edicto, vt aut sacrificarent, aut militiæ cederent. Verùm quidam Catholici præcepti conditionem non amplexati, officium, quàm fidem, zelo Dei deserere maluerunt. Per idem tempus Valentinianus, qui postea factus est Imperator, erat Millenarius, & circa Palatium constitutus. hic zelum quem propriè habuit, non celauit: dum enim quadam die quoddam templum ingrederetur Augustus, & ex vtraq; parte ianuarum astarent ministri templi, qui aspersione aquæ, sicut ipsi dicebant, purgarent ingredientes, Valentinianus guttam sua vidit in chlamyde, & indignatus pugno percussit templi ministrum, dicens: se illa aspersione maculatum potiùs, quàm purgatum. Quod respiciens Imperator iussit eum in custodia recipi, & demum ad eremum destinari; sed ille, cùm annus & pauci pertransîssent dies, pro mercede confessionis, recepit Imperium. Non solùm enim in illa vita diligentes se Deus honorat, sed aliquando etiam in præsenti bonorum operum retributiones impendit, & præsentibus præmijs sperata confirmat. Iulianus tamen ergà Athanasium aperta sæuitia calliditatis suæ molimina denudauit: nam misso exercitu illum sibi vi præsentari præcepit. At ille dum à sede sua discessisset, & naui per fluuium iter ageret, quidam comes, qui ad eum deprehendendum missus fuerat, instanter eum persequi cœpit. Quod cùm Athanasius comperisset, retrorsum reuersus, obuium se ei præbuit, qui se insectabatur. Tunc Comes, tanquam prætereuntes comites Athanasij, interrogauit, vbi audissent esse Athanasium; cumq; illi respondissent, vidisse se eum non longè euntem, tota celeritate pertransiens properabat, in vanum festinans capere, quem ante oculos suos vidit, & capere non potuit. Ille verò Dei virtute munitus, Alexandriam redijt, ibique tutò latebras, donec persecutio cessaret, exegit. His præterea diebus passi sunt Romæ Ioannes & Paulus, Cubicularij quondam Constantiæ filiæ Magni Imperatoris Constantini. Sed & apud Sebasten Palæstinę vrbem, Sancti Baptistæ Ioannis sepulchrum, populus paganorum, mente rabida, & funestis manibus effregit, & eiusdem Sancti Martyris reliquias igne cremauit, & pulueri immixtas per agros & rura sparsit, adfuêre tamen quidam peregrini de Hierosolymis, qui pauca inde ossa incendio furtim subtraxêre, & secum redeuntes profutura generationi posteræ deuexêre. Denique Iulianus ad Parthicũ bellum profecturus, cœpit amplius in Christi cultores effrænata rabie deseuire. Præcepit extrui Hierosolymis Amphitheatrum, in quo reuersus Sanctos sæ-

Valentinianus à Iuliano in exilium actus.

Iulianus insidiatur Athanasio.

Ioannes & Paulus patiuntur pro fide.

Cineres Ioannis Baptistæ prophanantur.

uissimis obijceret bestijs, & laniandos spectaret Sed cùm à Ctesiphonte castra mouisset, & iam pugnaturus exercitum ordinaret, incertum est à quo, ventre sauciatus, perimitur. Et dum moreretur, cœpit Christum Deum blasphemare, dicens: *Vicisti Galilæe, vicisti.* Atque in his vocibus miser expirauit, Imperij sui anno tertio, vitæ verò suę XXX, primo,

Blasphemia Iuliani agonizantis.

5 IOVIANVS post Iuliani necem soliditatem Romani Imperij consecutus, imperauit mensibus octo. Hic erat vir fortis & nobilis, & illo tempore Millenarius, quo Iulianus electionem militibus suis lege proposuit, vt aut sacrificarent, aut militia cederent: qui magis elegit cingulum amittere, quàm impij Imperatoris præceptionibus obedire. Hunc tamen Iulianus ad bellum proficiscens, propter belli necessitatem, inter viros militares habebat: Qui cum violenter post Iuliani necem à militibus ad imperium traheretur, dixit, non se velle paganis hominibus imperare, cùm ipse Christianus existeret. Cùmque vox omnium ei communiter proclamasset, dicentium, se quoque Christianos esse, suscepit Imperium. Factus igitur Imperator Iouianus cogitabat de communi salute, & quomodo posset de medio hostium exercitum illæsum educere; sed cùm à locorum iniquitate captus & hostibus circumseptus, nullam euadendi facultatem prospiceret, pepigit fœdus cum Sapore Persarum Rege, & Nisibim oppidũ, partemq; superioris Mesopotamiæ ei cõcessit: moxq; Persarum Rex forum venalium illi in deserto præparari fecit, & ita Iouianus de medio hostium Romanum illæsum eduxit exercitum. Verum cùm ad Illyricum remeasset, in quoddam cubiculum nouum sese recepit, vbi calore prunarum, & nidore parietum nuper calce illitorum prægrauatus & suffocatus, octauo demum mense, quàm imperare cœperat, vitam finiuit. Et tam pia, tamque læta principia mors immatura corrupit.

Iouianus noluit prius Imperium capescere, quàm milites se Christianos clamassent.

Iouiani fœdus cum Sapore.

Optimus & orthodoxus hic Imperator, morte repētinâ extinctus est.

6 VALENTINIANVS denique Magnus, qui & ipse pro fide Catholica ab impijssimo Iuliano militia priuatus fuerat, Iouiano defuncto apud vrbem Nicæam, Romanorum consensu militum, anno Christi CCCLXIV. Imperium adeptus: imperauit annis XI. Iste non modò fortitudine, prudentia, temperantia, iustitia, atque corporis magnitudine præfulgebat, sed etiam regalis pariter & vrbanus perhibetur extitisse; & dum ei exercitus tentaret alium dare consortem,

tem, ille respondit: vestrum, inquit, ô milites, fuit, mihi dare regimen Imperij; verùm vbi hoc ego suscepi, meum iam, & non vestrum est, de rebus cogitare communibus. Et mox fratrem suum Valentem sibi in consortium assumpsit Regni; & sibi quidem Occiduas retinuit, fratri verò suo Orientales partes regendas concessit. Veruntamen iste Valens suæ Coniugis alloquio seductus est, & illaqueatus, cum esset antè Catholicus; quæ cum esset Arriana fallacia irretita, persuasit quoque secum corruere virum suum. Igitur Valens secundò baptizatus est ab Eudoxio Arrianorum Episcopo, qui tunc Constantinopolitanæ gubernacula tenere videbatur Ecclesiæ; non regens, sed suam potius mergens nauim: qui in ipso baptismatis tempore iureiurando miserrimum obligauit Valentem, vt in impietate sua permaneret, & vndique contraria sapientes expelleret. Sic igitur ille doctrinam Apostolicam derelinquens, contrarias partes sumpsit, & quod iurauit, demum adimplere curauit. Sed malignam insectationem distexit, nec voluntati potestatem admiscuit, quoniam adhuc viuentis fratris auctoritate compressus est. Contemplabatur enim de eo, quantam vim in vlciscendam fidem fidelis Imperator posset exercere, qui tantam constantiam pro retinenda quondam miles habuisset. Porrò Valentinianus ad Italiam descendit; vbi cùm resideret Auxentius Episcopus, Arriani dogmatis assertor, qui Mediolanensium diu tenuerat Præsulatum, defunctus est. Tunc aduocans Episcopos Imperator, huiusmodi apud eos verba locutus est: Nostis apertè, viri eruditi diuinis eloquijs, qualem oporteat esse Pontificem, & quia non deceât verbo solum, sed etiam conuersatione gubernare subiectos, & totius semetipsum virtutis imitatorem ostendere, testemque doctrinæ conuersationem bonam habere; talem itaque in Pontificali constituite Sede, cui & nos, qui Imperium gubernamus, sincerè nostra capita submittamus, & eius monita, dũ tanquam homines deliquerimus, necessariò veluti curantis medicamina suscipiamus. Hæc cum dixisset, petijt Synodus, vt magis ipse decerneret sapiens & pius existens. At ille, suprà nos est, inquit, talis electio, sed vos diuina gratiâ, & sancto splendore fulgentes, melius poteritis eligere. Tunc inde egressi Sacerdotes de Episcopali Sede tractabant, sed vti solet, incolæ ciuitatis tumultus faciebant, alij hunc, atque alij illum ordinari petentes. Cumq; inter Catholicos & Arrianos orta esset seditio, Ambrosius, vir Consularis eiusdem prouinciæ, ad eos sedandos

Valens à fratre in Imperij cõsortem adsciscitur.

Valens vxoris illecebris peruersus, ab Eudoxio baptizatur o iureq; iurando adstringitur ad Arrianismum propagandum.

Quiqus dotibus debeat Episcopus esse præditus.

Ambrosius Mediolani prodigioso pracone infans proclamatur Episcopus.

pro loco & officio suo inter eos aduenit, & dum plebem alloqueretur secundum legem & publicam disciplinam, subitò vox infantis insonuit, Ambrosium Episcopum. Ad cuius vocis sonitum totius populi ora conuersa sunt, acclamantis, Ambrosium Episcopum, & qui antè turbulentissimè dissidebant; quia Arriani sibi, atque Catholici Episcopum cupiebant: mox vno consensu ipsum vnum ordinari, mirabili & incredibili concordià consenserunt. Erat tunc Ambrosius Catechumenus: verùm eo obluctante, & plurimum resistente, ad Imperatorem relatum est populi desiderium, quod sine dilatione iubetur impleri. Moxque Ambrosius capitur, & baptizatur, & octauo die cum summa lætitia Episcopus ordinatur. Vnde Imperator Domino gratias referebat, dicens: Gratias ago tibi Omnipotens Saluator, quod huic viro ego quidem corpora, tu autem animas commisisti, & meam electionem tuæ iustitiæ conuenire docuisti. Et non multò post, cum idem Ambrosius verbum in Ecclesia faceret, vidit quidam Arrianorum Angelum ad aurem stantis Episcopi, indicantem ei, quid populo nunciare deberet: quo viso miraculo ad fidem Catholicam se conuertit: & quam prius expugnabat, extunc defendere cœpit. Interea verò Valentinianus, fidelissimus Christi cultor, Saxonum gentem, virtute terribilem, in ipsis Galliç finibus oppressit. Deinde Alanos sibi rebellantes aggressus, adeò contriuit, vt Mæotides paludes eos expetere compelleret; sed eos rursus illuc insecutus, dũ situ & difficultate locorum impediretur, Troianos, qui Sicambriam habitant, sibi in auxilium euocauit: quibus etiam tributa, si ei auxiliarentur, decennio indulsit. Qua promissione animati, cum essent gnari locorum, eos facilè proturbauerunt à palude. Tunc Augustus eorum virtutem admiratus, eos à ferocitate Francos appellauit: de quorum origine pauca nobis nunc perstringere libet. Sicambri quondã Troiâ à Græcis expugnata, sicut antiqua tradit historia, per altũ mare, Tanais ingressi ostia fluminis, per Mæotidas paludes, in finibus Pannoniarum castra metati sunt, ibique ciuitatem ædificauerunt, quam Sicambriam vocitauerunt. Hæc de Francorum origine scripta reperiuntur. Verum Valentinianus Augustus, expleto decennio, quo contra Alanos Sicambri ei auxilium tulerant, misit qui consueta ab eis exigerẽt tributa: quibus Franci proprij sanguinis precio, se tributo solutos respondentes, non soluturos amplius indicauerunt. Qua de re indignatus Augustus, contra eos exercitum instruxit. Tunc Franci melius arbitrati cedendum sibi loco, Marcomero, Sunnone & Genebaldo Ducibus, à

Imperatoris gratiarum actio ad Deum, pro Ambrosio dato Episcopo.

Ambrosio dicenti ad populum, adstitit angelus, ipsis hæreticis videntibus & obstupescentibus.

Francici nominis origo.

Sicam-

Sicambria egressi, plurima Germanorum oppida secus ripas Rheni fluminis peruaserunt: quorum numerus cùm primo suo aduentu in Sicambria vix ad XII. M. fuisset, in tantam coaluerat gentem, vt esset omnibus formidini & terrori. Vnde , sicut dictum est, precio sui sanguinis tributo soluti, nullum vectigal vlterius soluere voluerunt, nec fuit quisquam, qui eos iure belli posset redigere sub iugo tributi. Porrò Marcomero defuncto Pharamundus Francis præficitur. Imperantibus tamen Valente & Valentiniano, anno Imperij eorum tertio, Gratianus, Valentiniani Imperatoris filius, Ambianis Imperator est creatus. Floruit hac tempestate Basilius Cæsariensis , & Gregorius Nazianzenus, ambo illustres Episcopi, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ, & viriliter hæreticis resistentes. Floruit etiam apud Gallias Beatus Martinus Turonorum Episcopus, qui fuit ortus de regione Pannoniæ , ciuitate Sabaria: verùm florem adolescentiæ suæ Mediolana transegit in vrbe, & inde pro fide Catholica pulsus in Gallias venit, & sancto Hilario adhæsit Pictauensi Episcopo : cuius sancti viri exemplis informatus, ita postmodùm enituit , vt mereretur trium mortuorum fieri suscitator magnificus: in Episcopatu quoque positus multos ad fidem Christi conuertit, & Idolorum templa subuertit, & multa signa fecit. Super verticem etiam eius, dum sacra quadam die celebraret mysteria, globus igneus descendit, qui cuius esset meriti declarauit. Hoc etiam tempore patres monachorum, vita & antiquitatis merito præfulgebant, Macarius, Isidiorus & alter Macarius, Heraclides, Pambus, Moyses, Benjamin, & Ephrem, sanctissimus Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, vir in sua lingua disertissimus. Et hi omnes consortium vitæ magis cum supernis Angelis, quàm cum mortalibus habere videbantur. Per idem tempus venerabilis Athanasius Alexandrinus Episcopus, post multos agones, quos pro fide Catholica ab Arrianis fuerat perpessus, XLVI. sacerdotij sui anno quieuit in pace. Valentinianus etiam Augustus XI. Regni sui anno, vitæ verò suæ LIV. apud Brigitionem oppidum defunctus est. Quo vita priuato, milites Italiæ assumenentes eius filium Valentinianum admodum tenerrimum , ad Imperium prouexerunt , præmisso adhuc fratre eius Gratiano superstite, nec non & Valente eorum auunculo.

Franci nolebant esse tributarij Romanorũ.

Pharamundus Rex Francorum primus.

Florent hoc tempore Basilius & Greg. Nazianzenus.

Floret & S. Martinus, miraculis multis clarissimus.

Monachi vita sanctitate clari.

S. Athanasius & Valentinianus Imperator moriuntur.

Valentinianus Filius Quadrimus renunciatur Augustus.

VALENS igitur frater Valentiniani, Deo odibilis Imperator, post decessum fratris , cum nepotibus suis Gratiano & Valentiniano Iuniore imperauit annis IV. Porrò Valentinianus Iuinor natus est

Seuera & Iustina Vxores Valentiniani

Valentiniano de Iustina: duas enim vxores Valentinianus Augustus legitur habuisse, Seueram atque Iustinam. verùm Iustina cùm esset Arriana, viuente marito, Orthodoxos lædere non audebat; sed eo defuncto effrenatâ sæuitiâ contra fidei puritatem impudentiùs se agebat. Igitur apud Mediolanum posita, Ecclesiæ murum, & turrem validissimam pulsabat Ambrosium, ita vt eum deportari iuberet exilio; & dum de Ecclesia Ambrosius exire edicto Reginæ iuberetur, respondit ei: ego sponte hoc non agam, ne lupis ouium septa tradere videar, aut blasphemantibus Deum; hîc, si placet, occide; hoc in loco mortẽ prona suscipio volũtate. Ad hæc illa animare & inflammare populum aduersum Ambrosiũ nitebatur; sed tanta fuit perseuerantia fideliũ populorum circa eum, vt animas amittere, quàm Episcopum mallent. Vnde illa quòd minus sibi res ex sententia cederet, iniuriam putare, & pro hac apud filium conqueri cœpit. Tunc adolescentulus querimonia matris inflammatus armatũ exercitum misit, qui Catholicam obsideret Ecclesiam, ita vt nemo Catholicus eam ingrederetur. Sed omnipotẽs Deus, qui de aduersarijs suis fidelibus triumphum donare consueuit, ad Ecclesiæ munimẽtum corda conuertit militũ: & egredi quidem non sinebant, ingredi verò Ecclesiã plebem Catholicam minimè prohibebant. Ambrosius verò cũ Orthodoxis qui intra Ecclesiam tenebantur inclusi, ieiunijs, continuisq; vigilijs Deo vacabat. Quâ occasione vigiliæ, & hymni, & antiphonæ in Ecclesia Mediolanensi primùm cœperunt celebrari, cuius celebritatis cõsuetudo inde per omnes Prouincias emanauit. Sed dũ hæc in Italia geruntur, Valens Deo odibilis Imperator, in Orientis partibus crudeli furens sæuitia, legem dedit, vt monachi militarent, & nolentes iussit interfici: qua perstrepente persecutione multa Sanctorum agmina monachorum cæsa pro Christi nomine referuntur. Sanctus etiam Dorotheus, ab Arrianis, bestijs est traditus in venationem. Et cùm Valens magna sæuitia furens, vniuersas Orientis Ecclesias iam penè Pastoribus nudasset, in Cæsaream Cappadociæ venit. Erat tũc eiusdem ciuitatis Episcopus famosissimus Basilius. Præmisit itaq; Valens Præfectum suum, præcipiens illi, vt aut flecteret Basilium, quatenus dogmati cõmunicaret Eudoxij, aut hoc facere nolens vrbe pelleretur: audiens enim gloriam tanti viri, noluit ei per se prius certamen inferre, ne dum Basilius fortiter eius iacula deuitaret, fieret cæteris clarior imago virtutis. Sed huius machinamenta velut tela araneæ facta sunt apud Basilium, qui velut quædam turris firmissima, murum fidei indeclinabilem conseruabat. Tunc

Ambrosij mira constantia & animositas in reprimẽdis motibus Iustinæ Imperatricis.

Persecutio grauis ac generalis Christianorum ab Arrianis sub Valente Imperatore Arriano.

Præfe-

Præfectus Cæsaream veniens euocauit magnum Basilium, & honorauit illum, & mansuetis apud eum vsus est sermonibus, monens vt tempori pareret, & non tantas Ecclesias propter paruam dogmatum subtilitatem vexari pateretur: promittebat etiam Imperatoris amicitias, & multa beneficia propter hæc à plurimis offerenda. Verùm ille vir sanctissimus, adolescentibus hæc verba congruere, respondit; illi, & illorũ similes, talia promissa respiciunt. Nam qui Diuinis saginantur eloquijs, corrumpere de dogmatibus Diuinis nec vnam syllabam patiuntur, sed pro his, si contingat, etiam omnes mortis species amplectuntur. Et adiecit: amicitias Imperatoris magnas quidem cum pietate iudico, & sine pietate eas perniciem appello. Et cùm Præfectus in eum post talia responsa sæuiret, stultumq; vocaret, Sanctus Basilius ait: hanc stultitiã semper habere exopto. Quem cùm egredi iuberet, & quid faceret cogitaret, sententiamque suam altera die depromeret, fertur Basilius hoc dixisse: ego quidem etiam cras ipse regredior, dummodò sententiã tu non permutes; sed vtere minis tuis. Post hæc autem verba Præfectus Imperatori occurrens, quæ dicta fuerant, & virtutem viri, animique fortitudinem, & fiduciam nuntiauit; & tunc quidem tacens Imperator ingressus est. Sed posthæc contigit, vt diuinitus sibi plagas videret immissas: filius enim eius ægrotans, circa ipsas portas, mortis agebatur periculo: coniugem etiam eius diuersæ occupauêre passiones. Cognoscens ergò tandem causam suæ tristitiæ, virum sacratissimum quem punire minabatur, venire ad palatium deprecatus est. Igitur magnus Basilius veniẽs ad Palatium, vidensque Principis filium circa mortem, ad vitam eum remeaturum esse promisit, si per Catholicos viros sacro baptismate potiretur. Et cùm hæc dixisset, egressus est. Valens verò iurisiurandi, quod baptismatis tempore promiserat, memor, secundum stultum Herodem, præsentibus Arrianis filium baptizari præcepit. Quo gesto, mox infans terminum vitæ sortitus est: vnde pœnitentia ductus Valens, & noxiam iurisiurandi sibi indicans veritatem, in sacrum templum veniens, magni Basilij magistratui sociatus est, & obtulit altari dona solemnia, & Basilium in aulam, vbi ipse residebat, iterum venire præcepit: qui multa apud eum de Diuinis dogmatibus locutus est, & quem docentem libenter audiuit. Vbi etiam quidam aderat nomine Demosthenes, super Imperiales epulas constitutus: qui dum Doctorem Basilium culparet, barbarismum fecit. Tunc Sanctus Basilius subridens; vidimus, ait, sine litteris Demosthenem.

Basilij in Catholica fide imperterrita cõstantia.

Valens opẽ à Basilio postulat.

Basilius filio vitam promittit, si per Catholicos sacro baptismate tingatur.

Principem coquorum egregio dicto confutat.

Cùm autem ille contra minaretur, sanctus ait Basilius: tuum est de pulmentarijs cogitare, non diuina dogmata detorquere. Post hæc verò ita dilexit virum Dei Basilium Imperator, vt optima prædia, quæ illic habebat, pauperibus, qui ab eo gubernabantur, offerret, ex quibus præcipuè leprosis necessaria ministrabantur. Primum ergò Valentis impetum hoc modo magnus declinauit Basilius. Sed dum postea reuersus fuisset illic Imperator, priorum oblitus, quòd à seductoribus Arrianis obsidebatur eius voluntas, rursus eum monebat, vt ad partes inclinaretur hæreticas. Cui cum persuadere non posset, legem de eius scribi præcepit exilio, quam volens manus suæ subscriptione roborare, nullum apicem complere valuit; calamus enim contritus est, cumque secundus & tertius calamus hoc pertulisset, & adhuc legem impiam firmare contenderet, commota est dextera, eamque subitò tremor inuasit, tunc eius animo terrore completo, ambabus manibus chartam rupit. Ostendit itaque omnium prouisor Deus, qui & alios permisit pati, & hunc ab insidijs liberauit, per ea quæ in isto contigêre; signum propriæ virtutis, & per alia dispositionem fortitudinis virorum optimorum. Verùm anno imperij Valentis XIII. Gothi bipartito agmine Danubium transierunt. Præerant his gentibus duo Duces, Fritigernus & Athanaricus, qui dum inter se dissiderent, ac bello desæuirent, Athanaricus ad Valentem confugium fecit. Valens autem memoratum virum, non solùm sine armorum dispositione, quò tutius barbari crederent, suscepit; sed etiam aduersus Fritigernum auxilium tulit. Itaque Valentis Augusti fretus auxilio, Fritigernum Athanaricus superauit: cuius beneficij gratia Gothi supplices poposcerunt, vt mitterentur eis doctores Ecclesiæ Catholicæ. Tunc Valens vsus maligna prauitate, doctores Arriani dogmatis misit eis, à quibus primæ rudimenta fidei susceperunt. Sed Gulfila quidam eorum Episcopus, cuius ipsi verba, quasi leges immobiles, obseruabant, Gothicas litteras adinuenit, & vtrumque testamentum in linguam propriam transtulit, & secundum Arrianorum sectam deprauauit. Ipsi denique Gothi post modicum interuallum, auaritia Maximi Ducis, fame compulsi à Valente defecerunt, & per Thraciam sese diffuderunt: contra quos Valens egressus de Antiochia bellum instructissimum parauit. Vbi statim primo congressionis impetu conturbatæ equitum turmæ, nuda peditum deseruêre præsidia: moxque legiones eorundem peditum, equitatu hostium vndique cinctæ, sagittarum nubibus obrutæ perierunt. Ipse quoque Imperator sauciatus, cùm

Valens singulari fauore prosequitur Basiliũ, ipsiq; optima prædia donat.

Valentis in Basilium noui motus.

Vide præsentem numinis vindictam.

Gothi Danubium transiunt.

Valens Gothos hæresi Arianâ primus inquinauit.

Gulfila litteras Gothicas inuenit.

cùm in cuiusdã villulę casa lateret abscõditus, ab insequentibus hostibus deprehẽsus, subiecto igne cũ casa consumptus est, XV. imperij sui anno. Quod satis digno contigit iudicio: ipsi enim viuum illum incenderunt, qui propter eum erroris vitio mortui, semper arsuri sunt. Post gloriam verò tanti trophæi, Thraciam & Daciam Ripensem incolere cœperunt: inde quoque, cùm Fritigerno Athanaricus successisset in regno, multis diebus elapsis, cum Stilicone & Aurelio Consulibus per Pannoniam intrauerunt Italiam. Hac præterea tempestate Messalianorum hæresis orta est. Hi hæretici cuiusdam dæmonis operationem suscipientes, hanc sancti Spiritus præsentiam arbitrantur. Dicunt etiam diuinum cibum, id est, perceptionem Eucharistiæ, nihil prodesse, cum dicat Dominus: qui comedit meam carnem, & bibit meum sanguinem, viuit in æternum. Solent etiam languorem suum celare, nisi prudenter discutiantur. Verùm Flauianus laudabilis præsul Antiochenus audiens hos in Edissa degere, dirigens deduxit eos ad Antiochiam, & negantes eam pestem hoc modo redarguit; accusatores dixit calumniosos esse, & testes mendaces; & apprehendens vnum ex eis senem, duxit eum seorsum, & iuxta se sedere præcipiens, ait: Nos ô Senior, qui iam magnam partem vitæ transiuimus, agnouimus ipso experimento ministrationes gratiarum Spiritus sancti: isti verò, cùm sint iuuenes, non patiuntur audire verba spiritalia: quapropter dicito mihi, quomodo credis spiritum contrarium recedere, & gratiam Spiritus sancti aduenire. Ad hæc senex, nullam vtilitatem ex sancto baptismate baptizatis accedere, sed solam orationem dicebat inhabitantem dæmonem effugare; & addidit, vnumquemque à progenitore suo, sicuti naturam, sic etiam dæmonum trahere famulatum; sed per studiosam orationẽ dæmone expulso, Spiritum sanctum aduenire, & sensibiliter, ac visibiliter illabi, post cuius aduentum, anima prorsus à mala voluntate fit libera, neque eget ieiunio, neque doctrina; quia qui hoc accipere meretur, ab omni passione vitiorum liber est, & futura prouidet, & omnem Ecclesiasticam doctrinam, & sanctam Trinitatem plenissimè videt. Hunc itaque Flauianus fœdissimum & venenatum effodiens fontem, ait infelicissimo seni: vetustissime dierum malorum, increpauit te os tuum, & non ego, & labia tua testantur aduersum te: cumque hic languor cunctis innotuisset, de Syria sunt progressi, qui eam huiusmodi contagio repleuerunt. Verùm horum nunc prætermissis erroribus ad historiæ cursum regredi festinemus. Floruit eodem tempore

Valens à Gothis vincitur, & igne absumitur.

Gothi ingressi Italiam.

Messalianorum hæresis.

Flauianus Episc. Antiochenus hæresin hanc expiscatur & redarguit.

Viri sanctitate illustres.

pore Gregorius Deiloquus Constantinopolitanæ præsul Ecclesiæ, qui nisi fortiter hæreticis restitisset, eandem vrbem Arrij in illis diebus profectò repleuisset illuuies : iam enim in eâ hæretici possidebant omnes Ecclesias, præter oratorium Martyris Anastasiæ. Florebat etiam per idē tempus Optimus in Pisidia, & Amphilochius in Iconio: Barsen verò Edessenæ, & Pelagium Laodicensis Ecclesiæ Episcopos Valens in exilium destinarat.

Gratiani eximia dotes.

Firmi molimina in Africa partibus.

¶ GRATIANVS, Valentiniani filius, Valente defuncto, imperauit cum fratre suo iuniore Valentiniano annis VI. Iste fuit vir fide Catholicus & modestus, & admodum litteratus, parcus quoque cibo ac vino, & libidinis victor: sed cùm exercitum suum negligeret, & Romanis militibus paucos ex Alanis, quos auro sibi deuinxerat, anteferret, in Africæ partibus Firmus quidam, excitatis circa se Maurorum gentibus, purpuram sumpsit, & Africam, & Mauritaniam deuastare cœpit: Cæsaraugustam etiam Hispaniæ nobilissimam ciuitatem dolo captam barbaris in prædam dedit. Quod audiens Gratianus Augustus, & considerans afflictum & desolatum Reipublicæ statum, accersiuit ab Hispania Theodosium, virum moribus & ætate maturum, & militia strenuum, qui nuper à Valentiniano magno ad Hispaniam destinatus, effusas Maurorum gentes per Africam, & Mauritaniam multis prælijs edomuerat. Hunc igitur virorum propria virtute nominatissimum, Gratianus apud Sirmium ordinauit Imperatorem.

Theodosius designatur Imperator.

Eunomij hæretici dogma.

¶ THEODOSIVS autem, mox vt factus est Imperator, subactis barbarorum gentibus in Oriente, Thraciam ab omni bellorum strepitu liberauit. Sed & Gratianus Hunnos & Gothos magnis prælijs superauit, & vrbem Constantinopolim intrauit victor, & Gothorum Regem Athanricum sibi firmo fœdere colligauit. In Italia verò Probus præfectus sub Imperatore Valentiniano publicarum curam rerum gerebat. Hac præterea tempestate extitit quidam hæreticus, Eunomius nomine, qui præsumpsit vna mersione baptisma celebrare, dicens: non in Trinitate, sed in morte Christi oportere baptizari, & eos qui in Trinitate erant baptizati, siue ter in baptismate mersi, rebaptizabat: quod Dominicis contrarium est institutis, quibus Apostolis præcipiens, dixit: ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Per idem tempus quoque, id est, anno Dominicæ incarnationis CCCLXXXI. celebrata sancta & vniuersalis Synodus apud Bizātium, CL. Episcoporum, tempore Damasi Papæ. Cui præ-

præfuerunt insignes viri Timotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus, Cyrillus Ierosolymitanus, Nectarius Constantinopolitanus, qui dedit Symboli formam, quæ modò in Ecclesia prædicatur. Proinde Gratianus & Theodosius Imperatores, cooperante Damaso Papa Romano, Episcopos quos Valens in exilium truserat, ad proprias sedes remeare fecerunt. Et iisdem fermè temporibus Gothi Aquitanicâ peruasêre prouinciam, Narbonam, Tholosam, & Arelaten occupãtes. Franci quoq;, qui dudũ in Germaniã proruperant, nimis inualescentes, Reges crinitos habere cœperunt: nã Pharamundo defuncto, Clodion, qui ei successit, Cameracũ cœpit, & inde Romanos eijciens vsq; Samera fluuium limitem suæ dilatauit dominationis. Clodione defuncto rursus Franci sibi Merouæum Regem constituerunt, à quo tunc Merouingi vocabantur, qui nunc Franci dicuntur. Burgundiones quoque Lugdunensem inuasêre prouinciam. In Britanniæ verò partibus tyrannidem arripuit Maximus, vir quidam strenuus, & imperio dignus, si non contra rempublicam aspirauisset. Igitur Maximus à Britannia prodiens in Gallias venit, vbi ab infensis Gratiani legionibus exceptus, Gratianum infestare cœpit. Porrò Maximus habebat Ducem exercitus sui Andragathium virum subdolum & factiosum, qui Maximum præueniens, huiusmodi opinionem misit in vulgus, quòd vxor Gratiani suo viro festinaret occurrere apud Lugdunũ Galliæ ciuitatẽ. Quod Gratianus credens, coniugem suam Rauenna venire, (nam illam nuper acceperat,) non præcauit insidias Andragathij, & veluti cæcus in foueam immanis hostis incurrit: & dum Gratianus venisset quasi ad vxoris vehiculum, ex improuiso Andragathius exiliens, eum interemit. Mortuus est ergò Gratianus anno imperij sui XV. vitæ verò suæ XXIV. At Valentinianus fratris nece, atque hostis metu perterritus, fugit in Illyricum, dicens, quòd matris merito hoc malum, quæ Arriana erat, sustineret. Theodosius verò Imperator hoc audiens, non immemor beneficiorum Gratiani, in vindictam eius, totius Orientis viribus insurrexit; & à Constantinopolitana vrbe progrediens, reliquit ibidem Arcadium filium suum Imperatorem. Demum verò cùm Thessalonicam peruenisset, inuenit Valentiniani Duces in maxima tristitia constitutos, quia Maximum tyrannum necessitatis causa iam susceperant: & dum inde ad Italiam properaret, Valentinianus ei occurrit, quem paterna pietate suscipiens, sese aduersus tyrannũ sola fide maior, nam lõgè vniuerso belli apparatu minor, proripuit. Aquileiæ Maximus victoriæ

Synodus Constantinopolitana œcumenica.

Episcopi Orthodoxi exulantes reuocantur ad suas sedes.

Pharamundo Regi Galliarum primo, succedit Clodion, Clodioni Merouæus.

Maximus tyrannidẽ exercet.

Andragathius exercitûs Maximi dux.

Cuius sceleratissimâ manu interimitur.

Gratianus optimus Imperator.

suæ spectator insederat, & eius Comes Andragathius summam belli administrabat: qui cùm largissimis militum copijs, & præcellenti consilio, omnes Alpium, ac fluminum aditus occupauisset, iudicio Dei, dum nauali expeditione incautum hostem præuenire, & obruere parat, sponte eadem claustra quæ obstruxerat, deseruit; & ita Theodosius nemine sentiente aut renitente vacuas hostibus transmeauit Alpes, atque Aquileiam improuisus aduenìens, hostem illum Maximum, magnum, trucem, ac formidabilem, & ab immanissimis Germanorũ gentibus tributa, ac stipendia magno terrore nominis exigentem, sine dolo, & sine controuersia clausit, cœpit, & occidit. Tunc Valentinianus receptâ Italiâ potitus est imperio. Andragathius verò Comes Maximi nece cõperta, præcipitem sese è naui in vndas dedit, & suffocatus est. Sicque Theodosius incruentam victoriam, Deo procurante, suscepit. Igitur Valentinianus iunior regno restitutus, extincto Maximo, eiusque filio Victore, quem Imperatorem Gallis Maximus reliquerat, ipse in Galliam transijt, vbi cùm tranquillam Rempublicam in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogasti comitis sui, vt ferunt, strangulatus, atque vt voluntariam sibi conciuisse mortem putarent, laqueo suspensus est. Mortuo igitur Valentiniano Augusto, Arbogastus Eugenium tyrannum mox Imperatorem creare ausus est. Legit itaque hominem, cui titulum Imperatoris imponeret, ipse acturus imperium; moxque vir barbarus animo, consilio, manu, audacia potentiaque promptus, innumeras vndique copias, vel è Romanorum præsidijs, vel auxilijs barbarorum, alibi sibi potestate, alibi vero cognatione coadunatas contraxit, cum Theodosio de summa rei conflicturus; titulo enim Eugenij, quem Imperatorem nominauerat, Occidentis regnum inuadere studebat: & iam Eugenius & Argobastus instructas acies campis expedierant, & Alpium arcta latera, ineuitabilesque transitus, præmissis callidè insidijs, occupauerant, vt etiamsi numero vel viribus impares forent, sola tamen belli positione victores. At verò Theodosius in summis Alpibus constitutus, expers cibi ac somni, sciens quòd destitutus suis, nesciens quòd clausus alienis, Dominum Christum, solus solum, qui possit omnia, corpore humi fusus, mente cælo fixus orabat. Dehinc verò postquam insomnem noctem precum continuatione transegit, & vestes propemodum, quas in precium præsidij cœlestis appenderat, lachrymarum lacunas reliquit; fiducialiter arma corripuit, solusque sciens se esse non solum, signum crucis

Theodosius vlciscens necem Gratiani, Maximum tyrannum Aquileia vicit & occidit.

Andragathius vndis suffocatur.

Valentinianus insidijs Arbogasti è medio sublatus.

Theodosius ab insidijs Eugenij & Arbogasti diuinitus liberatus.

Crucis prælio dedit, ac se in bellum, etiam si nemo insequeretur, victor immisit futurus. Prima via salutis extitit Arbitio hostilium partium Comes: qui cum ignarum Imperatorem circumpositis excepisset insidijs, conuersus ad reuerentiam præsentis Augusti, non solum periculo liberauit, verumetiam instruxit auxilio. At vbi ad contigua miscendæ pugnæ spacia peruentum est, magnus turbo ventorum in ora hostium ruit, ferebanturque per aëra spicula nostrorum, atque vltra mensuram humani iactûs per inane deportata, nusquam cadere, priusquam impingerent, sinebantur; & quæ ipsi vehementer intorserant, excepta ventis, impetu supinata, ac retrorsum coacta, ipsos infeliciter configebant. Prospexit itaque sibi humanæ conscientię pauor: nam continuò paruâ suorum manu fusa, victori Theodosio sese hostilis prostrauit exercitus, Eugeniusque captus atque interfectus est. Arbogastus verò sua sese manu percussit, sicque horum duorum sanguine bellum ciuile restinctum est. Patuit itaque virtute diuinâ, non virium humanarum potentia, victorē semper extitisse Theodosium Augustum. Verum nunc rem memorabilem de actibus huius inclyti Imperatoris opportunum narrare censeo pro vtilitate legentium. Thessalonica ciuitas est grandis & populosa, in qua dum fuisset orta seditio, quidam Iudices lapidati sunt à populo, atque trucidati: vnde indignatus Theodosius, iracundiæ non resignauit infirmitatem, sed iussit omnes pariter interimi, non secernens nocentes ab innocentibus. Igitur, sicut in messibus incisi sunt, non præcedente iudicio, ferè quinque millia hominum. Hanc cladem audiens vir virtutis Ambrosius, cum Princeps Mediolanum venisset, & templum intrare voluisset, occurrit ad ianuam, & his sermonibus à sacris liminibus prohibuit eum, dicens: Nescis Imperator perpetrata à te? cur post causam tanti furoris, non agnoscis molem tuę præsumptionis? sed fortè recognitionem peccati prohibet potestas Imperij; decet tamen vt vincat ratio potestatem: scienda quippe natura est, eiusque mortalitas, atq; resolutio, & puluis progenitorum, & ex quo facti, & ad quem redigendi finem sumus, vt non flori purpureo confidentes, infirmitate operti corporis, ignoremus nos coæquales hominum. Princeps es, ô Imperator, sed conseruorum; vnus est enim omnium Dominus, rex, atque creator: quibus ergo oculis aspicies communis Domini templum? quibus calcabis pedibus sanctum pauimentum? quomodo manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat iniustus? quomodo huiusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus? qua pręsumptione ore tuo

Arbitio maiestate Imperatoris motus, suum deserens tyrannum, Imperatori auxilio fuit.

Deus pugnat pro Theodosio.

Eugenius capitur & pœnas pro meritis luit.

Arbogastus semetipsum iugulat.

Thessalonicensium cædes.

Ambrosius Theodosiū à templi liminibus arcet.

poculum sanguinis eius pretiosi percipies, dum furore tuorum sermonum tantus iniustè fit sanguis effusus? recede igitur, recede, ne secundo peccato priorem nequitiam augere contendas: suscipe vinculum, quo omnium Dominus te nunc ligat; est enim medicina maxima sanitatis. His sermonibus Imperator obediens, (erat enim diuinis eruditionibus enutritus) & apertè sciens, quæ sint propria Sacerdotũ, & quæ regum; gemens & deflens ad regalia remeauit. Cumque octo mensium continuum transisset spacium, propinquauit Natiuitatis Saluatoris nostri festiuitas. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens, lachrymas incessabiliter expendebat. Ingressus est autem Rufinus militum magister, singularem apud eum fiduciam habens, & videns Principem in lamentationibus prostratum, accessit, vt lachrymarum inquireret causas. At ille ingemiscens amarissimè, & vehementiùs lachrymas fundens: Tu, inquit, Rufine, mea mala non sentis, ego autem lamentor, & gemo calamitatem meam, quia seruis quidem & mendicantibus aperta sunt templa Dei, & proprium Dominum ingredientes, licenter exorant: mihi verò ingressus ad eum non est, sed insuper etiam cœli sunt mihi clausi; & hæc dicens, verba singula singultibus interrumpebat. Tunc Rufinus: curram, inquit, si tibi placet, & Pontifici persuadebo, vt soluat vinculum, quo te ligauit. Ad quem Imperator, non, inquit, persuadebis Ambrosio; noui enim decretum illius esse iustum, neque reuerebitur Imperialem potentiam, vt legem possit præuaricare diuinam. Sed cùm Rufinus verbis plurimis vteretur, & promitteret Ambrosium esse flectendum, Imperator eum pergere cum festinatione præcepit, ipse etiam spe data post paululum est secutus, credens Rufini promissionibus. Porrò vir mirandus Ambrosius, mox vt vidit Rufinum, ait: impudentiam canum imitatus es, ô Rufine, tantę videlicet necis auctor existens, & nunc pudorem ex fronte detergens non erubescis, nec metuis contra maiestatem latrare diuinam? Cumque Rufinus supplicasset, & Imperatorem diceret statim esse venturum, superno zelo accensus Ambrosius: ego, inquit, Rufine, tibi prædico, quòd eum ingredi sacra limina prohibeo: si verò Imperium in tyrannidem mutauerit, necem libenter suscipio. Quod audiens Rufinus, nuntiauit Imperatori votum Antistitis, monens vt ad palatium remearet. Imperator autem hæc in media platea cognoscens, pergam, inquit, & iustas in facie suscipiam contumelias. Tunc ad sacra limina perueniens, in sacram non est ausus intrare basilicam;

Theodosius ab Ambrosio excommunicatur.

Vide Ambrosij zelũ.

eam; sed accedens ad Antistitem, inuenit eum in salutatorio sedentem, quem ilicò supplicare cœpit, vt eius vincula solueret. Episcopus autem tyrannicam dicebat eius esse præsentiam, & contra Deum insanire, eiusque leges calcare. Ad hæc Imperator: non, inquit, insurgo aduersus ecclesiasticas sanctiones, neque iniquè limina ingredi sacra contendo, sed te soluere mea vincula deposco; precor denique, vt & communis Domini pro me exores clementiam, & ne mihi ianuam claudas, quam cunctis per pœnitentiam Dominus noster aperuit. Tunc Antistes: quam, inquit, pœnitentiam ostendisti post tantas iniquitates? quibus medicaminibus incurabilia vulnera, plagasq; sanasti? Ad hæc Imperator: tuum, inquit, opus est, & docere, & medicamenta temperare, meum est oblata suscipere. Tunc Sanctus Ambrosius: Quoniam furori, inquit, tuum iudicium commisisti, & non ratio protulit sententiam, sed potiùs iracundia, scribe legem, quæ decreta furoris euacuet, scribe, inquam legem, vt intra dies XXX. sententia necis atque proscriptionis in litteris tantùm scripta permaneat, & iudicium rationis expectet, quibus transactis, irâ cessante, ratio causam examinet, ac demum, quod apud semetipsam cognouerit, sub veritate disponat: itaque intra horum dierum numerum animaduerti poterit, si iusta sit, quam protuleris, an iniusta sententia. Et siquidem ratio probauerit, iniusta, quæ sunt prolata, disrumpet; si verò iusta, firmabit. Dierum verò numerus ad hæc inuestiganda sufficiet. Quam admonitionem discreti, & sapientissimi viri Imperator animo libenti suscipiens, & optimam esse considerans, legem repentè conscribi præcepit, & propriâ manu confirmauit. Quo facto vinculum eius soluit Episcopus. Sicq; demum Imperator ingredi limina præsumpsit Ecclesiæ, & adhærens pauimento, manibusque capillos euellens, cum lachrymis veniam à Domino impetrare poscebat. Verùm cùm tempus affuisset, quo munus ad altare solebat offerre, surgens cum lachrymis est ingressus, cumq; obtulisset, sicuti solitus erat, intra cancellos stetit. Rursus autem Ambrosius non quieuit, sed differentiam locorum edocuit. Et primò quidem exquisiuit, quid ibi expectaret? Imperatore dicente, sustinere se sacrorum perceptionem mysteriorum; per Archidiaconum remandauit ei Archiepiscopus: ô Imperator, interiora loca tantùm Sacerdotibus sunt collocata, quæ cæteris nec ingredi, nec contingere permittuntur, egredere igitur, & hanc expectationem cum cæteris communem habe: purpura namque Imperatores, non Sacerdotes facit. Tunc

Attende rigorem disciplina Ecclesiastica in primitiua Ecclesia.

Lex de non præcipitanda pœna.

Theodosij obedientia. fidelissimus Imperator hanc etiam traditionem animo gratanter suscipiens, remandauit dicens: non audaciæ causa intra cancellos mansi, sed in Constantinopolitana vrbe hanc consuetudinem esse cognoui; sed ago gratias pro huiuscemodi medicina. Tali ergò, tantaque & Præsul, & Imperator virtute clarebant, & tantum prodest increpatio à viro virtutis prolata. Vxor quoque Theodosij, nomine Placilla, claudorum atque debilium maximam habebat curam, non seruis, non alijs vtens ministris ad hęc officia peragenda, sed per semetipsam hoc agens, ad eorum habitacula veniebat, vnicuique quod opus habebat, præbens. Sic per Ecclesiarum Xenodochia discurrens, suis manibus infirmis ministrabat, ollas eorum extergens, ius gustans, offerens cochlearia, panem frangens, cibos ministrans, calices diluens, & alia cuncta faciens, quæ seruis & ministris mos est solemniter operari. His autem, qui eam de rebus nitebantur talibus prohibere, dicebat: Aurum distribuere, opus Imperij est; ego autem pro ipso Imperio, hoc opus offero, bona mihi omnia tribuenti. Sed & viro suo sępe dicebat: oportet te, marite, semper cogitare, qui dudum fueris, & quid modò sis; nam si semper hæc cogitaueris, ingratus creatori & benefactori non eris, sed Imperium, quod eo largiente suscepisti, legaliter gubernabis. Itaque his, & huiusmodi sermonibus optima mulier proficere virum suum in virtutibus sedulò hortabatur. Denique fidelissimus Imperator contra errorem gentilium insurgens, eum funditus euertere destinauit. Lege igitur data præcepit idolorum templa solotenus euerti: ante eum enim Imperator Maximus Constantinus, qui primus pietate morum ornauit Imperium, sacrificare dæmonibus interdixit, non tamen eorum templa euertit, sed inaccessibilia esse præcepit: cuius filij paterna vestigia sunt secuti. Iulianus autem eis succedens impietatem renouauit, & flammam veteris impietatis reaccendit. Iouianus verò, interempto Iuliano, Imperium assecutus, rursus immolationes prohibuit idolorum. Valens denique omnibus Imperij Romani gentibus concessit, vt religiones suas colerent sicut vellent; solummodò illos impugnans, qui Arriana dogmata non suscipiebant. Itaque vsque ad tempora huius Magni Theodosij, & ad idolorum aras ignis accendebatur, & libamina atque sacrificia offerebantur; sed & publicas festiuitates populi per plateas agebant, & Orgia Dionysij celebrabant, & cum scutis currebant, canes euiscerantes, & furentes, atque bacchantes, & agebant omnia, quæ nequitia erroris proprij insinuat. Sed hæc omnia Theodosius Catholicus Impera-

Aliàs Placcilla.

Fœmina Princeps pauperibus & ægrotis inseruiens.

Pulcherrimum Christianissimæ Principis specimen Placilla.

Præceptum omnibus Principibus instillandū.

Virtutem Theodosij admodum auxit coniunx.

Theodosius Idololatriæ acerrimus hostis.

Imperator exstirpare radicitus imperauit, & euulsit, corripuit, & condemnauit. In Romana verò Cathedra hoc eodem tempore Papa Damasus residebat. Quem prælatum sibi non ferens, Vrsinius quidam, Romanæ Archidiaconus Ecclesiæ, collecta turb[a] [vio]lentorum & seditiosorum manu, Episcopum se contra ius & fas consecrari fecit. Qua de re tanta seditio in Romano excreuit populo, vt replerentur humano sanguine orationum loca. Sed tandem aggregato in vrbe Sanctorum Concilio Sacerdotum, pulsus est Vrsinius ab Apostolicâ dignitate: sed apud Neapolim intuitu misericordiæ Episcopus est ordinatus. Hierosolymis verò Cyrillo subrogatus est Ioannes, & apud Antiochiam Miletio substitutus est Flauianus. Sed & apud Constantinopolim Nectarius ex Prætore vrbano Sacerdotium adeptus est. Floruit etiam hac tempestate Hieronymus, Romanæ Presbyter Ecclesiæ, magnificus diuinæ legis interpres post LXX. H[i]c fuit ortus in oppido Stridonis, quod Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit; sed Romæ religionis vestem suscepit, indeq; Ierosolymam petens multorum Sanctorum habitacula circuiuit, eorumque vitas satis diserto stylo prosecutus edidit; & tandem, tanquam prudens animal, ad præsepe Domini sui senuit. Litteris prætereà græcis, latinis, & hebraicis eruditus, omnia Hebræorũ volumina, quæ in Canone continentur, veteris testamenti emendatâ translatione, in latinam transtulit linguam, dictisque suis contra perfidorum iacula, turrim præparauit immobilem. Contra Porphyrium quoque philosophum, & Iulianum Augustum, rabidos aduersus Christum canes, magno congressus est verborum certamine: Multas deniq; diuinas scripturas compendiosè potius, quàm fastidiosè explanauit. Flo[ru]it etiam in illis diebus Didymus Alexandrinus, oculis, non animo cæcus, antequam enim litterarum prima didicisset elementa, luminibus orbatus est: sed cùm audisset scriptum in Euangelio illud, quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum: indesinenter Dominum precabatur, non vt oculorum carnalium visum, sed vt mentis illuminationem perciperet; quod & assecutus est. In tantam enim gratiam & diuinarum, humanarumq[u]e rerum postmodum peruenit scientiam, vt VII. artium, quas liberales vocant, notitiâ perfectissimè frueretur, & magnificus Doctor Ecclesię fieri mereretur. Sed & his diebus in Gallia Nicetius Episcopus gubernabat Ecclesiam Viennensem, & Iustus Lugdunensem, cui successit Albinus in Episcopatu. Aruernis verò post Sanctum Austremonium sedit Vrbicus Episcopus, & Vrbico suc-

Omnem Idololatriã iussit penitus abrogari.

Damasus Papa.

Vrsinius Antipapa.

Concilium Romanum.

S. Hieronymus Ecclesiæ doctor, floret.

Didymus Alexandrinus cæcus, & tamen doctissimus.

cessit Hillidius, Hillidio Nepotianus, & Nepotiano Artemius. Porrò Maximus tyrannus, cuius antè meminimus, Britannicam insulam armata iuuentute, militaribusque copijs in Galliam transiens, expoliauerat, quas bello Theodosius Augustus cum Valentiniano iuniore deleuerat, Vnde gentes vicinæ, Scotorum videlicet, atq; Pictorum destitutam defensoribus insulam inuaserunt, & annis multis oppresserunt. Porrò Theodosius Augustus benè iam tranquillata republica, apud Mediolanum ægritudinem incurrit, qua ingrauescente, quietem naturalis mortis inuenit, anno Regni sui, XVI. vitæ verò suæ LX. cui successit filius eius Honorius Imperator. Porrò Theodosius pater Honorio natus, originem à Traiano principe traxit, fuitq; clemens animo, & ita amicis cõmunis, vt solo habitu differre se ab eis putaret. Præterea fuit in omnes homines munificus, sed effusiùs in bonos: simplicia ingenia diligere, erudita mirari, largiri animo magno magna, & irasci rebus indignis, sed flecti citò. Hic etiam consobrinarum nuptias vetuit, tanquam sororum. Huius deniq; corpus Constantinopolim est translatũ, atq; tumulatum.

Theodosius moritur.

Mores Theodosij.

10 ARCADIVS Imperator, Theodosio patre defuncto, potitus Imperio cum Honorio fratre suo, Anno ab Incarnatione Domini CCC. & LXXXXV. imperauit annis XIII. Verùm Arcadius in Orientis, in Occidentis verò partibus imperabat Honorius. Vtriusque tamen cura, & palatij disciplina duobus potentissimis viris credita manebat, Rufino, & Stiliconi; Rufino aulæ Orientis, & Stiliconi Occidentalis. Gildo etiam Comes Africæ præerat, qui vt defunctũ reperit Theodosium, rupta fide, & calcato sacramento, Africam Orientalis Imperij partibus iugere conabatur. Sed erat huic frater, nomine Mascezel, qui nouarum rerum molitiones in fratre detestatus, relictis apud Africanam militiam duobus adolescentibus filijs, in Italiam abijt. Gildo verò & fratris absentiam, & filiorum eius præsentiam habens suspectam, adolescentes interfecit. Igitur Mascezel contra fratrem, sicut contra publicum hostem, ab Honorio missus est, vt vlcisceretur mortem filiorum suorum. Quò dum proficisceretur Caprariam Insulam expetijt, & inde secum quosdam Dei omnipotentis famulos permotos precibus sumpsit, cum quibus ieiunijs & precibus insistens assiduis, meruit sine bello de fratre victoriam, sine cęde vindictam. Ardalio fluminis nomen est, quod fluit inter Thebasten, & *Merrideram ciuitatem; vbi cum V. millibus militum, contra LXX. millia hostium castra metatus est. Sed cùm inde loci angustias fugere cupiens, latiorem campi planitiem expetere deliberaret, nocte super-

Gildo fuit Ethnicus et sceleratissimus: Vide Baron. ad an. 398.

Mascezel Christianorum orationibus vincit.

** Aliàs Amederā.*

superueniente non potuit; & dum sopori membra dedisset, vidit in somnis beatum Ambrosium paulò antè defunctum, baculo, quem gerebat, locum victoriæ sibi demonstrantem, atq; dicentẽ: HIC, HIC, HIC. Quod vir sapiens protinus intellexit, verbo locum, numero diem significari. Substitit ergò, & in diem tertium munitus cœlestium sacramentorum mysterijs, in hostem procedit circumfusum. Et cùm ad eos, qui primi occurrerant, verba pacis loqueretur; signiferum quendam insolenter resistentem, iam iamq; pugnam excitantem, gladio percussit in brachio: quâ percussione protinus ille pronum inclinauit vexillum. Quod cernentes reliquæ cohortes, deditionem priorum iam fieri putantes, statim Mascezeli certatim se signis tradidêre conuersis. Barbari verò, quos Gildo coadunauerat, territi, in diuersa fugerunt. Gildo ipse fugiens nauim intrauit; sed volens nolens cogentibus ventis in Africam remeauit. Quo cùm degeret, post aliquot dies strangulatus interijt. Et non post multos iterum dies Mascezel elatus insolentia fortunæ, cùm Sanctos, quorum meritis victor extiterat, nequiter inquietaret, occisus est. Et dum hęc in Africa geruntur, milites qui circa Eugenium tyrannum, viuente adhuc Theodosio Imperatore, profecti fuerant, cum præfato principe Rufino, Constantinopolim reuersi sunt. Quibus dum secundùm consuetudinem ad portas occurrisset Arcadius Imperator, statim milites Rufinum Præfectum interemerunt. Erat enim suspectus Imperatori, quasi qui tyrannidem posset assumere. Et non multis diebus interiectis, Gainas quidam genere Celticus, consilio barbarus, cùm esset Magister militum, fasces Imperij cogitabat arripere, & Imperatorem Arcadium extinguere; sed mox detectus, capite plexus est. Post cuius oppressionem Roilas Dux Scythię transiuit Histrum cum innumero exercitu, & Thraciam depopulatus est vehementer, & regiam ipsam obsedit ciuitatem: sed ipsum, eiusque exercitum vis diuina fulminibus concremauit. Interea verò Stilico Comes Occidentalis palatij, contractis inimicitijs cum Arcadij Ducibus, egit cum Honorio Imperatore, vt Alaricum Regem Gothorũ Magistrum palatij sui constitueret: occulto enim fœdere illum sibi copulauerat, & parui pendens, quòd sub Honorio imperabat, Eucherium filium Imperatorem facere deliberabat. Igitur Alaricus Magister Palatij constitutus, hostiliter contra Arcadium vsque ad Epirum perrexit. Sed inter hos dies alter Rex Gothorum Rhadagasus totam inuasit Italiam. Qui cùm esset gentilis, & sacrilegus, cœpit de repetendis tractare simulachris,

Ambrosij apparitio.

Ambrosius nunciat victoriam.

Gildonis exitus.

Mascezelis impietas & interitus.

Rufinus interimitur.

Gainas capite plectitur.

Roilas Scytha cum copijs suis fulmine cælesti extinguitur.

Stiliconis perfidia.

Rhadagasus Italiam inuadit.

Persecutio sub Rhadagaso Rege Gothorum. chris, & edicto pronunciauit, vt Monachi militarent, nolentesq; iussit interfici. Vnde in illis diebus passi sunt in Italia multi viri Religiosi: sed non multò post inter Italicam finum tyrannus idem interfectus est. Interim autem præfatus Stilico Comes Gothos, Alanos, atque Burgundiones in arma sollicitans, Gallias bello pulsare cœpit, sperans sub hac necessitate memorato Eucherio filio suo posse Romanum Imperium tradere. *Stiliconis et Eucherij interitus.* Quod vbi Imperatori Honorio patefactum est, iussit illum occidi; interfectus est quoque in illis diebus Eucherius filius eius. Quibus interfectis præfatus Rex Alaricus cum valido Gothorum exercitu Romam obsedit, & cepit, dato tamen prius præcepto, vt si qui in loca sancta confugissent, liberi, & inuiolati persisterent. *Alaricus Romam capit & vastat.* Tunc etiam pars vrbis igne concremata est. Accidit quoque, vt in his diebus beatus Innocentius vrbis Romę Episcopus, Dei prouidentia apud Rauennam positus, eiusdem ciuitatis non videret infortunium. *Innocentius Papa.* Et non post multos dies Alaricus est defunctus. *Alarico Regi Gothorum succedit Athaulphus.* Cui successit Athaulphus eius propinquus, qui & ipse Romam irrupit, in qua irruptione Gallam Placidiam Theodosij Augusti filiam, Arcadij & Honorij germanam, ab vrbe captiuam abduxit, & sibi eam matrimonio copulauit; quod postmodum valdè Reipublicæ profuit. Nam idem Athaulphus satis demum fideliter Honorio Augusto militauit. His diebus Ecclesiæ Ierosolymorum sanctus præsidebat Ioannes, Cyrilli successor. Antiochiæ verò præerat Rophyrius, cui successit Alexander. *Episcopi Hierosolymitan. Antiocheni & Constantinopolitani.* Sed & Constantinopolitanā defuncto Nectario, Ioannes, qui appellabatur Chrysostomus, gubernabat Ecclesiā; *Ioannes Chrysostomus moritur in exilio.* qui cùm Augustæ displiceret, in exilium est expulsus: populus autē eum propter sanctitatis reuerentiam, & eius frequentem diligebat prędicationem, quam multis Homelijs Ecclesię sanctę reliquit, magna scilicet suæ monumenta facundiæ, vnde eorum hortatu reuocatus est ab exilio. Sed dum denuò intolerabilem se præberet ęmulis suis, iterum in exilium pulsus est, vbi & defunctus est. Eodem verò tempore grando vehemens Constantinopolim, & circa eius suburbana descendit. quod dicebant Dei perfecto fieri iudicio, eò quod sine iudicio Ioannes fuerat condemnatus, & Arsacius ei substitutus: quibus verbis fidem dedit more Augustę mox subsecuta, quarta namque die post grandinem est defuncta. *Sanctus Martinus periodum suæ vitæ claudit.* Apud Gallias autem in illis diebus Sanctus Martinus Turonensium Episcopus migrauit ad Dominum, cui successit Sanctus Briccius, qui super corpus ipsius sanctissimi prædecessoris sui paruam statim ædificauit cellulam. Floruit etiam inter hos dies apud Epirum Donatus Episcopus

piscopus, qui Draconem miræ magnitudinis solo oris sui sputo meruit extinguere. His quoque diebus Regi Francorum Morouco successit Childericus. Archadius verò Imperator, postquam cum patre Theodosio XIII. annis, & cum Honorio fratre XII. imperauisset, relicto Theodosio VIII. annorum filio, defunctus est, anno vitæ suæ XXX. primo. Sub hoc tamen orta est hæresis Priscillianistarum; qua qui inuoluuntur, astruere conantur, fatalibus stellis homines colligatos, & ipsum hominis corpus secundum XII. cæli signa esse compositum; constituentes arietem in capite, & taurum in vertice, & geminos in humeris, & cancrum in pectore, sicque nominatim per cætera discurrentes signa, perueniunt vsque ad plantas, quas piscibus tribuunt, quod vltimum signum ab Astrologis, & Mathematicis nuncupatur. Hi quoq; carnes, tanquam immundas escas, sicut Manichæi, & coniugium quasi prophanatum, deuitant. Opificium quoque carnis humanæ non Deo, sed angelis malignis tribuunt. Pelagius etiam Brito venena suæ nequitiæ, hac eadem tempestate longè lateque diffudit, vtens cooperatore Iuliano de Campania, quem amissi dudum Episcopatus intemperans exagitabat cupido. Porrò qui Pelagiana polluuntur hæresi, destruere conantur orationes, quas facit Ecclesia Dei pro fidelibus, vt eis augeatur fides; & pro infidelibus, vt ad Dominum conuertantur: nam non à Deo accipere, sed à seipsis homines docent habere gratiam Dei, qua liberantur ab impietate secundum merita sua. In id etiam progrediuntur fallacia sua, vt dicant vitam iustorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum; sed dicunt Ecclesiam esse sine macula, & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia, quæ clamat ad Dominum toto orbe terrarum diffusa, dimitte nobis debita nostra, sicut, &c. Paruulos quoque sine contagio mortis antiquæ, & sine vllo peccati originalis vinculo asserunt nasci, vt prorsus non sit, quod eis oporteat secunda natiuitate dimitti; sed eos ideo baptizari, vt per regenerationem adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati. Nam si non baptizentur, promittunt eis, extra regnum Dei, æternam & beatam vitam. Dicunt etiam, quia si non peccasset Adam, fuisse tamen corpore moriturum. Asserunt ergò eum mortuum non merito culpæ, sed conditione naturæ. Sed horum erroribus prætermissis ad historiæ cursum rursus redeamus. Archadius autem Imperator cùm se mori perpenderet, Theodosium filium suum paruulum Imperatorem appellauit, & ei curatorem per testamentum posuit Isdigerdem Persarum

Donatus Episcopus Euræa in Epiro.

Archadius moritur.

Priscillianistarum hæresis.

Pelagiana hæresis.

Dogmata Pelagianorum.

Isdigerdes Persarum Rex tutor Theodosij.

sarum Regem. Floruit in Ægypto per idem tempus heremita magnus Arsenius.

11 HONORIVS igitur Imperator Archadio defuncto imperauit cum Theodosio nepote suo annis XVI, Sed Honorius, sicut dictũ est, partes regebat Hesperiæ: Theodosio verò, Archadij filio, subiacebãt Oriẽtales prouinciæ. Quibus imperantibus, gentes olim excitatæ per Stiliconem palatij Comitem, Alanorum videlicet & Wandalorum, Sueuorum & Burgundionum, Gallicanam inuasêre prouinciam. Et his per Galliam bacchantibus, apud Britanniam quoque Gratianus, municeps eiusdem Insulæ, tyrannus creatur; sed statim occiditur. Cui Constantinus ex infima militia assumptus, statim subrogatur: qui continuò in Gallias transijt, & iudices in Hispaniam destinauit. Quorum occasione barbari, Pyrenæi montis custodia derelicta, apertis claustris cunctas gentes, quæ per Gallias vagabantur, in Hispaniam introducunt, & eisdem gentibus se admiscent: vbi actis aliquandiu permagnis, cruentisque discursibus, post graues rerum atque hominum vastationes, habita sorte, & distributa possessione, resederunt. Itaque dum Respublica fortuitis casibus vrgeretur, Honorius Imperator Constantio Comiti curam sui cõmittit palatij. Constãtius autem Comes mox in Galliam profectus, Cõstantinum Imperatorem apud Arelatem ciuitatẽ Galliæ clausit, cepit, & occidit, Gerontius quoq; Comes Honorij Imperatoris, Constantẽ præfati Imperatoris Constantini filium apud Viennam Burgundiæ ciuitatẽ interfecit. Post cuius necẽ vir Galliarum nobilissimus, nomine Iouinus, tyrannidẽ arripuit, sed mox vt assurrexit, cecidit: similiter & Sebastianus frater eius. Eadem etiam tempestate Attalus Africæ consulatum est assecutus. Qui inde elatus cum incredibili classe Romam contendit: nam habuisse III. millia, & DCC. naues perhibetur. Quem numerum nauiũ nec Xerxes, nec Alexander Magnus vnquã legitur habuisse: sed vbi in littore maris ventum est, occursu Marini Comitis territus fugit, & in Carthaginem redijt, vbi non multo post militari manu interfectus est. Hoc etiã tempore Constantius Comes apud Arelaten degens, Gothos à Narbona expulit, & abire in Hispaniã coẽgit. Tunc Rex Ataulphus Gothis præerat, qui post irruptionẽ Romanæ vrbis Placidiã Imperatoris sororẽ duxerat, & Alarico in regnũ successerat. Porrò Ataulphus apud Barcellonã Hispaniæ vrbem dolo suorũ occisus est, cui *Segoricus in regno successit, qui pacẽ optimã cum Honorio Imperatore constituit, & Placidiã eius sororẽ secum honestè habitã ei restituit. Honorius autem illam memorato

Gratiano tyranno, subrogatur Constantinus.

Constãtini & Constantis interitus.

Classis immensa Attali.

Ataulphus Barcellonæ occisus.

**alias Gensericus.*

memorato Constantio Comiti desponsauit, & eum Imperatorē apud Rauennā ordinauit. Et non post multos dies Regi Segerico * Vallia successit, qui Tholosam redijt, & eam sibi iterū subiugauit. Sed & hic non post multos dies immatura morte præuentus discessit, & Theodoricū, quem Theodonem appellant, successorem reliquit. His quoq; diebus Luciano presbytero reuelatum est corpus protomartyris Stephani, & per plures Ecclesias Occidentis delatæ sunt eius sanctæ reliquiæ. His etiam diebus Ætius ordinatur Patricius Romanorum, vir inclytus, & bello strenuus: siquidem Burgundiones contra Romanos rebellantes perdomuit. Quę gens ab Italia quondam exiens super ripam Rheni fluminis resederat, & crebra habitacula, quæ vulgò burgi vocantur, condens, nomen ex opere assumpserat: à burgis enim Burgundiones appellari cœperunt. Hac prętereà tempestate Attila Rex Hunnorū Gallias depopulaturus aduenit, iamq; Metensi vrbe exustâ, Aurelianensem minabatur euertere ciuitatem. Erat tunc eius loci Episcopus sanctus Anianus: cuius precibus inuitatus pręfatus Ætius Romanorum patricius ab Arelate, Aurelias properauit, & vnà cum Theodone, & Thorismundo Theodonis Regis Vesegothorum filio, Attilam inuasit, & vrbem ab imminenti periculo, quam iam tenebat obsessam, liberauit. Demum quoque vtræque partes in campis Catalaunicis conuenêre, ibique commissum est bellum atrox, & memorabile. Adfuerunt, in hoc bello cum Ætio & Theodorico, quē Theodonem iam superiùs diximus appellari, Sagibanus Rex Alanorū, qui etiam tunc Aurelianâ regnabat in vrbe. Adfuerunt quoque Franci, Sarmatæ, Burgundiones, Saxones, Riparioli, atque Germani. Ibi etiam CLX, millia hominum cæsa referuntur, ibique Theodericus Rex est extinctus. Attila verò victus, in claustra quæ de plaustris præparauerat, se recepit. Ætius verò patricius inde digressus ad patriam remeauit. Quibus expletis Attila Italiam est adgressus, tandemque Aquileiensem attriuit ciuitatem, ita vt quid fuerit, nunc apparere nequeat. Hæc tamen ciuitas quondam inter Italiæ vrbes inclyta fuit, & famosa; nunc autem est oppidulum, quod forum Iulij nuncupatur, eo quod Iulius generale negotiationum forum ibi antiquitus stabiliuit. Porrò præfatus Attila postquam Aquileiensem penitus attriuit ciuitatem, Mediolanum, & Ticinum regias Italiæ vrbes grauiter deuastauit. Sed cùm inde ad Romam vrbem hostiliter accessisset, & eam irrumpere decreuisset, sanctorum Apostolorum reuerentia territus substitit, & nulla tandem, Dei nutu, cogente necessitate, ad suam patriam remeauit. In

Constantius Imperator creatur.
** alias VVallus.*
Inuentio corporis S. Stephani.
Burgundionum origo, & etymologia.
S. Aniani meritis Aurelianensis ciuitas ab imminenti Hunnorum clade liberatur.
Cruentum prælium inter Attilam & Romanos.
Attila Italiæ ciuitates deuastat.

Innocentio Papæ ordine succedũt Zosimus, Bonifacius & Cœlestinus.

Palladius primus Scotorum Episcopus & Apostolus.

Viri sanctitate & eruditione illustres.

Cathedrâ verò Romanæ Ecclesiæ Innocentio Papæ Zosimus successit, & Zosimo Bonifacius, & Bonifacio Cœlestinus. Ab hoc Cœlestino transmissus est ad Scotos ad prædicandum Palladius, eorum primus Episcopus. Floruit etiam his temporibus Augustinus Hipponensis Episcopus, doctor egregius, cuius extat tanta librorum copia, vt de hoc quidam meritò dixisse reperiatur: mentitur, qui te totum legisse fatetur. Huius discipulus Orosius VII. libros aduersum gentes nobiliter & vtiliter composuit. Extiterunt etiam hac eadem tempestate Maximus Taurinensis Episcopus, & Cassiodorus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Diaconus, necnon & Cassiodorus Rauennatium senator. Quorum Cassiodorus inter cætera quæ scripsit, psalmorum occulta potentissimè reseruauit. Verùm Honorius Augustus transactis annis XIII. quibus imperauerat cum fratre suo Archadio, & alijs iterum XVI. annis cum Theodosio nepote suo, humanis rebus excessit. Quo defuncto Iohannes quidam tyrannus Hesperiæ inuasit Imperium: contra quem Theodosius Augustus Ardaburium transmisit patricium, qui sæpè contra Parthos dimicauerat. Qui cùm nauigio ad Italiam peruenisset, Iohannem tyrannum intra Rauennam nihil metuentem hostiliter interfecit. Igitur tyranno vita priuato, cogitabat Theodosius Augustus, cui deberet committere Hesperiæ regnum. Erat in diebus illis Valentinianus puer natus ex Placidiâ, filia Magni Theodosij, patre Constantio, qui Constantius cum Honorio Augusto, sicut iam dictum est, paruo regnauit tempore. Quem assumens Theodosius coronauit, & cum matre Placidiâ ad Italiam destinauit, illumque Imperatorem, & Placidiam designauit Augustam.

Honorius Imperator moritur.

Valentinianus designatur Imperator.

12 THEODOSIVS igitur iunior imperauit cum Valentiniano annis XX. & VI. Huius Theodosij filiam Eudoxiam duxit Valentinianus vxorem. His etiam imperantibus Africana prouincia per Bonifacium Comitem Wandalis est tradita, separata à Romano imperio. Gens etiam effera Gothorum, Wandalis & Alanis permixta, ab Hispania in Africam transiens, totam illam prouinciam ferro, flamma, & Arriana fœdauit impietate. Circa hoc quoque tempus gens Saxonum Britanniam tribus longis nauibus applicuit, & penè totam insulam illam ob Orientali plaga vsque ad Occidentalem occupauit. Tunc etiam, quoniam Pelagiana hæresis Anglorum maculauerat fidem, fraude Gallicani Episcopi, Germanum Antisiodorensium, & Lupum Trecassinorum, insignes Episcopos, ad eos direxerunt. Quo cùm peruenissent, illá inde

Gothi VVandali & Alani Africam depopulantur, & Arrianâ hæresi inquinant.

Germanus & Lupus

inde hæresim penitus exterminauerunt; prosequebantur enim illorum verba magna miraculorum prodigia. Secundò etiam eò beatissimus remeauit Germanus, & renouatores erroris præsertim inde penitus extirpauit. Quē inde reuertentem apud Rauennam Valentinianus, & mater eius Augusta Placidia, summa receperunt cum reuerentia. Quo cum resideret, migrauit ad Dominum, cuius corpus honorificè ad propriam sedem est relatum, atque reconditum. Eodem etiam tempore Eudoxia Imperatrix ab Ierosolyma rediens attulit catenas, quibus quondam ab Herode Sanctus Petrus Apostolus fuerat catenatus & ligatus; quarū susceptio catenarum in ipsis celebratur Kalendis Augusti: ipsam namque diem, qua beatum Petrum Angelus ab eisdem eduxit compedibus, circa diem Paschæ fuisse cognoscimus. In Romana verò Cathedra Cœlestino Papæ Xystus tertius successit, & Xysto Leo primus. Fuit his diebus in Constantinopolitana vrbe quidam Episcopus Nestorius nomine, eloquentia seculari præditus, qui contra Catholicam dogmatizabat fidem, sanctam Mariam Dei non esse genitricem, & hominem purum de ea natum, sed postea homini Deum fuisse permixtum: vacuare contendens remedium nostrum, quo verbum Dei sic hominem assumpsit in vtero Virginis, vt vna persona fieret Dei & hominis. Vnde collecta est Ephesi tertia sancta Synodus, memorato Papa Cœlestino iubente, vbi conuenerunt Patres CC. & ibi Nestorius est damnatus, & anathematizatus, & confirmatum, atque corroboratum est, vt beata Maria Theotocos, id est, mater Dei, appelletur. Singulariter enim ac mirabiliter natus est de ea Christus Dei filius, qui etiam passus est pro nostris peccatis, vt peccatum, quod non fecerat, aboleret: à morte etiam resurgens in nostræ carnis substantiam, sicut Deus cælos penetrauit. Vnde intelligitur inesse illi diuinitatis, & humanitatis naturam, teste Apostolo Paulo, qui eundem Christum Iesum Dominum gloriæ appellauit, dicens: si enim cognouissent, nunquā dominum gloriȩ crucifixissent. His breuiter contra hæreticum dictis, ad historiam redeamus. Floruit his temporibus apud Viennam Galliæ vrbem sanctus Mamertus Episcopus, qui tres dies rogationum ante Ascensionis Dominicæ solemnitatem celebrari constituit. In diebus enim Episcopatus eius maximus terræ motus intra modò dictam vrbem, multas domos concussit, & euertit. Lupi quoq; gregatim eandem ingrediebantur ciuitatem, & deuorabant homines. Vnde idem vir sanctus imminente celebritate Ascensionis Dominicæ, has, quas diximus, rogationes instituit, & sic

Episcopi Britanniæ à Pelagianorum hæresi liberāt.

Moritur S. Germanus.

Festum Vinculorū Petri instituitur.

Cœlestinus, Xystus & Leo Papa sibimet ordine succedunt.

Nestorij hæresis in Synodo Ephesina cōdemnatur.

S. Mamertus Rogationes in Viennensi Ecclesia celebrandas indixit.

sic illi terrores cessauerunt, quæ itidem in Gallicana celebrari cœperunt prouincia, vt omnipotens Deus per totum annum omnium calamitatum aduersitatem auertat à populo suo. Verùm Theodosius Augustus Constantinopoli defunctus est, imperij sui anno XLII. ætatis verò suæ L. Post cuius obitum Martianus ab aulicis militibus Imperator est creatus, adhuc superstite Hesperiarum partium Imperatore Valentiniano iuniore.

Theodosius Iunior moritur.

13 MARTIANVS igitur ad imperium assumptus, anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi CCCCXLIX. imperauit cum Valentiniano annis VI. iste Pulcheriam Theodosij Augusti germanam, quæ in Palatio iam matura viro degebat, in matrimonium assumpsit. Denique cum Parthis & Wandalis Romanum infestantibus regnum, pacem instituit. Horum quoque Imperatorum, Martiani scilicet & Valentiniani temporibus, celebrata est Chalcedone quarta sancta Synodus vniuersalis, sexcentorum triginta religiosorum Episcoporum, sancti Papæ Leonis industria congregata; cui & interfuerunt Iuuenalis Ierosolymitanus Episcopus, & Anatholius Constantinopolitanus; ibique Eutyches hæreticus cum Dioscoro Alexandrino Episcopo abdicatus est & damnatus. Erant etiam in illis diebus quatuor fratres in Burgundiæ partibus, ex Alarici Regis Gothorum sanguine procreati, ipsius Burgundiæ regna per tetrarchiam gubernantes: Gondebaldus. Gondegisillus, Chilpericus, & Gondomarus, quorum Gondebaldus, Chilpericum fratrem suum interfecit, & eius regnum suo copulauit. Demum verò vxorem eius, ligato ad collum saxo demersit in flumen; sed filiam eorum *Chrotildem secum retinuit, & enutriuit, de qua pauca in sequentibus locuturi sumus. Burgundiæ verò regnum circa Rhodanum & Ararim fluuium tunc consistebat, & vsque ad Massiliensem prouinciam pertingebat. Francorum verò regnum exile erat, & modicum: cuius regni gubernacula post Childericum Clodoueus suscepit. Interea verò Valentinianus Imperator factione Heraclij spadonis Ætium interfecit patricium: sed non multò pòst idem Valentinianus à satellitibus Ætij, dolo Maximi Comitis palatij perfossus interijt, & mox eius inuasit imperium Maximus, eiusque vxorem Augustam in suum coniugium transire coëgit. Verùm hac incontinentia non diu lætatus est: nam post alterum mensem à famulis Regis membratim dilaniatus, & in Tyberim est proiectus. Post cuius necem Romani Auitum Cæsarem creauerunt, cum quo Martianus Imperator vnanimitatis fœdus com-

Synodus Chalcedonensis in qua Eutychis & Dioscori hæreticorũ damnata sunt dogmata.

Reges Burgundiæ.

** alias Clotildem.*

Regi Gallorum Childerico Clodoueus succedit.

Interitus Ætij & Valentiniani Imperatoris.

Auitus creatur Cæsar.

composuit, sed cùm ambo rem concorditer administrarent publicam, Martianus sexto imperij sui anno, & sexto pariter mense defunctus est, cui Leo successit. *Martianus vita fungitur.*

LEO post Martiani obitum assecutus imperium, anno diuinæ incarnationis CDLVII. Imperauit annis XVI. Cuius primo anno Hesperiarum Imperator Auitus intra Gallias ab exercitu suo adsumptus, sed derelictus, ad Italiam remeauit, & post paucos dies honore dignitatis deposito, Placentinorum ordinatur Episcopus. Eodem quoq; anno Maiorianus à Romanis militibus apud Rauennam Cæsar Italiæ est ordinatus. Qui quidem ad Hispanias abijt, & inde contra hostes suos ad Carthaginem transire proposuit; sed penitus spe sua frustratus, & fortunæ muneribus destitutus, ad Italiam est regressus, vbi tertio principatus sui anno vix expleto decessit. Tunc Leo Imperator Anthemium prædecessoris sui Martiani Imperatoris generum, ex patricio Cæsarem ordinauit. Qui vbi Romam attigit, Ricimerem generum suum contra Alanos direxit, & per eum multitudinem Alanorum fugauit, & Regem eorum * Beuigum, primo certaminis impetu superatum interemit. Sed non multò pòst idem Anthemius, Ricimeris ipsius generi sui fraude interemptus, regnum reliquit Olybrio. Olybrius verò nondum mense octauo principatus sui expleto, finem vitæ fecit. Quo defuncto, Glycerius eius sibi præsumpsit imperium. Verùm anno vix expleto Nepos Marcellini quondam patricij sororis filius, eum à regno deijciens, Episcopum ordinari fecit, & sibi regnum rapuit. Tantas varietates, mutationesque Romanorum principum, conspiciens Rex Ostrogothorum, Theodoricus, Aruernorum occupauit ciuitatem, vbi tunc nobilis dux & senator Romanorum manebat * Edicius, Auiti quondam Imperatoris filius. Iste Edicius in libro vitæ cuiusdam sancti confessoris nomine & officio Sacerdotis Lemouicinæ ciuitatis, corrupto nomine, sicut opinor, nominatur Altitius, & hic illum creditur à baptismatis lauacro suscepisse. Cuius preciosissimi Confessoris vitæ seriem partim in occulto sermone compositam, partim verò scriptorum iudicio deprauatam conspiciens, nuper corrigere statui, & tempus quo floruit post multorum annorum curricula, moderno tempore designaui; & de ipsius quidem sancti virtutibus in eadem seriè apertissimo sermone veritatem expressi. De hoc autem Altitio illud planè diffinire nolui, quod euidenti testimonio probare non possum: melius esse credens illud, quod me latet, seu de quibus am-

Auitus ex Imperatore fit Episcopus.

Maiorianus, Anthemius, Ricimer, Olybrius, Glicerius, Nepos, omnes ad Imperium euecti, verùm eo non adeò longum potiti sunt.

** alias Biorgum.*

** alias Decius.*

Auctor in cæteris vitā Sacerdotis Episc. Lemouicensis prolixiori stylo contexuit.

ambigo, Deo totum relinquere, quàm dubia pro certis proterué defendere. Hoc tamen antiquus ille liber, qui præfati Confessoris actus continet, mihi videtur innuere, quòd circa hoc tempus, de quo nunc loquimur, memoratus Sacerdos Episcopus esse potuit infantulus. Sed vt ad ordinem historiæ recurram: contra Theodericum in Aruernorum finibus consistentem, & rem populi Romani deuastantem, Nepos Cæsar ab Italia Orestem magistrum militiæ suæ ire mandauit. Orestes autem vbi cum exercitu Rauennam venit, Augustulum filium suum Imperatorem constituit. Quod audiens Nepos præsidio nudus in Dalmatiam fugit, vbi & priuatus regno defecit. Augustulo verò in Rauenna degente, Odoacer Turcilingorum Rex habens secum Herulos, Schytas, diuersarumque gentium auxiliarios, Italiam occupauit, qui & Orestem interfecit, & filium eius Cæsarem Augustulum de regno pulsum in Lucullano Campaniæ castello exilij pœna damnauit; sicque Hesperium Romanæ gentis imperium, quod DCC. nono vrbis conditæ anno, primus Augustorum Octauianus Augustus obtinuit, in hoc Augustulo dignitatis suæ priuilegium perdidit, & in manibus Regum exterarum gentium tandem collapsum corruit. Circa hoc quoque tempus rex Francorum Clodoueus Chrotilden Christianissimam, & speciosam puellam, de qua præmisimus pauca, Chilperici quondam Burgundiæ Regis filiam, Gundebaldi neptem duxit vxorem. Gundebaldus autem non multò pòst moriens Sigismundo & Gondomaro filijs suis regnum Burgundiæ dereliquit. His quoque diebus apud vrbem Turonicam, quintus post beatum Martinum Episcopi dignitatem obtinuit sanctus Perpetuus. Qui cernens mirificas virtutes fieri ad sepulchrum sancti Martini, fabricari fecit magnam Basilicam iuxta cellulam, in qua requiescebat corpus ipsius, quam & ipsius nomini dedicauit, inferens in eam ipsum preciosissimum sancti Martini corpusculum. Sanctus etiam Euphronius hac eadem tempestate apud Augustudunum construxit sancti Symphoriani martyris Basilicam extra murum. Romæ verò post memoratum Leonem Antistitem sedit Hilarius, & post Hilarium Simplicius, & post Simplicium Felix tertius, & post Felicem Gelasius. Porrò Gelasius composuit Sacramentorum præfationes, & orationes satis honesto dictamine, & huic Gelasio successit Anastasius. Floruit in eodem tempore apud Gabalensem Galliæ vrbem Sanctus Seuerianus, & in Viennensi Ecclesia Claudius Episcopus, & in Lugdunensi

Augustulus Imperator constituitur.

Odoacer Gothus primus Rex Italiæ.

Cum hoc Augustulo Regnū Romanum in Occidente, & Augusta dignitas expirauit.

Clodoueus Rex Galliæ & Chrotildis connubio iunguntur.

SS. Martino & Symphoriano Basilicæ extruuntur.

Leo, Hilarius, Simplicius, Felix, Gelasius, Anastasius omnes Pontifices sibimet ordine succedentes.

San-

Sanctus Eucherius. Floruit etiam Prosper, vir Aquitanicæ regionis, & beati Papæ Leonis Notarius; nec non & Theodoretus Episcopus Ciuitatis, quę à Cyro quondam Rege Persarum condita, Cyria vocatur, qui ecclesiasticam scribit historiam, à fine librorum Eusebij sumens exordium, & perducit vsque ad suum, id est, ad Imperatoris huius Leonis tempus, quo & defunctus est. Hac præterea tempestate memoratus Ostrogothorum Rex Theodoricus Illyricum, & magnam partem Italiæ occupauit. Sed Rex Wandalorum Honorichus, cùm esset Arianus, apud Africam Catholicis viris Ecclesias clausit, & eos varijs affecit supplicijs; quorundam quoque religiosorum linguas abscidit Episcoporum, sed tamen ab eis loquelam catholicæ confessionis amputare non valuit. Sed dum hæc in Africa geruntur, Leo Orientis Imperator, XVI. Imperij sui anno, Zenonem generum suum, Magistrum totius Orientis fecit, & Basiliscum fratrem Verinæ Augustæ, Magistrum Thraciæ, Leonem verò nepotem suum consecrauit Augustum.

Viri illustres Prosper & Theodoretus.

Persecutio sub Honoricho Rege VVandalorum.

15 LEO ergò secundus post aui obitum imperauit anno vno. Interim verò cœpit regnum dilatari Francorum, & pręfatus Rex Clodoueus, Childerici filius, à beato Remigio Rhemorum Archiepiscopo, tali occasione voluit baptizari. Dum quadam die contra Alemannos confligeret, & eius grauiter cęderetur exercitus, eleuatis oculis in cœlum, dixit: O Domine Iesu Christe, quem Chrotildis mea vxor colit, & adorat, tuam opem deuotus efflagito, & si mihi victoriam in hoc dederis certamine, spondeo tibi, quòd deinceps credam in te, & in tuo baptizabor nomine: quod cùm dixisset, Alemanni in fugam acti sunt, & Rex cum triumpho remeauit ad propria. Tunc accersito Sancto Remigio Episcopo, quod Deo vouerat, fideliter adimpleuit, & baptizatus est cum gente sua, regni sui anno XV. Porrò Leone defuncto Basiliscus frater Verinæ ab aulicis militibus acclamatur Augustus. Sed & Zenon demum factus est Imperator.

Clodoueus Rex Galliæ à S. Remigio sacrum baptisma, Christiq; fidem suscipit.

16 ZENON igitur diademate sumpto, imperauit duobus annis cum Basilisco, & XV. solus. Porrò iste Zenon enoticum contra fidem composuit Ecclesiasticam. Iste etiam Ostrogothorum Regem Theodoricum ad se venire fecit, eiq; palatij sui curam delegauit, & non post multos dies Patriciatûs honore iterum eum insignitum ad partes Italiæ destinauit. Quò dum peruenisset, Odoacrem Turcilingorum Regem varijs successibus debellauit, & Regno tandem exturbatum interfecit. Demum autem Regnum Italię sibi præsumpsit & vsurpauit: Quod vt sibi peren-

Odoacris Interitus.

Theodoricus Arianæ sectæ addictus, ideò crudelior in orthodoxos.

perenniter confirmaret, filias suas vicinis Regibus copulauit, dans vnā earum Regi Vesegothorum Alarico, & alteram Regi Burgundionū Sigismundo: neptem verò suam Amalabergam copulauit Regi Thuringorum Hermenfrido. Vtq; gentem Francorum sibi faceret etiam fœderatã, Regis Clodouei filiam suo coniunxit matrimonio: sororem quoq; suam Wandalorum Regi Transamundo copulauit, sessionemq; suam Rauennæ constituit, homo Arrianæ sectę & bestialem contra Catholicos viros gerens in animo crudelitatem. Hoc etiam tempore, Cathedrę Romanæ Ecclesiæ Gelasio Papa præsidente, facta est Apparitio Sancti Michaëlis Archangeli in Gargano monte, sub Zenone Imperatore, anno Incarnationis Dominicæ, quadringentesimo, LXX. primo. Floruit his temporibus Fulgentius Ecclesię Ruspensis Episcopus. Porrò Gelasio successit, vt iam dictum est, Anastasius Papa. Quo defuncto consecrantur in Sede Apostolica duo, Symmachus, atq; Laurentius, & cùm inde orta fuisset magna dissensio Romę, decreuit Romanus Senatus, vt ambo ordinati pergerent in præsentiam Regis Italiæ Theodorici. Quod cum factum fuisset, iudicauit Theodoricus, vt qui prius fuerat ordinatus, & cui maior pars populi faueret, ipse Sedem Apostolicam obtineret. Tunc Symmachus in Apostolica Sede stabilitus, Laurentium intuitu misericordiæ, in Nucerina constituit Pontificem Ecclesia. Sed post annos tres accusatus est Symmachus, & reuocatus est Laurentius in vrbem Romã: tunc Symmachus congregauit Synodum, C. & XV. Episcoporum, & purgauit se ab obiecto crimine coram omnibus; & tunc iterum proiectus est Laurentius, & Symmachus reuocatus est in propriam Sedē, vbi etiam in pace quieuit. Zenone autē Augusto mortuo, quidam Anastasius assumptus est ab Augusta, Imperator simul, & Augustæ maritus. Verùm anno, quo Zenon mortuus est, & Anastasius imperare cœpit, ab Adam secundū Romanos erant anni quinquies M. DC. LXXX & IX. & secundū supputationē Alexandrinorū quinquies M. DC. LXXX III.

Apparitio S. Michaelis Archangeli in monte Gargano.

Schisma inter Symmachum & Laurentiū.

Synodus congregatur à Symmacho Papa.

Anastasius summus hæreticorū fautor, & Catholicorum persecutor.

17 ANASTASIVS igitur, purpurã sumens imperialem, anno Incarnationis diuinæ CDXCI. imperauit annis XX. & VII. Iste ab Acacio Constantinopolitano Episcopo deprauatus, fauebat hæreticis, & persequebatur Catholicos. Circa hoc deniq; tempus, Clodoueus Rex Francorum, regnū suum amplificare cupiens, inuasit Aquitaniæ regnū, quod Rex Alaricus obtinebat. Et cùm transisset Ligeris alueum, Turonis ad Sancti Martini Basilicã diuertit: quam cū intraret, insonuit in choro vox psallentiū, dicens: Præcinxisti me Domine virtute ad bellum, & supplantasti

Prodigia victoriam quam Clo-

tasti insurgẽtes in me subtus me: Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. Quâ voce audita, lætior effectus, & Deo gratias agens inceptum tenuit iter. Et cũ fluuium, cui Vienna nomen est, transire vellet, & vadum non inueniret, eò quòd auctus pluuijs exundauisset, cerua subitò per eundem transiens fluuium, ei vadũ ostendit. Deinde Alarico occurrit decimo milliario ab vrbe Pictauensi, vbi ambo congressi inuicem pugnauerunt; sed tandẽ ibidẽ Alaricus confossus occiditur, & eius exercitus huc illucq; dispergitur. Qua patrata victoria in illo anno Clodoueus Burdegalæ hyemauit. Sed recedente hyemali frigore, & succedente vernali temperie, Tholosam caput regni Gothorũ expetijt, & inde thesauros Alarici Regis auferens ad Engolismã properauit. In cuius aduentu murus vrbis diuino nutu spontè corruit, aduenientiq; Regi patens præbuit iter, & inde Turonicam vsq; peruenit ad vrbem. Vbi dum fessum recrearet exercitũ, suscepit litteras Anastasij Imperatoris, quibus illum designabat Romanæ Reipubl. Consulẽ, & Augustũ. Quod grataǹter suscipiens, statim cõsulari trabea insignitus, ab illa die Consul simul, & August⁹ meruit appellari. Et inde Parisios reuersus, pro tantis beneficijs à Deo sibi collatis, & honoribus; regalem ibidẽ Ecclesiam ædificauit, quã sanctis Apostolis Petro & Paulo consecrari præcepit. Postea verò industria filij sui Theodorici, Lemouicẽses, Ruthẽos, Cadurcos, Aruernos, nec nõ & reliquas Aquitaniæ gẽtes seu prouincias, à Rhodani fluuio, vsq; ad Ligeris alueum; & itẽ à Pyrenæis mõtibus vsq; ad Oceanum, totum videlicet Alarici regnũ, suo copulauit regno. Amalaricus quoq; Alarici filius ei cessit inuitus, & ab Aquitania in Hispaniam migrauit. Igitur Gothis Arianis ab Aquitania pulsis, Franci Catholici ipsam meliori regula religionis & fidei cõtinuò repleuerũt. His Rex Clodoueus, Deo fauente, patratis, & longè lateq; Francorũ regno dilatato, obijt anno regni sui XXX. ætatis verò suæ XLV. relinquẽs quatuor filios regni hæredes. Qui patri succedẽtes, regnũ Francorũ inter se diuiserunt. Et Theodoricus sedẽ regni sortitus est Metis, Clodomirus Aurelianis, Clotarius Suessionis, Childebertus verò Parisijs, vbi & pater eorũ requiescit. Sed & soror ipsorũ Crotildis Amalarico nupsit, & in Hispaniam perducta est. Per idẽ tẽpus quoq; Rex Burgundiæ Sigismundus, hortatu B. Auiti Viennẽsis Episcopi extruxit Basilicã S. Mauritio & socijs ei⁹ super Rhodanũ fluuiũ juxta Octodurũ oppidũ, loco Agauno, vbi quondã Thebæa legio martyrium sumpsit. In Cathedra verò Romanę Ecclesiæ Symacho Papę successit venerabilis Hormilda. Hic misit ad Imperatorẽ Anastasiũ, corripiens eũ ab errore suo; sed perfidus per ipsum Papæ lega-

docetur de Alarico caso reportauit, præcedentia.

Alarici interitus.

Mœnia Engolisma ad aduentum Regis miraculosè corruunt.

Clodoueus ab Anastasio consulari & Augustâ dignitate insignitur.

Regno Gothorum euerso, Clodoueus totã Aquitaniã occupat.

Clodouei mors.

Regnum Francorum diuisum Clodoueo mortuo.

S. Mauritio Octoduri extruitur templum.

Symmacho Papa successit Hermisda.

tum hoc ei remandauit Anastasius: nos iubere volumus, non iuberi. Sed cùm in sua perduraret perfidia, ictu fulminis extinctus est. Cui successit Iustinus. Floruit his temporibus Sanctus Remigius Rhemorũ Archiepiscopus, cuius carnalis frater fuit Sanctus Vedastus Atrebatensis Episcopus.

Anastasius fulmine interijt.

18 IVSTINVS igitur Christianissimus Imperator Anastasio perfido succedens in regno, anno Incarnationis diuinæ, D. & XVIII. imperauit annis IX. & XXIII. diebus. Ad hunc misit Hormisda venerabilis Papa in vrbẽ Regiã Sanctum Germanũ Capuanum Episcopum, & Iohannem, & Blandinum Presbyteros, Felicem quoque, & Dioscorum Diaconos, necnon & Petrum notarium suum; vt Episcopos, quos Anastasius pro Catholica exulauerat fide, ad proprias reuocaret Ecclesias. Quos omnes cum grandi lætitia suscepit clementissimus Imperator, & remisit honorabiliter. Post Hormisdam autem Ioannes cathedram meruit Apostolicam, qui & ipse ad eundem principem venit. Et cùm in Corinthi partes iam venisset, necesse ei fuit, vt in itinere ad sedendum equus requireretur. Quod illic quidam vir nobilis audiens, equum super quem pro magna consuetudine eius coniunx sedere consueuerat, ita ei concessit, vt eo ad loca alia perueniente, cùm illi aptus equus posset inueniri, deberet ille quem concesserat, propter suam cõiugem retransmitti. Quod & factum est: Nam prædictus vir vsque ad certum locum equo eodem subuehente cum perductus fuisset, mox vt alium reperit, illum quem acceperat, retransmisit. Sed cùm denuò prædicti nobilis viri coniunx equum illum ex more conscendere voluisset, vltra non valuit: cœpit nẽpe immenso flatu & fremitu, atq; totius incessanti corporis motu quasi despiciendo prodere, quòd post membra Pontificis mulierem ferre nequiret. Quod vir eius prudenter intuitus, hunc ad eundem venerabilem virum retransmisit equum, magnis precibus petens, vt ipse illum possideret; quem iuri suo ad sedendum dedicasset. Denique dum Constantinopolim peruenisset, & ibidem vir dei honorificè ab Imperatore, & ab omni ferè populo eiusdem vrbis susceptus fuisset, mox in eorum conspectu ad portam, quæ aurea vocitatur, roganti cæco lumen indulsit. Demum verò, impetratis ijs, pro quibus ierat, Rauennam remeauit, vbi sæpè nominatus tyrannus Theodoricus zelo & inuidiâ ductus, quia audierat eum ab Augusto honorificè susceptum, atque tractatum, cum comitibus eius tenuit, & carceris afflictione peremit. Symmachum quoque patricium interfecit; sed & Boëtium consularem, virum summæ

Iustinus Imperator Christianissimus.

Hormisda Ioannes subrogatur in Pontificatu.

Equus quo antè vectus S. Pontifex, post mulierem admittere recusat.

Theodoricus Rex Ioannem Papam interemit in carcere.

pru-

prudentiæ, qui Dialecticam, Arithmeticam, atque Musicam suo sermone nobilitauerat, & alios libellos elegantissimè composuerat, idem tyrannus exilij pœna damnauit, & in territorio Mediolanensi iugulari fecit. Hac tamen immanis seueritatis impunitate Theodoricus nequaquam diu est gauisus, nam non multò post horribili & inopinata morte pollutam peccatis animam exhalauit. Quam etiam quidam solitarius apud Liparam manens insulam, corporeis oculis vidit in ollam Vulcani demergi, vbi mare sicut cacabus feruescit ab igne. Teodorico verò Regi Athalaricus nepos eius successit, & Athalarico, Theodohatus. Iisdem præterea temporibus tres Clodouei defuncti Regis filij, Clodomirus videlicet, Childebertus, atque Clotarius sibi inuicem fœderati, regni sui fines dilatare cupientes, Burgundiæ regnum ingrediuntur, & Sigismundum, fratremq; eius Gondomarum prælio aggressi sunt: statimq; in ipso primo belli impetu Sigismundus à Clodomiro capitur, & Aurelianas perducitur, ibique perimitur, & in puteum proijcitur. Non post multò tamen inde leuatur, & apud Monasterium, quod in loco Agauno Sancto construxerant Mauritio, & socijs eius, honorificè sepelitur. Demum quoque non multis dierum circulis euolutis, supra nominati fratres Burgundiam repetentes, Gondomarum Sigismundi germanum iterum adoriuntur, : sed in illa expeditione Clodomirus interficitur. Reliqui verò fratres Childebertus atque Clotarius Gondomarum apud Augustudunum obsidentes interfecerunt, & totam Burgundiam in suam potestatem redegerunt. Theodoricus autem memorati Regis Clodouei filius natu maior, cum fratre suo Clotario, & filio Theodeberto, Thuringorum fines ingreditur, & fugato Hermenfrido, regnum eius redigit in suam potestatem. Clotarius verò inde rediens, Radegundem Betharij Regis filiam, Hermenfridi neptem, secum abduxit, & eam sibi legitimo matrimonio copulauit. Sed illa post tempus modicum relicto maritali thoro, intra Pictauiensem vrbem, vestem suscepit religiosam, in qua perseuerans, cursum vitæ laudabiliter consummauit. Porrò memorati Regis Theodorici filius, nomine Theodebertus, cùm esset miles strenuissimus, adhuc patre superstite, Italiam penetrauit, & eam ab Alpibus vsque ad maritimorum confinia locorum, sibi tributariam fecit. Et dum inde rediret, Ducem exercitus sui nomine Bucellenum, ad peruadendam Siciliam, & reliqua Italiæ loca, quæ non adierat, dereliquit. Sed & memorati fratres iterum, Childebertus atque Clotarius à Gallia prodeuntes, Hispaniam intrauerunt, quam

Theodoricus secundus Rex Italiæ moritur, cui succedunt Athalaricus & huic Theodahatus.

Burgundia à Francis domita, regno Burgūdionum euerso.

Thuringia à Francis subiugatur.

Radegundis religiosam amplectitur vitam.

Italia Francorum tributaria fit.

grauiter deuastantes, magnam auri copiam cum stola sancti Martyris Vincentij secum inde detulerũt. Et cùm Childebertus remeasset Parisios, ædificauit Ecclesiam præfato Martyri Vincentio, extra murum eiusdem vrbis, quam & possessionibus amplissimis honorauit, ibiq; stolam ipsius sancti Martyris collocauit. Auri quoq; copiam, quam ab Hispania cum ipsa stola detulerat, cum crucibus mirificis ibidem larga obtulit munificentia. In Cathedra verò Romanæ Ecclesiæ Ioanni Papæ subrogatus est Felix, & Felici Bonifacius, & Bonifacio Ioannes secundus, & Ioanni Agapetus. Floruit per idem tempus apud Viennam Galliæ vrbem memoratus Auitus Episcopus, tam sanctitate, quàm doctrina conspicuus: Huius deniq; carnalis frater fuit Apollinaris Valentiæ Pontifex. Apud Aruernorum autem vrbem circa hoc tempus Eparchio Episcopo successit Sydonius, ex Præfecto Episcopus, vir secundùm seculi dignitatem nobilissimus, & litterali disciplina peritissimus. Porrò Longobardis adhuc in Pannonia consistentibus, præerat Alboinus filius Andoini, qui non multò post ipsam Longobardorum gentem in Italiam introduxit. Interea verò Iustinus Christianissimus Augustus, contra Parthos feliciter dimicauit, & tandem cum Rege eorum fœdus firmissimum stabiliuit: hic dum deficeret, Iustinianum, suum ex sorore nepotem, sibi designauit successorem.

Stola S. Vincentij asseruatur Parisijs.

Pontifices Rom. sibi succedentes Ioannes, Felix, Bonifacius, Ioannes, & Agapetus.

Alboinus primus Longobardorum Rex in Italia.

IVSTINIANVS igitur imperare cœpit anno DXXVII. imperauit annis XXX. & VIII. & diebus XI. Iste de multis gentibus triumphauit: nam septimo Imperij eius anno facta sunt Wandalica bella; Ideò misit Belisarium cũ magno exercitu in Africam, qui fauente Deo, eò perrexit magna celeritate, & eadẽ infideles Wandalos superauit facilitate, & totã tandẽ Africã ad antiquũ Reipublicæ corpus reuocauit. Rex quippe Wandalorum Gelimer, cùm impetum Belisarij ferre nequiret, ad Maurusios fugit; sed eum ibi Belisarius celeriter insecutus, comprehendit, & argentea vinctum cathena secum abduxit, & de eo Constantinopoli triumphauit. Et non multò post Iustinianus Augustus eundem Belisarium ad Italiam destinauit, quò Belisarius veniens, primo accessu Siciliã peruasit, & Neapolim obsedit, & expugnauit, & expoliauit; quod vbi Rex Italiæ Theodohatus audiuit, Vitigem sui exercitũs ducem contra eum destinauit. Sed postquã Vitiges Campaniam est ingressus Rex ab exercitu creatus, expeditionem soluit, & retrò remeauit. Tunc sublato Theodohato, & prima coniuge repudiata, Mathesuentam Theodorici Regis neptem sibi matrimonio iunxit. Sed dum nouis nuptijs delecta-

Belisarius militiæ præfectus.

Gelimer VVandalorum Rex vinctus Constantinopolim perducitur.

Theodohatus iussu Vitigis occisus.

[...]ur, Belisarius Romã ingreditur, & cum gaudio suscipitur. Confestim denique vicina occupauit loca, & vrbium oppidorumque præsidia expugnat. Quibus sine dilatione patratis, Vitiges Rex Romam aggreditur, eamque per annum continuum obsidione circumdat. Verum tandẽ Belisarius machinas eius igne consumpsit, & inde eum exturbatum vsq; ad Ariminum effugauit, & non multis diebus interiectis apud Rauennam inclusum, in deditionem suscepit, eumq; cum vxore sua, & opibus palatij Constantinopolim deportauit. Sicque Iustinianus orthodoxus Augustus breui temporis interuallo, de duabus validis gentibus, per manum Belisarij Ducis inclyti nobiliter triumphauit. Porrò post Belisarij discessum, Gothi, qui trans Padum, & in Liguria consistebant, contra Romanos rebellãtes, Totilam, qui & Baduilla dicitur, sibi Regem creauerunt. Qui contra Romanos sæpè dimicans eorum vires multis vicibus fregit, & superauit. Cuius Regis exercitus Perusium ciuitatem obsedit, & eam anno septimo obsessionis intrauit, cuius vrbis Episcopus Herculanus dicebatur. Verùm obsessionis tempore, Comes qui exercitui præerat, sicut refert beatus Papa Gregorius in dialogi libro, ad præfatum Regem Totilam nuntios misit, exquirens quid de Episcopo, vel populo fieri iuberet; cui ille remandauit, dicens: Episcopo prius à vertice vsque ad calcaneum corrigiam tolle, & tunc caput illius amputa; quod cùm capta vrbe factum fuisset, quidam humanitatis pietate compulsi abscissum caput ceruici apposuerunt, & cum vno paruulo infante, qui illic extinctus inuentus est iuxta murum, quo fuerat proiectum corpus Episcopi, sepulturæ tradiderunt. Sed cum XL. die Rex Totila iussisset, vt ciues vrbis illius, qui quolibet dispersi erant, ad eandem vrbem sine aliqua trepidatione remearent, hi qui prius fugerant, viuendi licentia receptâ, reuersi sunt. Tunc, cuius vitæ eorum Episcopus Herculanus fuerat, memores, vbi sepultum esset corpus illius quæsierunt, vt illud iuxta honorem debitum intra Ecclesiam principalem vrbis eiusdem humarent. Effossum est igitur beati viri corpus, & pueri cum eo humati. Sed corpus pueri, vtpote die XL. tabe corruptum, & vermibus inuentum est plenum, corpus verò Episcopi incorruptum, & ita caput eius corpori iunctum, ac si die eodem esset sepultum, vel si nunquam à capite fuisset separatum. Et cùm illud in terga verterent, quærentes si quod signum, vel de alia monstrari incisione potuisset, ita sanum & intemeratum est inuentum, ac si nulla hoc incisio ferri tetigisset. Coruscabat per idem tempus magnificis

Vitiges captus Constantinopolim perducitur.

Totila proclamatur Rex Gothorum in Italia.

Crudele edictum Totilæ in Herculanũ Episcopum.

Herculani caput corpori post mortem miraculosè reunitum.

gnificis virtutibus in Italia gloriosus Dei amicus, vitâ & nomine Benedictus. Qui cùm in loco, cui Sublacus vocabulum est, moraretur, diuina admonitione montem Cassinum expetijt, qui ferè D. milliaria à supradicto separatur loco, in cuius montis cacumine castrum olim fuerat, quod Arum ab incolis vocabatur. Ibi etiam vetustissimum phanū fuit, in quo ex antiquorum more gentilium, à stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu Dæmonum luci subcreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo, sacrificijs sacrilegis insudabat. Quo dum (sicut dictum est) admonitione diuina beatissimus aduentaret Benedictus, semper ad omne biuium duo Angeli, in figura iuuenum apparentes, ostenderunt ei viam, qua pergere deberet. Et cùm ibi peruenisset, idolum contriuit, aramq; subuertit, & lucos succidit, atque in ipso templo Apollinis, oraculum beati Martini, & pro ara Apollinis construxit altare Sancti Baptistæ Iohannis, populumque in vicino commorantem ad fidem conuertit catholicam. Verùm cùm memoratus Rex Totila magna seueritate per Italiam bacchatetur, audiuit venerabilem patrem Benedictum habere spiritum prophetiæ: quod experimento vt probaret, ad eius monasterium pergens, paulò longiùs substitit, eique se venturum nuntiauit. Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset, vt veniret; ipse (sicut perfidæ mentis fuit) an vir Domini spiritum prophetiæ haberet, explorare conatus est. Quidam eius Spatarius Riggo dicebatur, cui calceamenta sua præbuit, eumq; indui regalibus vestibus fecit, & quasi in persona sui pergere ad Dei hominem præcepit, in cuius obsequio tres, qui sibi præ cæteris adhærere consueuerant, comites misit; scilicet Vultericum, Rudericum, & Blindinum, vt ante viri Dei oculos ipsum esse Regem Totilam simulantes, eius lateri obambularent: cui alia quoque obsequia, atque Spatarios præbuit, vt tam ex eisdem obsequijs, quam ex purpureis vestibus Rex esse putaretur. Cumque ijsdem Riggo decoratus vestibus, obsequentium frequentia comitatus, monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminus sedebat, quem venientem conspiciens, cùm iam ab eo audiri potuisset, clamauit, dicens: pone fili, pone, hoc quod portas non est tuum. Qui Riggo in terram cecidit; & quia tanto viro illudere præsumpsisset, expauit, omnesque qui cum eo veniebant ad Dei hominem terræ consternati sunt. Surgentes autem ad eum minimè propinquare præsumpserunt, sed ad suum Regem reuersi, nuntiauerunt trepidi, in quanta velocitate fuerant deprehensi. Tunc per se idem Totila ad

S. Benedictus incipit inclarescere.

S. Bened. Ædem Apollinis in S. Martini templum commutat.

Simulatio & fraus Totilæ deprehenditur à S. Benedicto.

illa ad Dei hominem accessit. Quem cum à longè sedentem cerneret, non ausus ad eum accedere, sese in terram dedit; cui cum vir Dei bis terque diceret, surge; sed ipse ante eum de terra se erigere non auderet, Benedictus Iesu Christi famulus per semetipsum dignatus est accedere ad Regem prostratum: quem de terra leuauit, & de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus cuncta quæ illi erant ventura pronuntiauit dicens; multa mala facis, multa fecisti, iam aliquando ab iniquitate compescere. Et quidem Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annis regnabis, decimo morieris. Quibus auditis Rex vehementer expauit, & oratione petita recessit, atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit: nam non multò post dum mare transiens Siciliam depopulatus fuisset; & inde reuersus Romam obsidione cinxisset, tota fermè nocte suos tubis clangere præcepit, vt Romani à Gothis sese quibuscunque modis occulerent. Capta igitur est Roma à præfato Totila Rege, anno Iustiniani Augusti XX. primo; quod audiens sæpè nominatus Augustus Narsetem virum sapientem, ac strenuum, ordinauit Romanorum patricium, & misit illum ad Italiam. Quo cum Narses peruenisset, Regem Totilam bello superauit, & secundum patris Benedicti prophetiam anno regni sui X. illum interfecit. Bucellenum quoque ducem Francorum in loco, cui nomen est Tannetum intra sinum superauit Italicum, quē, sicut iam diximus, Rex Theodebertus ad sibi subijciendam dimiserat Italiam. His præterea diebus Reuerendissimi Patris Benedicti fama circumquaque ferebatur, ita vt etiam remotas prouincias splendor sanctitatis eius longè lateque penetraret. Vnde venerabilis Bertigrannus Cenomanensis Episcopus Legatos direxit ad eum, multis exorans precibus, vt illi perfectos dirigeret monachos, per quos lucerna disciplinæ monasticæ, vniuersæ innotesceret Galliæ. Cui Pater Benedictus suum sanctum destinauit discipulum Maurum, cum quatuor fratribus, quem ipse in omni religione & sanctitate educauerat, atque nutrierat. Qui dum eo pergeret, ad pagum deuenit Antisiodorensem, in locum, qui Fons-Rogi dicitur, die, qua Dominicæ cœnæ sacra solemnitas celebratur. Quo in loco B. Romanus sanctissimi Patris Benedicti alumnus, paulo ante ab Italia diuina migrauerat reuelatione. Cum igitur vir Domini Maurus ibidem aduenisset ipso die Parasceues, inter alia colloquia Beato Romano diem obitus Reuerendissimi Patris Benedicti in crastinum intrare prædixit, admonuitque illū, vt pariter ambo in Ecclesia pernoctarent, & ipsius sanctissimi patris

S. Bened. Regem Totilam increpat, ac multa futura ipsi prædicit.

Roma à Totila capta.

Totila & Bucellenus à Narsete victi & cæsi.

Bertigrannus Legatos ad S. Benedictū mittit.

S. Maurus à S. Benedicto in Gallias mittitur.

Gloria S. Benedicti iam iam defuncti B. Mauro reuelatur.

obitū, quacunq; hora veniret, psalmis & orationibus Domino cōmendarent. Die igitur crastina dū ambo orationi vacarent, sanctus Maurus raptus in spiritu, vidit quod strata pallijs, atq; innumeris corusca lampadibus via, recto orientis tramite ab eius cella in cælum vsq; tendebatur: Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via quam cerneret inquisiuit; ille autem se nescire professus est. Cui ille ait: hæc est via, qua dilectus Domino cælum Benedictus ascendit. Quā etiam visionē alter in cella frater positus vidit. Migrauit autē ad Dominū gloriosus pater Benedictus vigilia Paschæ, XX. Kal. Apr. anno incarnat. diuinæ,* D.XXXVI. sepultusque in oratorio beati Baptistæ Iohannis, quod destructa ara Apollinis ipse construxerat. Cuius inclyti Cōfessoris admirabiles act⁹ eximius Papa Gregorius suo nobilitauit eloquio. Proinde trāsacta Paschali celebritate, cū à prefato loco gressum tulisset beatus Maurus, antequā Aurelianensem peruenisset ad vrbē, comperit præfatū Pōtificē Bertigrannum esse defunctū. Erat eodē tempore quidam vir, nomine Florus, inter primos regni Francorū proceres, in habitu quidē seculari constitutus; sed omnipotenti Deo modis omnibus placere cupiens. Qui beati Mauri aduentū audiens, eum expetijt, & oportunū locum ei, vbi constitui deberet monasteriū, ostendit; filiumq; suum nomine Berulphū eius magisterio tradidit instruendū. Demum verò congregatis artificib⁹ opus incepit, atq; perfecit: in quo postmodū monasterio multi nobiles Francorū conuenêre, atq; se Dei seruitio tradidêre. Et cum iam fratrū congregatio ibi coadunata non modica facta fuisset, vir Domini Maurus anno XL. primo, quo ibidē venerat, plenus virtutibus migrauit ad Dominū: ipse deniq; Maurus, dū esset duodennis, à patre suo traditus fuerat S. Benedicto, & habitauerat cū eodē Patre Benedicto annis XX. qui simul fiunt anni LXX & III. Præcedenti tempore tamē, id est, XV. imperij sæpè fati Iustiniani anno, facta est Bizantij mortalitas magna: Qua de causa eodē anno cępit celebrari solemnitas Purificationis sanctę Dei genitricis Mariæ secunda die Febr. mēsis, & cessauit mortalitas illa: Et hæc solemnitas Hypante domini græce solet nominari, eo quod hac ipsa die allato in templū Domino, Symeon & Anna ei obuiauerunt: hypanto enim græcè, latinè dicitur obuio. Præterea Iustiniani tēpore Agapitus Romanæ Pontifex Ecclesiæ Cōstantinopolim venit: cui pergenti, cū iam esset in Græcię partibus, oblatus est curandus mutus & claudus; cumq; hunc propinqui illius flentes ei obtulissent, vir Domini sollicitè studuit

Dies obitus S. P. Benedicti.

**alias D. XLII. XII. Ap quæ communior opinio.*

S. Maurus moritur.

Institutio Festi Purificationis eiusq; causa.

Agapitus Pontifex Romanus mutum & claudum miraculosè sanat.

studuit eos inquirere, an curationis illius haberent fidem: Cui dum in virtute Domini ex auctoritate beati Petri Apostoli fixam salutis ipsius spem habere se dicerent, protinus venerandus vir orationi incubuit; demum solemnia missarum exorsus, sacrificium Dei omnipotentis immolauit. Quo peracto ab altari exiens, claudi manũ tenuit, & eum coram populo à terra in proprijs gressibus erexit, & cum ei corpus Domini in os mitteret, illa diu muta ad loquendum lingua, soluta est. Hic etiã Agapitus Constantinopoli celebrauit sanctam quintam Synodum vniuersalem, contra Seuerum, & Iulianum hæreticos. In qua Synodo Anthimum Constantinopolitanum Episcopum fauentẽ hæreticis degradauit, promouitq; pro eo Menam presbyterum in Constantinopolitana sede. Demũ verò dum apud Bizantium positus sanctus in Domino quieuisset Agapitus, promotus est Romæ Papa Siluetius. Post hæc autẽ Iustinianus Augustus XXX. imperij sui anno ab Anthimo seductus Episcopo, cœpit declinare à catholica fide: vnde misit epistolã Siluerio Papæ, ita inquiẽs: aut ad nos ne pigriteris venire, aut reuoca Anthimum Episcopũ in locũ suum. Quod cum sanctus facere recusaret Siluerius, indignata Augusta misit Vigilium Constantinopoleos Apocryphariũ, & fecit Siluerium indui tunica monachali, & apud Pontianã insulam exilio deportari. Vigilius verò Pontificalẽ adeptus est sedẽ: cui postmodum Theodora mandauit Augusta: aut veni ad nos, aut reuoca Anthimum in locum suum, secundum sponsionẽ quam pollicitus es mihi. Cui rescripsit Vigilius: quomodo Domina Augusta hominẽ hæreticũ in sedẽ suã reuocare possum, qui merito in sua damnatus est nequitia? Quod cum audisset Regina, vi ad se eum ab Ecclesia sanctæ Cæciliæ raptum perduci præcepit: & dum eum apud se positum magnis afficeret iniurijs, fertur ei dixisse Papa Vigilius: vt video non me fecerunt ad se venire Iustinianus & Theodora, sed Diocletianus & Eleutherica. Porrò Romæ pro Vigilio ordinatus est Pelagius Papa. Interea verò Iustinianus Augustus dum à diuinis mandatis aurem cordis auertit, iusto Dei iudicio amentiam incurrit. Vnde accersito Iustino viro Christianissimo, Curopalaten eum constituit, & ei totius curam imperij delegauit. Quod cum fecisset, decessit imperij sui anno XXXVIII. & mense VII. Floruit his temporibus in vrbe regia Priscianus grammaticus; & Romæ quidam subdiaconus Arator nomine, qui Apostolorum actus versibus hexametris perorauit. Floruit quoq; Lupus Senonensium Archiepiscopus: & Cæsarius Arelatensis Episcopus, ambo inclyti Confessores: & egregius vir Fortunatus, ingenio

Synodus V. Constantinopolitana vniuersalis.

Agapito Constantinopoli defuncto, surrogatur Siluerius Romæ in sede papali.

Siluerio succedit Vigilius, & Vigilio Pelagius Papa.

Moritur Iustinianus phrenesi.

Viri sanctitate & eruditione illustres.

clarus, sensu celeriore suauis; qui ab Italia Turones aduenie ns, actus beati Martini quatuor libris heroico contexuit metro: verùm inde assumptus, Pictauorum est ordinatus Episcopus.

20 IVSTINVS itaque minor, genere Thrax, ex Curopalate factus est Imperator, anno Incarnationis diuinæ D. & LXIV. imperauit annis XII, mensibus X, & diebus XX. Hic habuit vxorem nomine Sophiam, quam & coronauit Augustam. *Cyclus Magnus Paschalis.* Tempore imperij huius completus est Cyclus vnus Paschæ annorum D. XXXII. ex quo Dominus noster Iesus Christus crucifixus est, anno à conditione mundi quinquies millesimo, septingentesimo, sexagesimo quinto. Huius etiam temporibus Narses Romanorum patricius, cuius supra meminimus, *Narses à populo Romano in inuidiam adducitur.* cùm ab incursu diuersorum hostium totam quietam reddid sset Italiam, pro magnis beneficijs magnam inuidiam pertulit à Romanis; ita vt in vrbem regiã ad Iustinum mitterent Oratores dicentes: quia melius erat Romanis, vt Gothis seruirent quam Græcis, vbi Narses Eunuchus imperat, & profusa libidine dominatur. Quibus sermonibus commotus Imperator Longinum præfectum suum Narsetis loco substituit. Sed & Augusta Sophia hanc Narseti mandauit contumeliam, vt Constantinopolim remearet, & cum puellis suis in Gynæceo fœminarum, lanarum pensa diuideret. Ad quæ verba Narses d citur respondisse; talem se ei telam orditurum, quam dum viueret, nunquam deponeret. *Longobardi inuitantur à Narsete vt in Italiã transeant.* Et Neapolim secedens Longobardis significauit, vt paupertina Panno niæ rura, quæ incolebant, desererent, & ad Italiæ fertile solum possidendum confluerent. Quod audiens Alboinus Rex Longobardorum, Hunnis Pannonia tradita, in Italiam commeauit, cum multitudine magna Longobardorum, anno ab incarnatione Domini quingentesimo, sexagesimo octauo. Demum Mediolanum ingressus est, & intra breue spatium temporis penè sibi totam, præter Romam & Rauennam, subiecit Italiam. *Prodigium.* Antè tamen, quàm Alboinus Italiam inuaderet, igneæ acies in cælo apparuerunt humano sanguine, qui postea effusus est, coruscantes. Veruntamen Alboinus partem Italiæ, quà largius patens in ea habetur ingressus, nepoti suo Gisulfo summæ potentiæ viro, donauit. *Regum Lõgobardorũ in Italia successio.* Porrò post Alboinum regnauit in Italia Clephis Longobardorum potentissimus: & huic successit Antharis, & post Antharin regnauit Agilulfus, & Agilulfo successit Adalualdus: qui, cùm peruersa mente insaniret, regno deiectus Arioaldum habuit successorem: Arioaldo verò successit Rotharis, & post Rotharin regnauit Rodoaldus, & post

Ro-

Rodoaldum Aripertus filius Gundoaldi. Aripertus verò moriens duobus filijs suis regnum suum, Gundeperto & Partharito dereliquit. Circa hoc prætereà tempus Rex Francorum Clotarius Clodouei filius, quatuor filijs suis regnum suum moriens dereliquit. Quorum Cherebertus resedit Parisijs, & Guntrannus Aurelianis, & Chilpericus Suessionis, & quartus, cui nomen erat Sigebertus, apud vrbem Metensem.

Regnum Francorum secundo diuisum.

Apud Hispaniam verò Amalarico Regi, cuius supra meminimus, Theuda successit, post quem Athanagildus regnauit, & post eum Leuua cum Leuigildo. Leuua verò cum Leuigildo integrum tenuit Hispaniæ regnum, habens Gadsunidam vxorem. Quorum filiam nomine Brunichildem Rex Francorum Sigebertus sibi legitimo matrimonio copulauit. Chilpericus verò frater eius, cùm esset lasciuus & vanus, multas habuit vxores: Inter quas habuit Fredegundem, satis quidem speciosam, sed pessimis artibus opulentam, quæ memoratum Chilpericum suis voluptatibus tenebat addictum. Hæc cum Landerico Comite palatij solebat misceri, quod Chilpericus tandem persensit: At illa vbi sibi imminere periculum cognouit, vsa calliditate fœminea crimen maiori crimine parat obstringere, & redeunti à venatu suo marito struit insidias: nam equo descendens Chilpericus, dum à proprijs satellitibus excipitur, duobus cultris transfossus occiditur. Successit tamen ei filius eius Clotarius. Proinde Iustinus Imperator octauo imperij sui anno pedibus cœpit infirmari. Quâ de re assumens Comitem excubitorum Tiberium, adoptauit eum in filium, & successorem suum ipsum declarauit. In Romana verò Cathedra Pelagio Papæ successit Ioannes tertius, & Iohanni Benedictus, & Benedicto alter Pelagius.

Regum Hispaniarum successio.

Chilpericus totus mulierosus.

Fredegundis eiusq; adulter Landericus, Chilpericum à venatione reducem, trucidandū curant.

Pelagius, Ioannes, Benedictus & Pelagius Pontifices.

21 TIBERIVS igitur Romanorum quinquagesimus Imperator imperium sumens anno Incarnationis diuinæ D.LXXV. imperauit annis tribus, & X mensibus, nouemque diebus. Iste fuit vir Catholicus, & religiosus; Vnde multas in Constantinopolitanâ vrbe renouauit Ecclesias. Hic & terram Persarum intrauit, & eos potentissimè debellauit, indeque egrediens tantam molem prædæ cum elephantis multis adduxit, vt humanæ cupiditati crederentur posse sufficere. Ad hunc prætereà principem beatus Gregorius, cùm esset Romanæ Ecclesiæ apocrypharius, veniens, Eutychium eiusdem vrbis Episcopum in fide nostræ resurrectionis errare in eius præsentia comprobauit. Docebat enim idem Episcopus corpus humanum post resurrectionem impalpabile,

Tiberius fuit Catholicus admodum.

Hæresis Eutychiana.

bile, & ventis & aëre subtilius esse futurum. Quo etiam tempore præfatus Rex Sigebertus Clotarij Regis Francorum filius est occisus: cuius regnum Childebertus filius cum matre Brunichilde regendum suscepit hæreditario iure. Et non multò pòst Guntrannus Chilperici germanus XXVI. regni sui anno defunctus est: qui regnum suum reliquit nepoti suo modo dicto Childeberto. Childebertus quoque cum septem annis regnasset in Austria, & quatuor in Burgundia, decessit, duos sibi relinquens hæredes filios sub tutela auiæ Brunichildis Reginæ. Quorum vnus, cui nomen Theodobertus, regnum Austrasiorum regebat, & Theodericus regnum Guntranni gubernabat. Quibus regnantibus beatus Columbanus ab Hybernia Oceani insula exiens, primum honorificè à Theodeberto Rege suscipitur; sed denuò ad regnum Theoderici transit, & monasterium cui Luxouium nomen est construxit: verum Theodeberto, & Theoderico varia sorte defunctis, Clotarius Chilperici filius, cuius supra meminimus regnum Francorum obtinuit solus. Porrò memorati Regis Childeberti soror Ingundis, Herminigildo Leuigildi Hispanorum Regis filio nupsit. Herminigildus verò prædicatione Leandri Hispalensis Episcopi, & adhortatione suæ coniugis ab Arianâ hæresi, qua pater suus languebat, ad Catholicam conuersus est fidem. Quod vt pater cognouit, illum vt ad eandem hæresim rediret, & præmijs suadet, & minis terrere conabatur. Cui cum ille constantissimè responderet: nunquam se veram fidem posse relinquere, quam semel agnouisset; iratus pater eum regno priuauit, rebusque omnibus expoliauit: sed cum nec sic virtutem mentis illius emollire valeret, arcta eum custodia concludens, collum manusque eius ferro ligauit. Superueniente autem Paschalis festiuitatis die, intempestæ noctis silentio, ad eum perfidus pater Arianum misit Episcopum, vt ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo dilectus Ariano Episcopo venienti exprobrauit, vt debuit, eiusque perfidiam à se dignis increpationibus repulit: quia etsi exterius iacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque reuerso Episcopo, Arianus pater infremuit, statimque apparitores suos misit, qui illum, vbi ille iacebat, occiderẽt. Qui mox vt ingressi sunt, securim cerebro illius infigentes, vitam corpori abstulerunt, sed pro ostendenda eius gloria superna non defuêre miracula. Nam cœpit in nocturno

Successio Regum Francorũ.

Luxouiense Cœnobiũ à S. Columbano extruitur.

Herminigildi pater Arianũ ad eum conuertendum misit.

Pater filiũ vita priuat.

ǳurno silentio psalmodiæ cantus ad corpus eiusdem Regis & martyris audiri, & lāpades ardentes videri. Quod & perfidus illius pater audiēs, commotus pœnitentia, hoc se fecisse doluit, non tamen vsq; ad obtinendam salutem pœnituit: nam quia vera esset catholica fides agnouit, sed gentis suæ timore perterritus, ad hanc peruenire non meruit. Oborta tamen ægritudine, ad extrema perductus, Leandro Episcopo, qué prius vehementer afflixerat, Recaredum filium suum, quem in sua hæresi relinquebat, commendare curauit, vt & in ipso talia faceret, qualia in fratrem illius suis exhortationibus peregisset. Quâ commendatione completa defunctus est. Post cuius mortem Recaredus Rex nō patrem perfidum, sed fratrem martyrem sequens, ab Arianæ hæreseos prauitate cōuersus est, totamq; Vesegothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, vt nullum in suo regno militare permitteret, qui regni Dei hostis existere per hæreticam perfidiam non timeret. Veruntamen Tiberius Augustus, vbi sibi finem vitæ imminere prouidit, elegit ad imperium quendā virum genere Cappadocem, strenuum, ac sapientissimum, qui Mauricius nuncupabatur. Cui filiam suam Constantiam ornatam tradidit regalibus ornamentis, dicens: sit tibi Imperium meum cum hac puella cōcessum: vtere ergò eo feliciter, & habe in mente incessanter, Æquitatem, & Iustitiam, præcipua optimi Imperatoris esse insignia. Quod postquā dixit, Spiritum exhalauit. Tyberio iam defuncto, Mauricius purpura indutus, & coronatus ad circum processit, & acclamatis sibi laudibus, & largitis secundum morem muneribus, primus è Græcorum gente Romano potitus est imperio.

Herminigildi regis in morte miracula.

Recaredus primus Rex Hispaniarū Catholicus.

Æquitas & Iustitia optimi Imperatoris insignia.

IX ¶ MAVRICIVS igitur genere Cappadox Romanum imperium assecutus est, anno Incarnationis diuinæ D.LXXXII. Imperauit annis XX. & mensibus quatuor. Hic fuit vir fide Catholicus, & Reipublicæ satis vtilis: siquidem Hunni, qui & Auares appellantur, eius sunt industria superati, atque edomiti. Hac præterea tempestate Romæ ita Tiberis alueus exundauit, vt super muros vrbis ascenderent aquæ, secuta est inundationem grauis pestilentia, quam inguinariam appellabant: quæ statim Pelagium Papam extinxit, ac demum magna strage populum deuastare cœpit. In eadem autem vrbe beatus Gregorius tunc Archidiaconi fungebatur officio: qui pro tanta ciuiū clade, iussit in vrbe septiformem fieri Litaniā, & ita celeriter liberatus est populus ab illa clade. Septiformis autē litania ideo dicta est, quia omnis vrbis populus à beato Gregorio Dominū deprecaturus, est in septē Choros diuisus. In primo nam-

Grauis pestilentia Romam affligit.

Institutio Litaniæ septiformis.

namque choro fuit clerus omnis. In secundo omnes Abbates cum monachis suis. In tertio omnes Abbatissæ cum congregationibus suis. In quarto omnes infantes. In quinto omnes laici. In sexto vniuersæ viduæ. In septimo omnes coniugatæ. His etiam diebus idem vir Dei omnipotentis Gregorius generaliter à cunctis Papa eligitur. Sed cum tantæ celsitudinis apicem conscendere formidaret, fugæ latibulum petijt, & triduo delituit. Vrbis verò præfectus populi consensum Imperatori indicauit; qui illico eum iussit intronizari, vtpote qui virum benè nouerat, & ipsius sanctitatis meritum non ignorabat. Itaque tandem Dei omnipotentis famulus, diuina reuelatione repertus capitur & intronizatur. Ordinatus autem, mox omnem secularem pompam ex palatio suo eliminauit, & clericorum quosque vel monachorum prudentissimos sibi sociauit, cum quibus ita persistebat, vt nihil monasticæ perfectionis, nihil amitteret pontificalis institutionis. Quorum etiam mores tãta excolebat censura, vt nullus eorũ barbarum quid, vel religioni contrarium sermone vel habitu proferre præsumeret; sed qui fortè sanctimonia ac sapientia caruisset, subsistendi coram eo fiduciam non haberet. Is etiam Augustinum, Mellitum, & Iohannem cum alijs pluribus monachis, religiosis, atq; sanctissimis misit, vt Anglorum gentẽ, quæ erat ab Aquilone Humbri fluminis sub Regibus Helle, & Edilferido posita, sua prædicatione ad fidẽ conuerterent Christi. Quã gentem præfatorũ labore virorum Deo lucrifaciens, Londoniȩ & Eboraci Metropolitanos cõsecrauit Episcopos. Idẽ præterea Doctor egregius multos edidit libros ad vtilitatẽ Ecclesiæ sanctȩ, inter quos composuit codicẽ dialogum, id est, duarum locutionum, cum suo colloquens Diacono Petro, de virtutibus sanctorũ, qui in Italia fulsisse comperiuntur. Quẽ codicem Theudelindæ Longobardorum direxit Reginæ, quȩ post Autharim nupserat Regi Agilulpho; Cuius Agilulphi fuit filius Adalualdus, qui baptizatus est à seruo Dei Secundo de Tridento, sabbatho sancti Paschæ, septimo idus Aprilis. His præterea diebus cœnobium beati Benedicti, quod in castro Cassino idem Pater Benedictus fundauerat, à perfidis Longobardis nocturno tẽpore quiescentibus fratribus inuaditur: qui diripientes omnia, quæ ibi reperta sunt, ne vnũ quidẽ hominẽ illic tenere potuerunt; vt impleret omnipotens Deus, quod fideli suo famulo promiserat Benedicto, vt si res gẽtibus traderet, animas custodiret. Fugiẽtes itaq; ex eodẽ loco Monachi Romã petierũt, codicem sanctȩ regulȩ quã pater prȩfatus ediderat Benedictus, nec nõ & põdus panis, & mensurã vini, & quicquid ex supel-

Pelagio Gregorius succedit.

Mores & conuersatio B. Gregorij.

Anglia ad Christianã fidem conuertitur opera monachorum S. Benedicti.

Cœnobium Cassinense à Longobardis deuastatur.

supellectili subripere valuerunt secum deferentes. Proinde hoc beati Cœnobium Benedicti post ipsum rexit Constantinus, & post Constantinum Simplicius, & post hunc Vitalis. Hoc autē deuastationis tempore Bonitus sanctam illam videbatur regere congregationem. Floruit his temporibus in Gallijs Gregorius Turonicæ vrbis Episcopus, qui Ecclesiam Sancti Martini conflagratam reædificauit, & corpus eiusdem preciosissimi Confessoris in ea reposuit, & eam anno X. ordinationis suæ dedicauit; attulit etiam ad eandem vrbem ex Aruernico territorio sancti reliquias Iuliani. Sed & Desiderius Viennensis Episcopus, & Syagrius Augustodunensis, ambo insignes Episcopi floruerunt. Porrò Mauritius Augustus dū esset vir Deum timens, malebat in hoc seculo facinorum suorum, corporali supplicio vindictam persoluere, quàm tormentis gehennalibus cruciari; quod cùm iugiter in suis orationib' Dominū deprecaretur, meruit exaudiri. Quadam itaque nocte dum in strato suo quiesceret, vidit per somnium antè æneam se adstare Saluatoris effigiem, quæ erat ante Palatij portam; ex qua emissa est vox ad eum dicens: Date Mauritium. Et tenentes eum quidam iudiciarij ministri, exhibuerunt ei. Tunc ait ad eum Saluatoris imago: vbi vis reddam tibi mala, quæ meruisti, hîc, aut in futuro seculo? Et ille: ô amator hominum Domine, hîc potius, quàm in illo. Tunc iussit diuina vox tradi eum, & Constantiam eius vxorem, & omnem eius cognationem Phocę militi. Expergefactus verò misit ad accersendū Philippicum generū suum: cui sibi assistenti dixit Mauritius: scis inter agmina nostra aliquē militem nomine Phocam? Cui ille: scio vnum. Et Imperator: cuius est qualitatis? Qui ait: Iuuenis tumidus & temerarius. Tunc referens Augustus Philippico somniū, glorificabat magnificè Deum pro huiusmodi reuelatione. Ipsa etiam nocte apparuit in cęlo stella, quę dicitur Cometes. Nata sunt præterea eadem tempestate prodigia in suburbanis Bizantij, puer videlicet quadrupes, & alter duos vertices habens. Sed & apud Ægyptum in Nilo flumine apparuerunt duo animalia humanæ formæ, vir videlicet & mulier: & vir quidem erat pectorosus, & vultu terribilis, rufa comâ, canisque permixtis: qui etiam vsque ad lumbos cunctis demonstrabatur nudus, & reliqua corporis membra cooperiebat aqua. Mulier quoque mamillas habebat, & fœmineum vultum, cæsariemque prolixam, & vsque ad horam nonam omnis populus mirabatur hæc animâtia videns. Post hæc autem Mauritius Augustus in hostili terra positus, cùm milites suos ferro & rapinis abstinere compelleret, nec tamen eis

Abbates cœnobij Cassinensis.

Gregorius Turonensis floret.

Christi Saluatoris statua, seu imago ænea Mauritio in somno apparet.

Mauritius cum uxore & liberis, conspiratione Phocæ obtruncatur.

consueta stipendia largiretur. Phocam rogare cœperunt, vt Imperij regimen super eos acciperet: quibus sæpè nominatus Phocas obaudiens, regalem purpuram sumpsit; quod audiens Mauritius animo dissolutus, rebus aduersum se fluentibus cessit, & in quandam syluam mari contiguam fugit. In qua cum vxore, & quinque filijs iussu Phocæ Cæsaris interemptus est.

D. Gregorius moritur, cui succedit Sabinianus & huic Bonifacius III. quem Bonifacius IV. sequitur.

Phocas ad instantiam Bonifacij Romanam Eccl: omnium Ecclesiarum caput decernit.

2 PHOCAS ergò propria temeritate Romanum inuadens Imperium, anno Incarnationis Dominicæ DCII. imperauit annis octo. Hic vt factus est Imperator, Leontiam vxorem suam coronauit Augustam. Imperij denique huius anno secundo venerabilis Papa Gregorius ex hac luce migrauit: Cuius in locum ad Apostolatus officium Sabinianus est ordinatus, & Sabiniano subrogatus est Bonifacius tertius, & Bonifacio tertio, Bonifacius quartus: quo rogante statuit memoratus Augustus Sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ caput esse omnium Ecclesiarum: nam ante Ecclesia Constantinopolitana primam se scribebat omnium Ecclesiarum. Impetrauit quoque ipse Papa Bonifacius à præfato Principe, dari Ecclesiæ Christi templum Romæ quod ab antiquis Pantheon ante vocabatur; eò quod ibi quondam omnium non Deorum, sed dæmonum cultus agebatur. Quo impetrato, exclusâ inde diuersa simulachrorum multitudine, Dei Omnipotentis, & Sanctæ Virginis Mariæ, omniumq; Martyrum construxit altare; vt sicut vbi quondam omnium Deorum cultus habebatur, ita deinceps ibidem omnium Martyrum memoria celebraretur. Circa hæc tempora Rex Auarum, quem sua lingua Chaganum appellant, cum innumerabili multitudine veniens, Venetiarum fines ingressus est: cui Gisulphus Foroiulianus Dux cum Longobardis, quos habere potuit, occurrit audacter, sed quamuis forti animositate contra immensam multitudinem, bellum cum paucis gereret, vndique tamen circumseptus, cum omnibus penè suis extinctus est: cui duo successêre filij, Taso, & Caco, & his decedentibus Grasulphus Gisulphi germanus constituitur, Foroiuliani Dux. Apud Gallias verò Clotarius Rex Brunichildem Reginam, vno pede & brachio mutilatam, cum coma capitis equo indomito alligatam, (iudicantibus Francis pro diuersis prauitatibus suis) disrumpi præcepit: cuius corpus in Ecclesia sancti Martini, quam apud Augustodunum Heduorum construxerat, est tumulatum. Porrò Phocas cùm crudeliter in suos sæuiret domesticos, Heraclij Africæ Patricij iussu peremptus est, qui post eius necem sibi Rempublicam vendicauit.

Brunichildis supplicium tragicũ planè.

Phocas Heraclij iussu enecatur.

HERA-

3 HERACLIVS ergò Romano potitus Imperio, anno Incarnationis Dominicæ DCXI. imperauit annis XXX & vno. Hic inuenit valde desolatam Rempublicam, & attritam. Siquidem Europam Auares vehementer vastauerant, & Asiam Persæ. Huius etiam in diebus Rex Persarum Cosdroës cœpit Damascum, & deuastauit Ierosolymam, & venerabilia loca, quæ erant in ea, conflagrauit, & populorum copias captiuauit, vna cum Patriarcha eiusdem vrbis Zacharia, & pretiosum Crucis Christi lignum, quod Helena sancta Constantini Mater ibi dimiserat, secum in Persidem asportauit. Sepulchri verò Dominici locum nunquam intrare, aut violare permissus est diuina virtute: ad quem misit Heraclius legatos, rogans magnis precibus, vt ab illo loco recederet, vsque quo definiret tributa, & acciperet pacta: quod ille facere noluit; sed inefficaces ad Heraclium legatos misit. Anno denique Imperij Heraclij sexto occupauit Cosdroës totam Ægyptum, & Alexandriam, & Lybiam, atque Carthaginem. Quod vt audiuit Heraclius, assumpsit Heraclium Constantinum filium suum, & regio diademate redimitum appellauit Augustum. Collecta proinde armatorum multitudine, anno Imperij sui decimo, mense Aprili die quarta, indictione decima, celebrata sancta solemnitate Paschali, ipsa secunda feria Paschæ aduersus Cosdroën mouit bellum, ferens secum sanctę Dei Genitricis Iconem, quæ apud Byzantium est, non hominis manu, sicut fertur, sed diuino miraculo factam. Et proficiscens dimisit in vrbem præfatum suũ filium Heraclium Constantinum, cum Sergio venerabili Patriarcha, & Bonoso Patricio, sagaci & strenuo viro. Et arripiens iter per Syriam venit vsque ad Gazacoten ciuitatem. Quod vt Cosdroës comperit, fuga vsus est ante eum, igne comburens omnia sata, per quæ fugiebat. Heraclius quoq; deuastabat ciuitates & regiones, per quas ambulabat. Tunc ordinauit Cosdroës duos Prętores * Sarabagã, & Sarbaram, qui cum Heraclio decertarent. Quod audiens Heraclius, ilicò militum alis aduersus eos destinatis, ipse cũ reliquo exercitu transmeauit Euphraten, & pertransiuit Taurũ montẽ, perueniťq; ad amnẽ Saron, & obtinuit pontem cum propugnaculis, quæ in ipso erant. Peruenit etiam Sarbaras ad eundẽ pontem, & ante eum castra metatus est. Tunc excurrẽtes multi Romanorum per pontem, inordinatè Persis intulêre conflictũ. Quod videns Sarbaras, procul à se insidijs collocatis, ostẽdit se Romanis quasi fugientẽ, ac sic multos eorũ abstraxit ad insecutionẽ sui præter votũ Imperatoris: & subitò à fuga reuersus, aduersũ se insequẽtes impetũ cõcitauit,

Cosdroës Rex Persarum Ierosolymam deuastans, lignum S. Crucis in Persidem transfert.

Heraclius filium proclamat Augustum.

Heraclius in Persas mouet.

** Aliàs Saraballen & Saracen.*

uir, & multos protinus prostrauit, vindictam inobedientię suæ perpessos. Multitudo denique Barbarorum per fluminis ripam diffusa, Romanos super pontē cum Imperatore stantes acriter sagittabant. Imperator autem cum paucis, eis viriliter resistebat: vnde multas in hoc prælio plagas, licet nullam periculosam, accepit. Tunc quidam vir Persa giganteus, Imperatorem in medio pontis aggreditur: Imperator autem hunc lancea transfossum in amnis fluenta proiecit; quo ruente territi barbari, in fugam sunt versi. Porrò post hæc Cosdroës misit aduersus eum alium Prætorem, nomine Sayn, cum quo Heraclius dimicans, illum per intercessionem sanctæ Dei Genitricis Marię superauit; grando quippe vehemens super eius exercitum cecidit, & multos ex eis extinxit; acies autem Christianorum tranquilla ab ipsa tempestate manebat. Post hæc verò Cosdroës coaceruatis militijs suis, Prætorem super illas Razatem prouexit, & eum aduersus Heraclium destinauit: qui veniens cum exercitu magno, duriter cum Heraclio dimicauit, sed & hunc Heraclius Dei Genitrice Maria opitulante superauit, & occidit, persistens viriliter in bello à manè vsque ad horam nonam. In quo bello cecidit Razates & tres turmæ Persarum, & Principes multi, & maxima pars exercitus ipsorum; tuleruntque Romani inde banda Persarum XX. & VII. & spolia magna nimis. Inter quæ erant zonæ comptæ gemmis preciosis, & scutum Razatis totum auro respersum, & lorica eius auro contexta, & dextralia ipsius aurea, & sella tota ax auro fabrefacta. Inde verò Heraclius arripiens iter, Palatium Dezeridan cōprehendit, atque combussit: & ad aliud itē post hæc tendens palatium, cognomento Beibal, illud euertit. Demum autē peruenit ad palatium Beddarach, & inde iterum in palatium Damastager, vbi inuenit sericum copiosum, & piper, & aloën, & alias species multas: argentum quoque, & holoserica vestimenta, lect. sternia, & tapetia, quorum erat copia multa; sed & tentoria, atque cortinas, & statuas multas, quæ quia grauia erant, incendit. Inuenit etiam asinos agrestes, & pauones, & phasianos infinitæ multitudinis, & leones, & tigrides miræ magnitudinis; fecitque ibi solemnitatem luminum, recreans exercitum suum. Quod audiens Cosdroës pontem Tigridis pertransiuit, petens Seleuciam, quæ apud Persas Guheser vocitatur, habens secum Syram vxorem suam, & Medarsam, & Auar filios suos. Tunc assumens Medarsam filium suum, coronauit eum: quod audiēs Syroës, qui erat primogenitus eius, ad Heraclium misit, mandans ei, vt ad inuicem fœderati, contra Cosdroën pariter insurgerent: at ille remandauit ei, vt

Intercessione Beatæ Mariæ Heraclius Sayn superat.

Razates victus & casus.

Solemnitas luminum.

carceres

carceres aperiret, & Romanos, qui ibi tenebantur, educeret, & eis arma tribueret, sicque contra Cosdroën se moueret. Ille verò obediens Imperatori, retrusis eductis, contra Cosdroën properauit: quod vt Cosdroës comperit; fugere tentauit: sed comprehensus est cum Medarsa, quem coronauerat; & in ergastulum missus, vbi & mortuus est. Tunc Syroës pepigit cum Heraclio pacem iugem, reddens illi omnes Christianos, qui in omni Perside tenebantur captiui, cum pretiosissimis & viuificis lignis, quæ fuerant ex Ierosolymis asportata. Anno igitur Imperij Heraclij XVIII. creatus est Syroës Rex Persarum; & eodē anno in Byzantium Heraclius est reuersus; cuius aduentum audiens totius populi multitudo, vrbe egressa, congratulatione & lachrymis ei obuiam processit, vnà cum eius filio Heraclio Constantino, & Sergio Patriarcha. Quos videns Imperator, fudit præ gaudio lachrymas multas: deinde larga suis militibus præmia douauit, & recreatus modicum, reuexit Ierosolymam Crucis Dominicæ lignum, plurimas Deo pro tanto triumpho ad sanctum sepulchrum referens grates. Et cum inde ad regalia remeasset, audiuit quod Syroës Rex Persarum diem clausisset extremum, & Adesir ei in regimine regni successisset. Verùm per idem tempus Cyrus Alexandrinus Episcopus, & Sergius Constantinopoleus Patriarcha, Monothelitarum hæresim prædicabant, qui scilicet vnam tantum in Christo naturam esse putabant. Quibus deprauatus Heraclius Augustus, post tantas victorias aberrauit à Catholica fide; vnde diuino iudicio Agareni, qui & Saraceni dicuntur, Haumaro Duce, eius Imperium grauiter cœperunt lacerare, nam Haumarus Damascum & regionem Phœnicis, & Ierusalem, totamque Syriam occupauit, atque Antiochiam comprehendit: promotus est etiam Mahuuias à præfato tyranno, Prætor & Amiras totius regionis, quę sub Saracenis est ab Ægypto vsque ad Euphraten.

Syroes filius Cosdrois, patrem in vincula cōijcit, & crudelissimè tractat.

Lignum S. Crucis victo Cosdroë per Heracliū à Persis receptum, & Ierosolymā reportatū.

Heraclius labitur in hæresim Monothelitarum.

Hac præterea tempestate Saraceni, qui & Turci dicuntur, Machomet Pseudopropheta, eis ducatum prębente, à suis sedibus exierunt, & Imperium Heraclij grauiter deuastare cœperunt. Porrò iste Machomet, Saracenorum & Arabum Princeps & Pseudopropheta, fuit de genere Ismaël filij Abrahæ. Qui cùm in primęua ætate sua esset mercator, pergebat frequenter cum camelis suis ad Ægyptum & Palæstinam, & conuersabatur cum Iudęis & Christianis, à quibus tam nouum, quàm vetus testamentum didicit; sed & magus perfectissimus effectus est: & cum hac illacque discurreret, contigit vt Chorazaniam ingrederetur

Machumetis origo atq; progressus.

*al. Eadiga, seu Gardigena.

prouinciam. Cuius prouinciæ Domina * Cadiga nominabatur; quæ cum diuersas species, quas secum Machomet attulerat, miraretur, cœpit ei præfata mulier familiarius adhærere. Quam Machomet incantationum suarum præstrictam phantasmate, cœpit astu paulatim in errorem inducere, dicens ei: quòd ipse esset Messias, quem esse venturum adhuc Iudæi expectant. Suffragabantur verbis eius tam incantationum præstigiæ quam calliditatis eius ingenium copiosum; qua opinione non solum potens mulier decepta est; sed & omnes Iudæi, ad quos fama eius pertingere poterat, ad eum cum Saracenis cateruatim confluebant, attoniti tanta nouitate rei; quibus cœpit nouas leges fingere, & eis tradere, adhibens ipsis legibus testimonia de vtroque testamento. Quas leges Ismaelitæ appellant suas, eumq; suum legislatorem esse fatentur. Præfata quoq; mulier, videns hominem Iudæorum & Saracenorum pariter contubernio vallatum, existimabat in illo diuinam latere maiestatem: & cùm esset vidua, assumpsit eum sibi maritum; sicque Machomet totius prouinciæ illius obtinuit principatum. Demum verò Arabes ei adhærentes, regnum Persidis infestare cœperunt, ac demum Orientalis Imperij fines vsque ad Alexandriam, contra Heraclium inuadere. Post hæc verò Machomet cœpit cadere frequenter epileptica passione; quod Cadiga cernens oppidò tristabatur, eò quòd nupsisset impurissimo homini, & epileptico: quam ille placare desiderans, demulcebat eam, dicens: quia Gabriëlem Archangelum loquentem mecum contemplor, & non ferens splendorem vultûs eius, vtpote carnalis homo, deficio, & cado. Credidit ergò mulier, & omnes Arabes, & Ismaelitæ, quòd ex ore Archangeli Gabrielis, illas susciperet leges, quas suis discipulis dabat, eò quòd Gabriël Archangelus sæpè à Deo mittatur hominibus sanctis. Huius deniq; tempore regnũ Persarũ post Syrois Regis decessum cœpit grauiter vacillare. Nam cum Adesir filius eius, sicut superius dictum est, in regimine ei successisset; Barrazas quidam eius præfectus eum interfecit, & duobus tantum mensibus post eum imperauit: Barrazam quoque Bornarim interemit: Quem, cum regnum Persarum septem mensibus tenuisset, Hormisda quidam Persarum potentissimus, interfecit: contra quem Haumarus, cuius supra meminimus, dimicauit, & potenter vincens, eum à Regni finibus exturbauit. Ex tunc redactum est Regnum Persarum sub Arabibus multis diebus. Apud Galliam verò Regi Clotario iam successerat Dagobertus, qui regni anno

Hæresis Machometica.

Machomet insultibus epilepticis obnoxius.

Successio Regum Persarum.

ferè

ferè decimo sexto, cùm ad mortem se vrgeri conspiceret, concessit Regnum Austrasiorum filio suo Segeberto, dans ei duos tutores, Cunibertum Coloniensis vrbis Episcopum, & Anchisum Comitem Palatij: Clodoueo verò, quem ei Nantildis Regina pepererat, dedit Regnum Neustriæ atque Burgundiæ, ponens ei tutorem* Egam Consiliarium suum. In Romana verò Cathedra Bonifacio quarto Deusdedit successit. Et post Deusdedit sedit Bonifacius Quintus, cui subrogatus est Honorius. In Constantinopolitana verò vrbe memorato Sergio successit Pyrrhus, falsi nominis Patriarcha. Floruit etiam hac eadem tempestate beatus Sulpitius Bituricensium Archiepiscopus. Audoenus quoque Rothmagensium, & Eligius aurifex mirificus Nouiomensium, insignes Episcopi eodem tempore floruerunt. Porrò Heraclius Augustus Imperij sui anno XXX. primo defunctus est, imperauitque post eius decessum HERACLIVS CONSTANTINVS filius eius mensibus quatuor; quibus vix expletis, veneno à nouerca sua Martina propinato, sublatus est: sicque eo defuncto imperauit Heracleonas frater eius pro eo cum matre Martina.

*al. Æganem.

Bonifacio IV. succedit Deusdedit, & huic Bonifacius V. cui surrogatur Honorius.

5 HERACLEONAS igitur Heraclij filius, imperauit cum matre sua Martina mensibus sex. Imperij huius anno primo Mahuuias Amiras Arabum missus ab Haumaro, cœpit Cæsaream Palæstinæ, & occidit in ea septem millia hominum. Et eodem anno repulit Senatus Heracleonam cum matre sua Martina, & lingua Martinæ recisa, & Heracleoni naso reciso, prouexit ad Imperium Constantem filium Heraclij Constantini, nepotem Heraclij. His præterea diebus Rex Longobardorum Rotharis vita decedens, regnum suum Rodoaldo filio suo dereliquit. Cui successit Aripertus germanus Teudelindæ Reginæ; sed & Aripertus obiens, Regnum suum duobus filijs dereliquit, Gundeberto & Perthariro. In Gothorum verò regno, quod est apud Hispaniam, Regi Sisenando *Santilla successit, & post Santillam Tolga filius eius regnauit.

Heracleonas & eius mater naso & lingua truncantur.

Successio Regum Longobardorum.

*al Suintilla.

6 CONSTANS igitur Heraclij Constantini filius, nepos Heraclij Augusti apud Byzantium Romano potitus Imperio, anno Incarnationis diuinæ DCXLII. imperauit annis XX. & VI. Hic etiam in Monothelitarum hæresim incidit, sicut & auus eius Heraclius Augustus, suggerente ei venenum perfidiæ Paulo Constantinopolitanæ vrbis Episcopo, qui Pyrrho successerat in Episcopatu. Porrò Monothelitæ opinan-

Constans Imperator Monothelitis adhæret.

Error Monothelitarũ ac eiusdem refutatio.

opinantur vnam Christo inesse naturam, contra fidem Catholicam: Catholici verò duas Christo prædicant inesse naturas, Deitatis videlicet & Humanitatis: nam idem Christus ipse de suę diuinitatis essentia testatur, vbi ait: Ego & Pater vnum sumus. Et de Humanitatis iterum substantia idem aliàs dicit: Pater maior me est. Proinde Martinus vrbis Romæ Papa sanctissimus quærebat sollicitè, quomodo prędictam hæresin destrueret, & quomodo errantem Augustum ad rectam fidei lineam reuocaret: vnde celebrauit Romæ Concilium, vbi damnauit omnes praui dogmatis assertores, sed maximè Paulum Constantinopolitanæ Ecclesiæ, falsi nominis Patriarcham. Celebrata est autem Romæ hæc sancta Synodus CX. Episcoporum, octauo anno imperij memorati Augusti. Qua re cognita idem Constans Augustus Martinum Papam Constãtinopolim euocauit, & inde eum exilio relegauit apud Chersonam, vbi & vitam finiuit: multos etiam orthodoxorum carceribus, verberibus & exilijs cõdemnauit, eò quòd hæresi suæ nullatenus acquiescere vellent. Propter quod cum apud Byzantium penè omnibus esset exosus, ad Italiam nauigauit; volens illam à potestate Longobardorum eruere, & ibi manere. Egressus ergò de regia vrbe venit Athenas, ibique mare transiens, Beneuentanorum fines inuasit: sed eius exercitum Grimoaldus eiusdem prouinciæ Dux fortiter attriuit. Igitur cernens Augustus, quòd nihil contra Longobardos proficeret, Romam perrexit. Cui sexto ab vrbe milliario Vitalianus Papa, qui Eugenio successerat, reuerenter occurrit, & eum ad beati Petri limina cum magna populi produxit frequentia. Quò cum peruenisset: obtulit sancto Petro pallium optimum auro textum: & cùm in vrbe iam per XVII. dies resedisset, magnâ auaritiæ tractus cupiditate, varia ornamentorum genera ex ære, & marmore, quibus vrbs decorabatur, in Tiberim vexit, vt ea Constantinopolim transferrentur. Inter quæ, Basilicam sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & omnium Martyrum, quæ Pantheon antiquitus vocabatur, æreis tegulis coopertam discooperuit. Quibus patratis statuit remeare retrorsum. Igitur à Roma digressus ad Siciliam nauigauit; vbi cum quodam die secretius in balneo lauaretur, à suis interficitur.

Synodus Lateranensis.

Martinus Papa Chersonam relegatur.

Eugenio succedit Vitalianus.

Ecce fructus expoliationis & deprædationis templorum.

Post cuius decessum milites assumentes * Mezentium quendam Armenium sibi creauerunt Imperatorem. Sed non post multos dies Constantinus, Constantis Augusti defuncti filius, cum multò ibidem veniẽs nauigio, & Imperialem purpuram sumpsit, & Mezentium cum interfectoribus patris sui, morte pessimâ condemnauit. Porrò imperante

** Aliàs Mizizium.*

Con-

Constante sæpè nominato Augusto, anno videlicet imperij eius quarto, Haumarus dux Arabum fraude occisus est à quodam Persa Margarita, cum Amiras fuisset annis XII. cui successit Hoamen cognatus eius. Circa hos quoque dies Machomet pseudopropheta mortuus est, promoto Abubacharo cognato suo ad principatum suum. Post funus denique Constantis Augusti, gens Saracenorum cum multis nauibus ad Siciliam venit: qua depopulata, illa etiam quæ Constans illic à Roma detulerat ornamenta rapuit, & ad Alexandriam remeauit. Memoratus denique Papa Vitalianus destinauit Roma Dorobernensi Ecclesiæ, quæ Cantuariorum dicitur, Theodorum Episcopum, & cum eo Adrianum Abbatem Campaniæ, virum laude dignum, vt Theodoro viro modesto salutaris doctrinæ cooperator existeret: qui cum eo peruenissent plurimas ipsius Insulæ Ecclesias, sanctæ religionis fruge fœcundauerunt. Ordinatus est autem iste Theodorus à Vitaliano Antistite Romano, Anglorum genti Pontifex anno ab Incarnatione Domini DC. LXIV. Iste est Theodorus, qui pœnitentialem librum mirabili & discreta consideratione composuit. Hoc etiam ferè tempore, Clodoueo Dagoberti filio regni Francorum moderamina gubernante, Abbas quidam Ecclesiæ sancti Aniani, quæ est apud vrbem Aurelianam, Leodebodus nomine, construxit monasterium in agro Floriacensi, qui tunc erat regius fiscus: & colligens ibi plures ad seruiendum Deo monachos instituit illis Abbatem, nomine Mummolum. In Romana verò sede Vitaliano Papæ Adeodatus successit, & Adeodato Donus. Iste est Donus, qui locum ante sancti Apostoli templum, qui paradysus dicitur, magnis marmoribus strauit. Dono verò successit Agatho. Interfecto denique, sicut dictum est, apud Siciliam Constante Augusto: & punito, qui ei successerat, Mezentio tyranno, Constantinus Romanum regendum suscepit imperium.

Machomet moritur.

Leodebodus Abbas S. Aniani extra muros Aurelianũ, Fundator Cœnobij Floriacẽsis.

Vitaliano Adeodatus & huic Donus surrogatur, quẽ sequitur Agathus.

CONSTANTINVS igitur Constantis filius, post patris interitum, eius obtinens imperium, anno Incarnationis Dominicæ DC. LXIX. Imperauit annis XVI. Hic fuit vir fide Catholicus, & modestus. Sapienti quoque vsus consilio, cum Arabibus qui Damascum inhabitant, & cum Bulgaris pacem firmissimam fecit. Restaurauit etiam Ecclesias, quæ fuerant dirutæ à temporibus Heraclij proaui sui. Insurrexit præterea contra Monothelitas, satagens eorum opiniones subuertere, qui vnam tantum in Domino nostro Iesu Christo naturam inesse opinabantur, ac prædicabant. Vnde sanctam sextam Synodum vniuersalem

Constantinopolim congregauit, CC. LXXX. & IX. Episcoporum, quæ in vno Domino nostro Iesu Christo duas naturas inesse comprobat, & ostendit. Hæc est sexta sancta Synodus Constantinopoli celebrata, anno imperij Constantini Christianissimi Augusti XII. Ibi adfuerūt Agathonis Papæ legati, Ioannes Diaconus Romanæ Ecclesiæ, & alter Ioannes Portuensis Episcopus. Præfuerunt etiam huic Concilio vna cū præfatis Romanæ Ecclesiæ legatis Gregorius Constantinopolitanus Episcopus, & Macarius Antiochenus. Quorum Gregorius ab errore, quo languebat, correptus est, & emendatus. Macarius verò in sui erroris defensione perseuerans, cum suis sequacibus simul & prædecessoribus Sergio, Pyrrho, Paulo, & Petro damnatus est, & anathematizatus. Degradatus est etiam idem Macarius, atque depositus, & Theophanius Abbas de Sicilia pro eo est ordinatus Episcopus. Ipse etiam Papa Romæ contra præfatam hæresim congregauit Concilium, cui interfuit Wilfridus, transmarinus Episcopus. In cuius Synodi gestis interscriptum continetur hoc modo: Wilfridus amabilis Episcopus Eboracæ Ciuitatis Apostolicam sedem sua caussa appellans, absolutus est de certis, & incertis rebus, & in Synodo cum alijs CC. & XXV. residens Episcopis, veram & Catholicam confessus est fidem, quam Aquilonares populi, gens videlicet Hyberniæ, Anglorū, Britonum, Scotorum, & Pictorum inuiolabilem conseruabant, & hanc subscriptione sua corroborauit.

Sexta Synodus vniuersalis Constantinopolitana.

Synodus alia Romana

¶ Per idem tempus deniq; præfatus vir Mummolus Abbas Floriacensis diuina reuelatione præmonitus, misit vnum de suis Monachis, Aigulphū nomine, ad montem Cassinum, vt inde sibi deferret sanctissimi corpus Benedicti: nam Cœnobium quod ibidē Sanctus quondam construxerat Benedictus, sicut superius iam explanauimus, à perfidis Longobardis erat deuastatū, & in solitudinem redactū: ibi tamen sancti Benedicti corpus, cum corpore sororis suæ Scholasticę vno sepultū tenebatur loculo. Contigit etiā, vt Cenomannica de vrbe quidā eodē tempore ad memoratum proficiscerentur locū, pro deferēdo sanctę Scholasticę corpusculo: qui postquam ad Floriacum deuenerunt Cœnobium, beato semper adhæserunt Aigulpho, donec Romam ad sancti Petri peruenerunt limina: quo dum peruenissent, mox beatus Aigulphus eorū deseruit consortiū, montemq; Cassinum solus expetijt, vbi etiā pernoctare decreuit. Et ecce intempestæ noctis silentio, ipsum sancti Patris Benedicti sepulchrū ita cœlitus vidit illustrari, ac si densis lampadibus circumfunderetur: nocte verò transacta splendor ille disparuit. Tunc sæpè fatus Aigulphus eò reuerēter accessit, & effracto à latere sepulchro, illud exinaniuit, & quic-

Mummolus Abbas mittit per reuelationē, Aigulfum in mōtem Cassinum pro S. Benedicti corpore trāsferēdo.

Cenomanenses per reuelationē pariter petunt corpus S Scholastica.

Signum diuinū reuelationis corporis S. Benedicti.

quid ibi reperit, in vnius sportellæ sinu recondidit, quam ad hoc præparauerat: quibus patratis dum sæpè nominatus ad propria remearet Aigulphus, socios suos offendit in itinere, & cum eis pariter ad Floriacum remeauit Monasteriũ. Sed antequam illud pertingeret, deuenit in vicum, quem veterem Floriacum appellant, qui miliario vno à sæpè fato distat monasterio; ibiq; prædictus Abbas Mummolus cum frequenti populi turba eis reuerenter occurrit, & cum digna reuerentia tam sacra suscepit pignora. Et assumens sportellam, cuius supra meminimus, posuit eam in Ecclesia beati Apostoli Petri, extraxitque ex ea, ipsa sacratissima ossa, quæ ibi iacebant confusè conclusa. Demum verò ea seligens singillatim separauit ab inuicem, secernens minora à maioribus. Quod cum factum fuisset, ecce duorũ cadauera mortuorũ efferebãtur ad sepeliendũ, quorum vnũ masculini, & alterũ erat sexus fœmini; placuit ergò hęc applicari. Mira res, nã cũ super masculi corpus maiora fuissent ossa superposita, cõtinuo per Benedicti meritũ est mortuo reddita vita. Tunc etiã placuit minora poni super cadauer mortuæ puellæ: quod cum factũ fuisset, reuixit puella cõtinuò. Claruit ergò germanos meritis esse, qui simul allati fuerant. Aderat huic spectaculo non minima populi multititudo: Adstabant quoq; ciues Cenomannici, qui cum præfato monacho Aigulpho vsq; ad sancti Apostoli limina perrexerant, quiq; cũ ipso reuersi fuerant. Qui quia socij laboris extiterant, corpus sanctæ Virginis Scholasticę sibi dari magnis precibus expetebant: quod ideò Dei dispensatione meruerunt impetrare, ne duo magna luminaria vno clauderentur in loco, cum singulis singula possent sufficere. Memorati igitur viri Cenomannicam remeantes ad vrbem, corpus beatæ Scholasticæ secum pertulerunt. Fabricata est etiam iuxta mœnia eiusdem ciuitatis, in Nomen & Honorem illius Ecclesia noua, vbi reuerenter est illatum, atque tumulatum. Deinde crescente quotidie miraculorum copia, plures eò sanctæ deuotionis fœminæ sunt aggregatę sub regulari disciplina. Interea verò venerabilis pater Mummolus cœpit animo voluere, quonam in loco corpus sanctissimi dignè reconderet Benedicti: & cum quadam nocte sub nudo cælo Dominum precaretur, vt ille sibi cęlitus monstraretur; ecce subitò lux emissa de cælo sicut fulgor ei apparuit, & locum vbi poni deberet, manifestissimè denotauit. Quo lætificatus indicio, illud corpus sanctissimum in locum, quem illi Deus reuelauerat, transtulit, & diligenter tumulauit. Locus autem ipse vbi illud transtulit, sanctę Dei genitricis erat oraculum, non multum

Ossium SS. Benedicti & Scholastica discretio miraculosa.

Corpus B. Scholasticæ requiescit Cenomannis.

Basilica in honorem S. Scholastica extruitur.

Repositio corporis B. Benedicti.

à præfata sancti Petri Ecclesia separatum. Translatum est igitur venerabile corpus incluti Confessoris Christi Benedicti, à Cassino monte ad Aurelianensem Galliæ Prouinciam, anno ab Incarnatione Domini DC. & LXXIV. anno videlicet C.XXXVIII. transitus eius. Computantur quippe à transitu ipsius gloriosissimi patris Benedicti, vsque ad obitum Papæ Gregorij anni LX. & VIII. & ab obitu Papæ Gregorij vsque ad translationem ipsius sanctissimi Benedicti, anni LXX. Ergò quisquis diem translationis eius recolere pia deuotione desiderat, hanc quinto Idus Iulij celebret, & procul dubio tam pretiosi Confessoris meritis mercedem suæ deuotionis recipiet.

Festum translationis S Benedicti.

10 Per idem quoque tempus regnabat apud Italiam Cunibertus, & apud Gallias Clodoueus filius Dagoberti; Arnulpho, & Anchiso eius filio aulam regiam procurantibus. Quorum Arnulphus, spreto postmodum seculo, & terreni sollicitudine palatij, Christi se seruitio mancipauit, & eremiticam vitam arripuit, & inde ad Metensem assumptus Episcopatum, gloriosa resplenduit vita: horum tamen soboles in reges creuêre, & ad præfatorum progeniem virorum postea Francorum translatum est regnum. Hac præterea tempestate luna eclipsin passa est per indictionem VIII. solque defecit hora diei quasi decima, V. Non. Maij. Et eodem anno subsecuta est grauissima pestis, tribus mensibus, Iulio videlicet, & Augusto, & Septembri, fuitque Romæ mortalitas magna. Hæc quoque pestilentia Ticinum adeò depopulata est, vt ciuibus per iuga montium fugientibus, intra præfatam vrbem herbæ nascerentur, atque frutera. Tunc etiam visibiliter multis duo angeli apparuerunt, bonus atque malignus, pergentes per ciuitatem: quorum malignus angelus venabulum manu ferebat, qui quoties venabulo illo ostium cuiuscunque domus boni angeli iussu percussisset, tot de eadem domo sequenti die hominum cadauera trahebantur. Sed quibusdam viris in eadem vrbe per reuelationem dictum erat, quod non prius pestis ipsa quiesceret, quam in basilica beati Petri Apostoli, quæ ad vincula dicitur, sancti Sebastiani martyris altare construeretur; factumque est ita: nam delatis ab vrbe Roma Beati Sebastiani martyris reliquijs, mox vt in iam dicta basilica constitutum est ipsius altare, pestis illa quieuit. In Cathedra verò Romanæ Ecclesiæ Agathoni Papæ subrogatus est Leo secundus, cui successit Benedictus, & Benedicto Ioannes, & Ioanni Conon, & Cononi Sergius. Floruit etiam per idem tempus Cuthbertus venerabilis Archiepiscopus Ecclesiæ Lindisfarnensis, quæ nunc

Grauissima pestis affligit Ticinũ.

Pontifices Romani consequẽter surrogati Agathoni Leo II. Benedictus, Ioannes, Conon, Sergius.

Lon-

Londrensis dicitur; cuius corpus post annos XI. effossum; cum veste quâ tegebatur, inuentum est incorruptum. Mortuo denique apud vrbem regiam Constantino Orthodoxo Augusto, filius eius Iustinianus imperij moderamina gubernanda hæreditario iure suscepit.

IVSTINIANVS itaque patri suo succedens in regno, anno Incarnationis diuinæ DC. LXXXVI. Imperauit annis X. Hic cum esset quasi annorum XV. puerili vsus temeritate, pacem, quam pater eius cum Abimelech Arabum principe fixerat, soluit, & pacem cum Bulgaris nexam turbans, & ea omnia quæ à patre suo fuerant ordinabiliter facta ad pacem, dissoluit. Remouit etiam à mari Mardaitarum, id est, Piratarum exercitum, qui imperium eius ab impetu Arabum tuebatur: quibus repressis, pace, & quiete potitus est Arabum principatus, vsque in præsentem diem. Et ex tunc liberius barbari Romaniam depopulari cœperunt. Porrò post hæc Iustinianus contra Sclauos perrexit, & multos ex eis prostrauit; sed dum inde reuerteretur, præpeditus à Bulgaris in arcta loci clausura, cum proprij populi cæde & vulneratione, vix præualuit remeare. Constituit præterea Stephanum Persam Sacellarium suum, virum crudelem ac pessimum, qui plures Reipublicæ principes grauiter affligebat; quique matrem ipsius Augusti Anastasiam, absente eo præsumpsit habenis more pueri flagellare: quæ res maximè fecit eum exosum cunctis principibus, & domesticis suis. Insurrexit ergò aduersus eum Leontius patricius, conspirante secum Callinico Patriarcha, & carceribus reseratis, solutisque multis retrusis, qui à sex vel octo annis in vinculis fuerant, quorum plures milites erant; cum eis exiuit in forum, moxq; Iustinianum naribus amputatis, apud Chersonam exilio relegauit: Demum præfatorum armis munitus virorum Augustalem arripuit dignitatem. Per idem tempus quoque Abimelech princeps Arabum, omnem sibi Persidem, & Mesopotamiam subiugauit.

Iustiniani Imperium primum.

Iustiniani deturbatio & relegatio.

Sed & hoc tempore deficiens Clodoueus filius Dagoberti, cum regnasset annis XV. tres filios ex Batilde genitos regina, sibi successores reliquit, Clotarium, Theodoricum, & Childericum: quorum Clotarius post annos tres assumpti principatus, regnum cum vita perdidit. Memorato verò Clotario successit frater eius Theodericus: verum hunc post modicum tempus Franci de regno propellunt; & Ebroinum in Luxouiense monasterium trudunt, cum eius vltra nequitias tolerare nequirent. Deinde assumentes Theodorici fratrem Childericum

Regum Galliæ successio.

Ebroinus in Monast. truditur.

cum regem sibi statuunt: sed non multo post Childericus interficitur, & Theodericus in regnum reuocatur. Quod audiens Ebroinus, monachali veste, qua induebatur, deposita, monasterio egreditur, & vndiq; circa se viribus aggregatis, iterũ Maior regiæ domus efficitur. Tunc etiam sicut leo effrenata rabie furens, ac sæuiens contra Palatinos viros, Leodegariũ Heduensem Episcopum, virum singulari scientia præditum, & sanctitate conspicuũ, comprehensum, crudelitate pessima post multa suppliciorũ genera decollari fecit: sed hunc omnipotens & misericors Dominus plurimorum decorauit gratia miraculorum, dum adhuc viueret Ebroinus. Defuncto verò Ebroino Pipinus filius Anchisi dominari sub regibus cœpit in Austria. Porrò iste Anchisus de nomine Anchisæ quondam Troiani principis, est dictus. Cuius memoratus filius Pipinus ex vxore Plectrude duos filios habuit, Drogum, & Grimoaldum; sed ex cõcubina Alphaide genuit Carolũ. His etiam diebus Ceduualla Rex Occidentalium Saxonum, anno regni sui secundo, spreuit regnum suum propter vitam æternam, & venit Romam ad limina beatorum Apostolorũ Petri & Pauli, vt sacro baptismate potiretur. Baptizatus est ergò die sancto sabbathi Paschalis, anno ab Incarnatione Domini DC. LXXX. IX. Pontificatum Vrbis agente prædicto Sergio, viro glorioso, & in albis positus languore correptus, ad regnum transiuit æternum. Cui præfatus Pontifex tempore baptismatis Petri nomen imposuerat, vt beatissimo Apostolorũ principi, ad cuius sacrum corpus, à finibus terræ pio ductus amore, venerat, etiam ipsi nominis consortio coniungeretur. Idem etiã venerabilis Rex suprascripto iubente Pontifice, sepultus est in Ecclesia beati Petri Apostoli. In Italia verò Cunipertus ab hac luce subtractus regnum Longobardorum filio suo reliquit Liutperto, cui successit Aripertus. Porrò Aripertus donationem alpium Cottiarum, quæ ad ius dudum Romanæ pertinuerant Ecclesiæ, sed à Longobardis multo tempore violenter retentæ fuerant, sancto Petro Apostolo restituit, & hanc refusionem litteris aureis explanauit. Sergius autem Papa hac eadem tempestate inuenit in sacrario beati Apostoli Petri magnam Dominicæ crucis portionem, quæ annuatim solet in die solemnitatis Exaltationis eiusdem viuificæ crucis, ab omni Romano osculari & adorari populo. Post quem alter etiam Iohannes sedit, & Iohanni successit Sisinnius, & Sisinnio Constantinus.

Leodegarius martyrio afficitur. *Pipini filij.* *Ceduualla Rex Roma baptizatur.* *Reges Longobardis in Italia.* *Aripertus Rex reddit Alpes Cottias Rom. Ecclesiæ.* *Sergius, Ioannes VI. Ioãnes VII. Sisinnus, Constantinus Pontifices.*

13 LEONTIVS igitur imperauit annis tribus. Imperij huius anno tertio Arabes Africam infestabant: contra quos direxit Leontius Iohannẽ patritium

tritium cum exercitu copioso:qui cum Carthaginē peruenisset, Arabes in fugam conuertit,& ibidem hyemauit. Demum verò ad Imperatorē regressus est, volens maiorem ab eo poscere exercitum; sed exercitus, qui in Africa remanserat,absente Iohanne patritio,elegit quendam Absimarum,quem & nominauit Tiberium,& creauit illum Imperatorem. Absimarus autem,sumpto exercitu,qui secum erat,nauigauit ad vrbem, & sine mora introiuit in eam per murum propè Blachernas, & apprehendens Leontium exilio relegauit.

Absimarus in Africa Imperator salutatur.

14 ABSIMARVS igitur, qui & Tiberius nominabatur, imperauit annis circiter septem. Iste Philippicum filium Nicephori in exilium destinauit, qui asserebat in somnis vidisse, quod caput suum obumbraretur aquila. Porrò imperante Absimaro Iustinianus degens in Chersona, cœpit manifestè populo, quod esset iterum resumpturus suum imperium, prædicare. Quâ de re loci accolæ, Augusti zelo permoti, propter opinionem huiusmodi, parabant eum, quasi regis insidiatorem, interficere, vel comprehensum ad eum dirigere. Sed cum hoc idem Iustinianus sensisset, fugit, & Turcorum principi Chagano se præsentauit. Chaganus autem illum cum honore suscepit, & tradidit ei vxorem germanam suam. Inde etiam nauigauit ad Trebellum Bulgariæ regem, qui & ipse ei auxilium tulit, & suo eum imperio restituit.

Iustinianus Trebelij ope in imperiū restitutus.

15 IVSTINIANVS igitur imperauit secundò annis sex. Qui vt imperium recepit, omnes qui ante eum expulerant, interfecit, & Absimarum in curru deductum, & multis iniurijs fatigatum, iugulari præcepit. Sed & Gallinicum Patriarcham erutis oculis Romam destinauit, & Cyrum Abbatem loco eius prouexit. Innumerabilem denique ciuium multitudinem interfecit. Statuit etiam Chersonam, vbi exiliatus degerat, euertere,& colligens omnes naues,quas habere potuit; dromones scilicet,triremes, scaphas,camaras & lintres,vsq; ad chelandia eò destinauit, præcipiens omnes ibi inhabitantes interfici, à minore vsque ad maximum. Quo cum peruenissent, Mauricius patritius, & Helias Spatarius secundum Imperatoris iussionem omnes interfecerunt, exceptis infantibus. Tudunum verò ciuitatis principem cum alijs LX. principibus ad Imperatorem miserunt, & alios septem eiusdem vrbis primores igni in verubus ligneis applicantes assauerunt. Demum Iustinianus misit iterum alium exercitum mense Octobri, præcipiens vt omnes pueri, qui reseruati fuerant, morti traderentur.

Iustiniani imperium iteratum.

Iustinianus crudeliter vlciscitur iniurias sibi à Leontio illatas.

Sed

Sed ille exercitus penè totus in pelagus est demersus, & perierunt ibi hominum millia LXXIII. Quibus Iustinianus agnitis, furens adhuc magna crudelitate, misit iterum alium exercitũ, iubens arari, & ad pauimentum illidi totam ciuitatem. Quod audientes homines illius prouinciæ, assumpserant Philippicum, qui illuc exulabat, & Imperatorem creauerunt. Deinde Philippicus Constantinopolim veniens Iustinianum Augustum, & Tiberium filium eius pariter interfecit. Per idem tempus præterea Vlid præerat Arabibus. Floruit etiam hoc tempore Petrus Aquilegiensis Patriarcha, vir magnæ sanctitatis, & religionis.

Iustiniani implacabile odium aduersus inimicos suos.

16 PHILIPPICVS ergò, qui & Bardanicus nominatur, creatus apud Chersonam Imperator, anno diuinæ Incarnationis DCC.XI. Imperauit annis duobus. Iste cum esset hæreticus Cyrum Constantinopolitanum Episcopum exilio relegauit, & posuit in eadem sede, quendam sui sensus Pseudomonachum nomine Iohannem. Ipse etiam Philippicus Romæ Constantino Papæ litteras praui dogmatis destinauit; quas vir sanctus consilio Romani populi respuit, & præcepit ne eius nomen in chartis poneretur, aut figura solidorum reciperetur, aut ad missarum solemnia recitaretur. Et dum imperasset Philippicus vno anno & dimidio, insurrexit contra eum Anastasius, qui illum oculis priuauit, & ab imperiali dignitate deponens, eius sibi vendicauit imperium. Apud Italiam verò Ariperto mortuo, regnauit Liutprandus filius eius.

Philippicus exoculatus in exilium ablegatur.

17 ANASTASIVS igitur qui & Arthemius dictus est, imperauit anno vno & tribus mensibus. Iste cum esset vir Catholicus, litteras Constantino Papę per Scholasticum patritium Exarchum Italiæ destinauit, quibus se fautorem Catholicæ fidei, & sancti sexti Concilij prædicatorem esse declarauit. Memorato verò Papæ Constantino Gregorius successit secundus. Circa hos præterea dies Childebertus moriens, regnum Francorum reliquit filio suo minori Dagoberto. Sed & Pipinus Maior regiæ domus defunctus est, cui successit filius Carolus, qui Tudites appellabatur, à maioribus malleis fabrorum, quibus tundi & extenuari grauior ferri materia solet. Hic Maior regalis aulæ factus sub Dagoberto, satis strenuè cum Saracenis pugnauit: nam præcedenti tempore Saraceni ex Africa transfretantes, Hispaniam sibi subiugauerant, indeque Caroli temporibus cum vxoribus & paruulis erumpentes, Aquitaniam Galliæ Prouinciam inuaserant, & vsque ad Septi-

Constantino in Pontificatu succedit Gregorius.

Caroli Martelli res præclarè gesta.

Septimaniæ, & Viennensis prouinciæ fines quosq; depopulantes peruenerunt. Sed hos Carolus Tudites duobus magnis prælijs, vno in Aquitania apud Pictauium, & altero iuxta Narbonem ita deuicit, vt in Hispaniam eos redire compelleret. In quo bello CCC. LXXV. Saracenorum millia interfecit. Iste est Carolus, qui propter assiduitatem bellorum res Ecclesiasticas laicis tradidit. Pugnauit etiam contra Saxones & Bauaros, quos cum magna difficultate superauit. Cum Heudone quoque Aquitanorum Duce sæpe dimicauit, & Ramanfredum Comitem regalis Palatij à palatio expulit; vnam ei ciuitatem, hoc est, Andegauensem concedens. Porrò Regi Francorum Dagoberto successit filius eius Theodoricus. His quoque diebus Luitprandus Longobardorum Rex construxit Ecclesiam beati Apostoli Petri foras muros Ticinensis vrbis. In Romana verò sede Gregorio secundo successit Gregorius tertius, & Gregorio tertio Zacharias. Porrò Gregorij tempore quidam Petronax ciuis Brixianæ vrbis, diuino amore compunctus, Romam venit, indeque hortatu memorati Papæ Gregorij, montem Cassinum expetijt, ibique cum aliquibus simplicibus viris habitare cœpit; & non multò post, suffragantibus sibi meritis eximij Patris Benedicti, euolutis iam fermè C. & X. annis, quo lucus ille inhabitatione hominum carebat, multorum ibi monachorum ad se concurrentium, Pater effectus; reparatis habitaculis regulariter viuere cœpit. Huic venerabili viro Petronaci post memorati Gregorij Papę obitum Deo dilectus Pontifex Zacharias succurrere studuit, præbens ei libros, & alia quæque quæ ad vtilitatem monasterij videbantur pertinere. Anastasius autem Augustus, classem in Alexandriam contra Saracenos direxit: cuius exercitus ad aliud versus consilium, ab itinere medio Constantinopolitanam vrbem regressus, Theodosium orthodoxum virum inquirens, Imperatorem elegit, & coactum regali solio sublimauit. Theodosius verò Anastasium apud vrbem Nicæam graui prælio superauit, eumque presbyterum fieri iussit.

Eiusdem victoria de Saracenis.

Gregorio II. succedit Greg. III. & huic Zacharias.

Petronax Cœnobium Cassinense C & X annis desolatū instaurat.

Anastasius ab Imperio deturbatus, religiosam vitam amplectitur.

THEODOSIVS igitur Anastasio regimine defuncto, imperauit anno vno, quo finito aduersus eum insurrexit Leo quidam vir potentissimus, qui eum ab imperiali vertice deposuit: sed indemnatum abire permisit. Ipse verò postmodum Clericus factus, residuum vitæ transegit in pace. His adhuc temporibus Haumar Dux Arabum habebatur, & Germanus vir sanctissimus Antistes Constantinopoleos.

Theodosius pariter Imperio deiectus, monasticam vitā eligens, quieti studet.

LEO igitur anno Incarnationis Domini nostri Iesu Christi DCC.

XVIII. Romano potitus Imperio, imperauit annis XX & tribus. Huius in diebus gens Saracenorum Constantinopolim hostiliter circumdedit ferè per triennium; sed ciuibus multa precum instantia Deum deprecantibus, tandem fugam inefficaces arripuêre: postmodum verò dum per altum mare nauigarent, subitanea tempestate submersi, perierunt. Porrò Leo Augustus anno Imperij sui octauo omnes sanctas imagines destrui pręcepit: maximo enim odio eas abominabatur, & omnes virtutiferas Sanctorũ reliquias. Sed ei memoratus Germanus fortiter resistebat Constantinopoleos Episcopus, nolẽs acquiescere detestabili cacodoxiæ ipsius; sed exhibebat secundũ morem antiquorum patrum nõ solùm sanctis imaginibus, verumetiam virtutiferis Sanctorum reliquijs pium venerationis affectum. Illud tamen catholica fides non admittit, vt propter similitudinem amabilium vultuum quælibet adoretur effigies: solum enim Deum adorare, & illi soli seruire præcipimur, ne si quid aliud adorauerimus, idololatræ potiùs, quàm Dei cultores inueniamur. Vnde cum sanctis imaginibus ceruices inflectimus, vel dominicę Passionis signa in eis venerando recolimus, aut pro assumpta pro nobis mortalitate, ipsi Deo gratias exhibemus, nullam in ipsis imaginibus credentes inesse diuinitatem. Et quando Sanctorum solemnia celebram⁹, & eis sanctas dicamus Basilicas, hoc agimus, vt eorum mereamur imitatione proficere & orationibus adiuuari. Et quamuis nobis eorũ meritis multa beneficia conferantur, eis tamẽ sacrificare, vel eos pro Deo colere incongruum, indebitum, & illicitum esse cõfitemur. Et hæc de his breuiter sint prolata. Porrò Leo Augustus multos qui sacras imagines venerabantur, diuersis pœnis, & verberibus amarissimis macerabat, & beato Germano multas ingerebat iniurias, eò quod nollet ei acquiescere: quibus tandem Sanctus Patriarcha fatigatus, abrenunciauit Sedi suæ, & secessit procul ab vrbe in parentalem domum, vbi & quieuit in Christo. Imperator verò prouexit pro eo quendam eiusdem vrbis Clericum Anastasium, hæreticæ prauitatis hominem. Hac præterea tempestate Rex Italiæ Liutprandus audiens, quod Saraceni depopulata Sardinia, illa loca fœdassent, vbi ossa beati Augustini Hipponensis Episcopi requiescebant, quæ propter vastationem barbarorum olim eò translata, & honorificè fuerant tumulata, legatos suos illuc misit, & dato pretio accepit, & trastulit ea Ticinum, ibiq; in Monasterio, quod Cœlum aureum vocitatur, recondidit. Et item hoc fermè tempore Carolus Tudites defunctus est, & apud Sanctum Dionysium non longè à Parisiaca vrbe sepultus,

Leo hæresiarcha & Iconomachus insignis.

Germanus Patriarcha frustra illũ ab Iconomachia dehortatur.

Quatenus Sancti venerandi.

Germanus sese abdicat functione Patriarchali.

Translatio S. Augustini.

Carolus Martellus moritur.

sepultus, anno ab Incarnatione Domini DCC. &XL. primò, Principatum regiæ domus obtinentibus filijs eius Carolomanno, & Pipino pariter. Quorum Carolomannus relicta regni administratione Romam abijt, ibique secularem militiam reliquit, ac demum in monte Soracte Sancti Syluestri Monasterio à se constructo, ibidem in habitu monachico per annos aliquot habitauit. Sed cùm ex Francia multi nobilium, ob vota soluenda, Romam solemniter commearent, & eum velut Dominum quondam suum, præterire nollent, otium, quo maximè delectabatur, crebra salutatione interrumpebant: ideoque locum mutare decreuit: & inde in Samniũ prouinciam proficiscens, apud castrum Cassinum quod reliquum erat temporalis vitæ religiosè conuersando cōpleuit. Præfato deniq; Dagoberto vita decedente, regnauit pro eo Chilpericus filius eius, cui successit Theodoricus, & hoc defuncto regnauit Childericus, quem & Hildricum appellant: de quo cùm esset vir inutilis ac remissus; & nihil præter Regis nomen, & precarium victum, quem ei aulæ Præfectus regiæ ministrabat, de tota potentia regni, possideret: Pipinus maior regiæ domus, per legatos suos studuit interrogare Zachariam Romanum Antistitem, dicens: an ille deberet esse Rex Franciæ, qui otio deditus, solo nomine regio erat contentus? Cui Pontifex remandauit, illum debere appellari Regem, qui benè rem regeret publicam. Qua responsione Franci animati, Hildrico in Monasterium detruso, & monachali tunica palliato, Pipinum sibi Regem constituerunt. Qui vbi Rex est creatus, omnes sibi rebellantes, magna potestate subegit, & Griphonem fratrem suum Regem fecit Austrasiorum, & Thassilonem suum ex sorore nepotem ducem instituit Bauarorum. Gripho tamen propter suæ mentis insolentiam ei bellum indixit. Interea verò Constantinopoli factus est terræ motus magnus, & corruerunt Ecclesiæ multæ, & extinctus est populus multus. Eodem etiam anno mortuus est Leo Imperator, animæ simul & corporis morte; & fit Imperij & impietatis eius pariter successor Constantinus filius eius, Anno à conditione Mundi quinquies M. DCCCCXL. ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi, DCC. XLI.

Carolomannus Martelli filius in Cœnobium secedit.

Seculariũ visitationũ frequentia efficit proposito monastico.

Childericus vltimus gentis Merouingorũ, regno exactus detruditur in monasterium.

Pipinus I. ex suo genere, fauore Pontificis & consensu Primatum Franciæ fit Rex.

Leo Imper. moritur.

CONSTANTINVS igitur persecutor legum à patribus traditarum, imperauit annis XXX. & IV. mensibus duobus, & diebus viginti sex. Hic omni vitæ suæ tempore magicis maleficijs, & cruentis sacrificijs, & luxurijs semper operam dedit; & multi Clerici, aut monachi, & religi-

osi laici sub ipso pro recta periclitati sunt fide. Habebat autem sibi consentientem in omnibus propter amorem principatus terreni, memoratum Anastasium Constantinopoleos falsi nominis Patriarcham. Vnde diuinitus indignatio venit in ciues eiusdem vrbis, admonens impium Imperatorem, vt se cohiberet ab insania, qua flagrabat. Sed ille vt Pharao quondam, inemendatus permansit. Venit quippe pestilens mors incipiens à Sicilia & Calabria, in regiam vrbem, & ita eam deuastauit, vt etiam in ipsa plures domus integræ clauderentur, eò quòd non essent qui eas inhabitarent: ferebantur etiã in plaustris ad sepeliendũ cadauera mortuorum. Prætere a moti in exterioribus Orientis partibus Persides, Turci, Maurophori, qui & *Chorozantæ dicuntur, contra Maruan Arabum Principem, & omnem cognationem eius, quæ principata fuerat Persis ab ipso Machumet pseudopropheta, vsque ad hunc Maruan. Abubalas igitur Turcorum Maurophororum Princeps comprehendit Maruan, & occidit, & sedit in Perside, transtulitque sub se principatum Persarum: vnde hi qui prius principati fuerant in Damasco, transmeauerunt in Africam, & repleuerunt Hispaniam vsque ad præsens tempus. Anastasius quoq; passione nimia fatigatus, qua stercus ventris euomeret, Anno Imperij Constantini XIII. miserabiliter, vt merebatur, mortuus est; & successit ei quidam hæreticus Monachus, nomine Constantinus. Per idem etiam tempus stellæ de cœlo cadentes apparuêre, ita vt omnes hoc videntes, consummationem seculi instare putarent. Et eodem tempore mortuus est Abubalas Princeps Maurophororum Turcorum, & successit ei Abdallas, qui multa mala ostendit sub Imperio suo positis orthodoxis, sanctas Sanctorum reliquias vbicunq; inuenire poterat, effodiens, & sicut rem inutilem spargens. Ecclesias denique sanctas depopulans, ornamentum & commune sterquilinium esse præcepit. Interea verò Constantinus Constantinopoleos falsi nominis Patriarcha, accusatus apud Imperatorem impijssimum Constantinum, accepit successorem Nicetam, pessimum eunuchum ex Sclauis ortum. Constantinus autem degradatus, proiectus est ab Ecclesia, Nicetâ & Imperatore præcipientibus, gradiens retrorsum, & cùm ludi agerentur in circo, raserunt barbam ipsius, & pilos capitis, & superciliorum, & indutum breui laneo, & sine manicis vestimento, super asinum, sagittam ferentem, obliquum fecerunt sedere, & ipsius asini caudam tenere; trahebat asinum Constantinus nepos eius naso reciso. Postea verò sententiâ datâ decollatus est, & caput eius in muro per aures tribus diebus

Constantinus Imperij paterni simul & impietatis successor.

Grauissima mortalitas affligit vrbem Cõstantinopolitanam.

** al. Chorosanitæ.*

Fœda mors Anastasij Patriarchæ.

Constantinus Patriarcha traducitur apud Imperatorem.

Idem miserabili perit supplicio.

bus pependit, corpus eius pede resti ligato, diu tractum est per plateam ad ostentationem plebis. Et eodem anno Nicetas falsi nominis Patriarcha icones ex musiuo factas, quæ in Patriarchio suo erant, erasit, & imagines deposuit. Sed & eodem anno Imperator Constantinus Irenem speciosissimam puellam ab Athenis euocauit, & Leoni filio suo copulauit. Per idem quoque tempus Thracesiorum Prætor, sicubi lipsanum in tota sibi subdita prouincia sanctarum comperit reliquiarum, igni combussit: venundauit etiam omnes sanctos libros, & omnia sacra vasa, & horum pretia Imperatori transmisit. Multos deniq; Monachorum interfecit, & quorundam orthodoxorum oculos eruit, & quorundam barbas cera & oleo perungens, ad ostentationem succendit, quosdam autem exilio relegauit: quod cum Imperator didicisset, scripsit ei taliter gratias agens: Inueni te virum secundum cor meum, qui facis omnes voluntates meas.

Nicetas sanctarum reliquiarū & imaginū oppugnator.

Grauis orthodoxorū persecutio.

2 Interea verò Monachi Cœnobij Cassinensis, auctore Carolomanno, cuius supra meminimus, Romam venerunt, rogantes Zachariam magnum Pontificem, vt litteras Pipino Francorum Regi dirigeret, quatenus beatissimi corpus Benedicti, quod Floriacenses Monachi furtim sibi vendicauerant, auito restituat loco: quibus Romanus Pontifex annuens, per eundem Carolomannum, Episcopis Franciæ studuit scribere, dicens: Zacharias Episcopus, seruus seruorum Dei, Sedi sanctæ Principis Apostolorum beati Petri præsidens; Omnibus Episcopis & Presbyteris Ecclesiæ Francorum salutem dicit. Egregius Apostolus dicit: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; & iterum idem ipse: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Et item scriptura: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Innotuerunt nobis religiosus Abbas, & Presbyter Cassini Monasterij Beati Benedicti, & Carolomannus Deo amabilis Monachus, germanus filij nostri Pipini excellentissimi Regis Francorum, per hos præsentes Religiosos Dei seruos Monachos: concordiæ & pacis sermones inter eum ac Griphonem fratrem eius expedire nos mittere; vt & nos hæc ipsa admonendo, dirigamus excellentiæ iam dicti Pipini filij nostri, vt ad pacis concordiam redeant, vobis propter Deum pacificis mediatoribus: verumetiam pro corpore Beati Benedicti, quod furtiuè ablatum est à suo sepulchro, vt ei restituatur. In hoc opere pietatis & misericordiæ libenter aurem accommodare hortamur dilectionem, ac sanctitatem vestram: vt primum omnium frater ad fratrem pacis in-

Monachi Cassinenses repetunt corpus S. Benedicti.

Epistola Zachariæ Papæ ad Clerum Franciæ.

Zacharias Papa studiosus pacis inter Principes.

re in vnum redeat, & confundatur iniquitas è medio eorum, caritas verò, vobis prædicantibus & ministrantibus exuberet inter eos. Deinde & præfati beati Benedicti corpus, iuxta petitionem seruorum Dei, sublimitas dilecti filij nostri Pipini, vestra cooperante sanctitate, indubitanter ad proprium remittat locum, vt & iam dicti serui Dei de suo gaudeant restituto Patre, vosque perennem habeatis mercedem, & laudem pro eo, quòd iustè operati fueritis, vt ad suum sanctissimi viri corpus referatur tumulum, ex quo clam est ablatum: nec enim habet Sanctitas vestra, quod in hac corporis restitutione, offensionem illius pertimescere debeat coram Deo, dum creditur, ad obtinendum hoc, ipsius suffragātibus orationibus, & voluntate, præfati religiosi Dei serui sint permoti. Valete. Quam epistolam Carolomannus Rex proprijs Gallis coram fratre suo Pipino Rege in magno conuentu populi præsentauit. Tunc Pipinus Princeps hæc audiens, Remigium Rothomagensem Episcopum cū tribus Episcopis Floriacum potestatiuè direxit, vt maximam partem certa non modica corporis Sancti Benedicti Cassinensibus Monachis redderent, partemq; loci solatio reseruarent; pertractans prudenti consilio, vt nec fratrē contristaret, nec tamen regnum Francorum tanto honore priuaret. Sed quoniam non est sapientia neque consilium contra Deū, biduò ante statutum aduentum Episcoporum, res Floriacensibus innotuit fratribus. Tunc fratres triduanum ieiunium celebrantes, his verbis beatissimum Benedictū orabant ante sanctum eius sepulchrū: O vnica spes nostra post Deum, ne derelinquas nos orphanos, qui huc non nostris meritis, sed multarum animarū venisti saluti; scimus certè, & omninò fatemur, nos indignos esse tua præsentia, quia inutiles operarij sum⁹, & non ambulauimus in mandatis tuis, iuxta promissionem nostram: sed emendare parati sumus negligentias nostras, & flagellis nos tuæ paternitatis vltrò substernimus, tantùm ne dimittas clientulos tuos, qui huc propter tuam præsentiam congregati sumus: suscipe quæsumus lachrymas nostras, & commane nobiscum in loco isto, quem dudum tibi dignanter elegisti; si autem mole peccatorum nostrorum exacerbatus, nobiscum remanere nolueris, notum tibi sit, quod quocūque ire decreueris, nos deuotissimos conuiatores habebis: non nos terrebunt pericula fluminum, aut iuga montium, vel violentia tempestatum, nec nos poterit aliqua creatura à paternitate impedire tua. Crederes super pauimentum in maxima quantitate pluere præ nimia lacrymarum inundatione: & cum iam in his singultibus & lacrymis totum expendissent triduum,

Zacharias præcipit corpus S. Benedicti Italis restitui à Gallis.

Pipini iussū de restituendo Cassinensibus corpore S. Benedicti.

Floriacenses ad mandatum Apostolicum & regium magno dolore & mœrore afficiuntur.

dum, ecce memorati Episcopi adsunt, & mandata Regis implere conantur, moxque reserari sibi fores Ecclesiæ iubent. Medo tunc illud sanctum regebat Cœnobium: qui cum præcepta regalia grauiter suscepisset, non se posse reddere respondit depositum, quod ad seruandum se suscepisse gaudebat, non ad reddendum. Cæterũ si Sanctus, inquiens, Benedictus ad pristinum vult reportari Mausoleum, non illum retinere possumus: sin verò hîc remanere disposuit, quò propter salutem plurimarum animarum transferri sua membra permisit, certissimum habetote, impotes voti vestri vosmetipsos ad propria redituros. His dictis, fratribus totius congregationis ad se vocatis intra vicinam beati Petri Ecclesiam se cum eis reclusit, vbi solo tenus prostratus, & lacrymis ora perfusus, orationi vacabat. Episcopi verò templum Sanctæ Dei genitricis ingressi antequã ad Sancti Benedicti propinquassent tumulũ, in dissolutionẽ & formidinẽ sunt conuersi, & tãta cæcitate percussi, vt nec inuicem se recognoscere quirent. Cum autem se diuina vltione excæcatos esse sensissent, cœperunt errabundi palpando per Ecclesiam pergere, quo ad restes campanarum impegissent, quas vi magna cœperunt trahere; non enim aliter poterant his qui foris remanserant, infortuniũ suum notificare. Quo exciti sono fratres de iam dicta Apostoli Petri processerant Ecclesia, existimantes triste spectaculum se visuros; sed quænam causa tardandi esset in Ecclesia nesciebant. Explorandi ergo gratia quidam de eis intrauerunt, & mox apertis oculis, eos per Ecclesiam errare deprehendentes, egressi sunt, dicentes: Quia pius Pater noster Benedictus exaudiuit nos, & suscepit lacrymas nostras; venite & videte magnalia Dei. Et tunc pariter Ecclesiam introëuntes, inuenerunt eos Væ clamantes, nihilque videntes. Quibus cùm dicerent: quid facitis ô boni Domini? illi respondêre dicentes: Væ nobis, quia Sancti Patris Benedicti requiem temerare venimus, & ideò cæcitatem incurrimus; vos autem serui Dei, mitius agite nobiscum, & nolite nobis secundum præsumptionem nostram reddere talionem, sed orate pro nobis omnipotentem Deum, vt aperiat oculos nostros, nosque vobis promittimus nunquam deinceps talia præsumpturos. Ad hęc verba fratres solo tenus fusi orabant attentius, vt diuina pietas eis lumen reddere dignaretur; & cũ orarent, aperti sunt oculi eorum. Demum verò præfati viri ad Regem reuersi, narrauerunt quæ fuerant passi, & adiecerunt, quòd non debeat Gallia tam sanctis ossibus viduari. Sed dum Rex morosius Papæ legatos retineret, idem

Medo Abbas & Monachi Floriacenses oratione ad Deum fusa impetrant, ne corpus S. Benedicti tollatur.

Episcopi volentes auferre sacra S. Benedicti ossa, terrore primo consternuntur, & post excæcantur.

Episcopis excæcatis restituitur visus precibus Floriacensium.

Zacharia Papa successit Stephanus.

idem Papa Zacharias defunctus est, cui successit Stephanus in Pontificali Sede; qui & ipse per se ad eundem Regem in Franciam venit, nam Rex Italiæ Aistulphus nomine, Ecclesiam Romanam suis possessionibus spoliabat. Sed dum idem Venerabilis Papa apud Regem aliquamdiu moraretur, ægritudinem incurrit, qua detentus, apud Sancti Dionysij Cœnobium non longè à Parisiaca vrbe lecto decubuit; sed ipsius Sancti Dionysij meritis tandem conualuit, & in eadem Basilica altare in honorem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum etiam precibus conualuerat, consecrauit, anno ab Incarnatione Domini DCC. LIV. Qui etiam postquam Romuleam remeauit ad vrbem, ipsi Sancto Dionysio intra modò dictam vrbem monasterium ædificare cœpit, sed morte præuentus consummare non potuit: Successor tamen eius Paulus, illud nobiliter consummauit, & quosdam Dei seruos natione Græcos illic adunauit, locumque ipsum ad Sanctos Martyres in Schola Græcorum appellari præcepit. Porrò Rex Pipinus copiosum à Gallia mouit exercitum, memorato Stephano Romano Pontifici præbiturus auxilium: Et ingressus Italiam Regem Aistulphum obsedit, & XL. obsides ab eo suscepit, vt beato Apostolo Petro, & sancto Papæ Stephano omnia prædia restitueret, quodque nunquam amplius Romanam Ecclesiam inquietare præsumeret. Sed hoc totum recedente Pipino Aistulphus irritum fecit; sed non post magnum temporis interuallum, dum quadam die venatum pergeret, subito Dei percussus iudicio expirauit: mortuo verò Aistulpho Desiderius ei successit. Eodem quoque tempore Pipinus Rex Francorum, Constantini Imperatoris magna dona recepit; & ab Italia rediens contra Waifarum Aquitanorum Ducem cum filio suo Carolo perrexit, & Castella Aquitaniæ conterens, & Burbonem expugnauit & cepit, & Clarmontem concremauit, ac Lemouicas vsque peruenit, & dum inde rediret, Bituricas cœpit. Rursúsque non longè post Aquitaniam intrauit, & eam perambulauit vsque ad Cadurcum, & inde rediens in Argentariaco castello, & in Bituricensi ciuitate præsidium collocauit. Demum quoque tertia expeditione Aquitaniam intrans vsque Garomnam fluuium peruenit; & cum inde reuerteretur, tandem intra pagum Petragoricum, prædictum ducem Waifarum interfecit. Post hæc autem idem Rex Pipinus bellicosissimus Saxoniam intrauit, & illam expugnauit. Bauariam quoque totam sibi vendicauit. Interea Constantinus nefandissimus Imperator contra Bulgaros pergens horribilem infirmitatē incur-

Pipinus aduersus Aistulphū Italiam inuadit pro Pontifice.

Pipini expeditiones Aquitanicæ.

incurrit, quâ & defunctus est, non minus, quam Diocletianus, martyrum sanguine plenus. Cui successit Leo Chazarus filius eius. In Romana verò Cathedrâ Stephano Papæ subrogatus est Paulus, & post Paulum sedit alter Stephanus, cui successit Adrianus. Floruit per idem tempus sanctus Bonifacius Moguntinensis Episcopus, qui in Frisiâ verbum Dei prædicans palmam martyrij meruit adipisci.

Constantinus Imperator moritur.

Stephano succedit Paulus & huic alter Stephanus, quem Adrianus excipit.

3 LEO CHAZARVS igitur imperauit annis V. Cuius vltimo imperij anno, mortuo Niceta Constantinopoleos Patriarcha, Paulus genere Cyprius, verbo & actu coruscans, consecratus est in eadem sede. His etiam diebus Pipinus, qui auctoritate Romani Pontificis Zachariæ, ex præfecto palatij, Frãcorum Rex fuerat institutus, obijt in Parisiaca vrbe anno regni sui XV. Incarnationis verò Christi DCC. & LXIX. superstitibus liberis Carolo, & Carolomanno, ad quos pertinebat regni successio: quorum Carolus in Nouiomensi vrbe regiam suscepit coronam, & frater eius Carolomannus Suessionis; sed Carolomannus transacto biennio, postquam sublimatus est in regno, vita decessit; & vxor eius, & filij ad Desiderium Regem Longobardorum, nulla vi compulsi fugerunt, eius patrocinium expetentes; sicque totius regni Francorum consensu virorum, Carolus regni monarchiam obtinuit solus. Proinde Carolus primo regni sui anno Aquitaniam ingressus, ducem Hunoldum, qui post Waisari mortem ipsam sibi Prouinciam retinere parabat, est aggressus; quem Vasconiam petere compulit; sed Carolus Lupo Vasconum duci mandauit, vt profugum reddat, & nisi hoc maturè faciat, bello se eum expetiturum. Lupus verò saniori vsus consilio, non solum Hunoldum reddidit, verum etiam se ipsum cum prouincia, cui præerat, eius potestati permisit. Porrò dum ad Carolum, sicut dictum est, Francorum peruenisset regnum, legatus Romanæ Ecclesiæ, nomine Petrus, ab Adriano Pontifice missus, ad eundem gloriosum Regem Carolum venit, postulans ab eo auxilium contra Longobardorum Regem Desiderium, qui more patris sui Aistulphi Romanam inquietabat Ecclesiam. Cui Carolus obaudiens, bellum contra Desiderium magna virium copiâ præparauit, & per montem Cinisium Italiam introiuit, & cum forti robore Papiam Italiæ ciuitatem circumdedit, & ibi Regem Desiderium cœpit, & in exilium misit. Præterea filium Desiderij Adelgisium à regno patrio effugauit, & subactæ Italiæ filium suum Pipinum Regem constituit. Quo in Italia composito negotio Saxonicum bellum arripuit:

Pipinus Rex Franciæ moritur, cui in Regno succedunt filij, illudq; ex æquo inter se partiuntur.

Carolus fratre defuncto Monarchiam in Francia obtinet.

Bellum Aquitanicũ.

Bellum Longobardicum.

Saxones autem ita eius sunt virtute perdomiti, & emolliti, vt X. millia
Bellum Saxonicũ. hominum ex eis cum paruulis & vxoribus sublatos transferret, & per
Galliam, & Germaniam multimoda diuisione distribueret: taliq́ue tan-
dem conditione bellum constat esse finitum, vt abiecto dæmonum
cultu Christianæ fidei sacramenta susciperent, & Francis vniti vnus po-
pulus efficeretur. Interim tamen dum adhuc bellum traheretur, dis-
positis per loca congrua præsidijs, Hispaniam est ingressus, saltuque
Bellum Hispanicũ. Pyrenæo superato, & omnibus, quæ adierat, oppidis atque castellis in
deditionem susceptis, reuersus est. Sed dum inde rediret, in ipso Pyre-
næi montis iugo Vasconũ perfidiam est expertus: nam cũ agmine lon-
go, vt loci & angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus,
Vascones in sinu montis insidijs collocatis, extremam partem agminis
inuaserunt, & in subiectam vallem deiecerunt, consertoque cum eis
prælio, omnes quos inuenerunt, interfecerunt. In quo prælio Egibar-
dus regiæ mensę præpositus, & Anselmus comes palatij, & Rolandus
præfectus limitis Britannici, cum alijs quam pluribus sunt interfecti.
Ex quibus Rolandus Blauia Castello deportatus est, ac sepultus. His
quoque diebus magnus Rex Francorum Carolus ab Hispania reuer-
sus, reperit coniugem suam Hildegardam in villa regia, quæ vocatur
Cassinogolo, & est inter Dro h. & Garomnam, geminum edidisse
filium, quorum vnus antequam nasceretur interijt, alter verò bapti-
zatus nominatus est Ludouicus. Post hæc autem Dominus Rex Caro-
lus subiugatis Narbonensibus in Franciam est regressus, & non post
multum tempus ad Capuam Campaniæ vrbem per Italiam perrexit, &
inde rediens bellum Beneuentanis indixit. Verum dux Prouinciæ, Ara-
gis nomine, Regis ferocitatem ferre non valens, filios suos Romaldum
& Grimaldum obsides ei pro conseruanda fidelitate transmisit. Et ite-
rum post hæc Carolus ad Galliam est reuersus. Bauaricum denique bel-
Bellum Sclauicum. lum est exortum, & celeriter consummatum. Sed & Sclauis bellum est
illatum. Dani vero, & Suecones Sclauis erant fœderati; sed hos omnes
vna tantum expeditione Rex sæpè dictus ita edomuit, aut contudit, vt
vlterius illi mallent subesse, quam rebellare. Hunnos quoque & A-
Bellum Auaricum. uares idem Rex potentissimus aggressus est: quod bellum intra octa-
uum, quo cœptum est annum feliciter consummatum est. Totam
præterea Frisiam, atque Britanniam suo dominatui subiugauit. Leoni
verò Imperatori successit Constantinus filius eius, vir Christianissi-
mus.

Con-

4 CONSTANTINVS igitur Leonis filius, Romanum fortitus imperium anno Incarnationis Iesu Christi Domini nostri DCC. LXXXI. Imperauit cum matre sua Irene annis X. Hic facta pace cum Arabibus, per Stauratium patritium de Sclauis triumphauit. Anno præterea imperij Constantini, & Irenes quarto, Mady qui & Muhamad dicebatur, dux Arabum mortuus est, & successit ei Moyses filius eius, & Moysi successit Aaron frater eius, qui eis præfuit annis XX. tribus. Sed eodem tempore Paulus Episcopus Constantinopoleos infirmatus reliquit thronum suum, & monachicum suscepit habitum: & consecratus est in eadem sede Tarasius vir Catholicus. Hic libellum fidei suæ Romam destinauit, & receptus est ab Adriano Papa; & celebrauit sanctam vniuersalem Synodum, CCC. L. patrum, in quo anathematizauit Patriarchas, Anastasium, Constantinum, atque Nicetam, & omnes consentaneos eorum. Hac præterea tempestate direxit Irene Sacellarium suum ad Carolum Regem Francorum, quo filiam suam nuptum traderet Imperatori Constantino filio suo: sed hoc postmodum irritum fecit; nam anno imperij Constantini & Irenes decimo, excitauit diabolus liuorem discordiæ inter ipsam Irenen, & filiũ eius Imperatorem, & mater sepsit eũ custodia, imperauitq; sola ad tempus modicum. Quo expleto, Armeniorum auxilio fretus rursus recepit imperium: quod vbi resumpsit, mox Stauratium patritium, & Ætium protospatarium, matris suæ amicos, omnesque simul spadones eius domesticos in exilium trusit. Ipsam quoq; locauit cum affluentia copiosa in palatio Eleutherij, quod ipsa ædificauerat, & in quo pecunias multas absconderat. Postmodum verò mouit exercitum aduersus Bulgaros, sed victus ab eis rediit in vrbem multis amissis. Qua de re quidam principum contra eum indignati, Nicephorum filium aui sui Constantini parabant Imperatorem facere: quod vt Constantinus comperit, eundem statim Nicephorum, & fratrem eius Christophorum linguis priuauit. Alexium quoque patritium Armeniorum luminibus orbauit; sed & vxorem suam Mariam monacham fieri coëgit, & Theodoten cubiculariam suam coronauit Augustam, & sibi desponsauit. Interea verò Irene muneribus & possessionibus sibi cœpit conciliare duces, & principes regni, ita vt à suis domesticis Augustus comprehenderetur: Consiliarij denique matris eum oculis priuauerunt tam nequiter, vt statim cruciatum mors sequeretur, sicque imperauit Irene secundò, vno ferè quinquennio. Eodem etiam anno obeunte

Irene cum filio Constantino Imperat annis X.

Synodus Nicena.

Irene filiũ ob res nouas sub custodia tenet.

Filius custodia solutus, matrẽ imperio abdicat.

Mater post filium excæcat & quinquennio imperat.

Adriano surrogatur Leo qui excæcatur.

beatæ memoriæ Adriano Papa, consecratur in eadem sede Leo, vir per omnia reuerendus. Et ipso iterum anno præfati Adriani Papæ cognati Romæ commouentes populum contra Leonem Papam, tenuerunt eum, & excæcauerunt: non tamen lumen eius penitus extinguere potuerunt. At ille confugit ad Carolum Regem Francorum, qui vltus est illum, & restituit in sede sua. Leo vero coronauit illum Imperatorem in templo sancti Petri, circumdans imperatoria veste. Tunc sibi acclamatum est ab vniuerso populo Romano: CAROLO AVGVSTO à DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANO, VITA ET VICTORIA. Bellis igitur supradictis feliciter consummatis, Carolus Magnus Rex Francorum, regnum quod post patrem suum Pipinum, magnum quidem & forte susceperat, ita nobiliter ampliauit, atque dilatauit, vt duplum pænè ei adiecerit.

Coronatio Caroli Magni.

Carolus Magnus dilatator Imperij & quousque?

Nam cum prius non amplius quam illa pars Galliæ, quæ intra Rhenum & Ligerim, Oceanum quoque ac mare Balearicum iacet; & pars Germaniæ, quæ inter Saxoniam & Danubium, Rhenumque ac Salam fluuium, (qui Turingos & Sorabos diuidit,) Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur; & præter hæc Alemanni atque Bauari ad regni Francorum potestatem pertinerent; ipse per bella memorata primò Aquitaniam & Vasconiam, totumque Pyrenæi montis iugum vsque ad Iberum amnem, qui apud Nauarros oritur, & fertilissimos Hispaniæ agros secans sub Tertosæ ciuitatis mœnia Balearico mari miscetur; deinde Italiam totam ab Augusta Prætoria vsque in Calabriam inferiorem, (in qua Græcorum ac Beneuentanorum constat esse confinia) totam præterea Saxoniam; (quæ quidem Germaniæ pars nō modica est,) & vtramque Pannoniam, & in altera Danubij ripa oppositam Daciam, omnesque præterea barbaras nationes, quæ intra Rhenum ac Vistulam fluuios, Oceanum quoque atque Danubium positę sunt, linguâ quidem penè similes, sed habitu vel moribus valdè dissimiles, ita perdomuit, vt eas sibi tributarias faceret. Auxit etiam gloriam regni sui, quibusdam Regibus ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis. Adeò namque Adelphonsum Gallitię atque Asturicæ Regem sibi societate deuinxit, vt is cum ad eum vel litteras, vel legatos mitteret, non aliter se apud illum, quam Proprium suum appellari iuberet. Scotorum quoque Reges sic habuit ad suam voluntatem, per munificentiam inclinatos, vt eum nunquam aliter, nisi Dominum, seque ei subditos, ac seruos eius pronuntiarent. Extant epistolę ad eum missę, quibus huiusmodi affe-

Gallitia & Scotorum reges sibi coniunctissimos habet.

affectus eorum erga illum indicatur. Cum Aaron quoque Rege Persarum, qui, excepta India, totum penè tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, vt is gratiam eius omnium, qui in toto orbe terrarum erant, Regum ac Principum amicitiæ præponeret, solumque illum honore ac munificentia sibi colendum iudicaret: ac proinde cum legati eius, quos cum donarijs ad sanctissimum Domini ac Saluatoris nostri sepulchrum, locumque resurrectionis miserat, ad eum venissent, & ei Domini sui voluntatem indicassent, non solum, quæ petebantur, fieri permisit; sed etiam sacrum sanctæ Mariæ Latinæ locũ, vt illius potestati ascriberetur, concessit, & reuertentibus legatis suos adiungens, inter vestes & aromata, & cæteras Orientalium terrarum opes ingentia illi dona direxit, cum ei ante paucos annos, eum quem tunc solum habebat, roganti misisset elephantem. Porrò inter munera, quæ legati Imperatoris à Perside detulerunt, horologium ei ex aurichalco arte mechanica compositum attulerunt, in quo duodecim horarum cursus ad clepsydram visebantur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem horologio eiusdem numeri equitibus, qui per duodecim fenestras horis completis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras aperiebant. Circa hoc præterea tempus delata sunt ossa beati martyris Cypriani à Carthagine cum reliquijs beatorum Scillitanorum martyrum; Sperati, sociorumque eius, & posita sunt in Ecclesia beati Iohannis Baptistæ in ciuitate Lugdunensi. Saraceni etiam Sardiniâ pulsi, primò cum Sardis prælium commiserunt, & amissis tribus millibus suorum in Corsicam directo cursu peruenerunt, ibique cum classe, cui Balgarius Comes præerat, decertantes, victi, fugati, atque perempti sunt, amissis quatuordecim nauibus suis. Interea etiam sæpè nominati Imperatoris Caroli filius Ludouicus Hispanias est ingressus, & Barcellonam, quæ contra patrem rebellauerat, iterum sibi subiugauit. Porrò Carolus Magnus cum esset Rex Francorum, Imperatoris Romani Romæ suscepit insignia, octauo Kalend. Ianuarij, anno quarto, quo Constantini Imperatoris vxor Irene, filio suo defuncto, sola recepit imperium; & dum imperaret Romæ Carolus Christianissimus Augustus, Nicephorus patritius apud Byzantium aduersus Irenem rebellauit Augustam, & concludens eam in palatium Eleutherij, processit ad magnam Ecclesiam, & coronatus est ibi à Tarasio Constantinopoleos Episcopo, fauentibus ei Leone Patri-

Similiter & Regem Persarum sibi arcta amicitia deuincit.

Regis Persarum munera ad Carolum Regem.

Saraceni Sardinia pulsi cæsiq.

Nicephorus pulsa Irene suscepit imperium orientale.

tio, & Sisinnio Sacellario, & Tryphilio æquè Patricio, qui plurimis ditati ab Imperatrice fuerant donis. Porrò vulgus, quæ gerebantur, molestè ferebat, maledicens coronato, & coronanti, cunctisque fauentibus eis. Sequenti verò die ascendit Nicephorus ad Imperatricem custodiæ mancipatam, simulans, vt ei moris erat, falsam benignitatem, cœpitque se ante eam excusare, quod inuitus ad principatum accesserit, nec hunc vnquã desiderauerit: maledicebat etiam his qui se prouexerant & illam insidijs appetiuerant; fiduciamq; dolosè monebat habere eam, cum iuramentis spondens illi illud obsequium, quod consequi Dominã à seruo deceret. Ad extremum tamen commonuit, vt nihil occultaret imperialiũ thesaurorum, & damnabat auaritiæ vitium quasi pestiferum virus; sed ad hæc Irene forti & sapienti freta prudentia respondit: qui heri seruus periurus fuisti, hodie solers & seditiosus tyrannus es. Me autẽ Deus, cum essem orphana, gratis pridem exaltauit, & prouexit sua munificentia, vt sederẽ super solium imperij huius, nunc autem meæ depositionis infortunium mihimet applico, & peccatis meis ascribo, quoniã non erã imperio digna. Verum in cunctis, quæ in me operatus est Deus, sit nomen eius benedictum; tuam autem prouectionem minimè fieri credidi; scis enim mihi sæpè delatum fuisse, quod me circumuenire parabas, quod verum fuisse rerum finis ostendit; quam rem si molestè tulissem, facilè mihi erat olim, vt interficerem te: sed nunc tuis iuramentis fidem accommodans, modò verò tibi parcens vitam reseruaui, spem semper habens in illo, per quem Reges regnant, & principes obtinent potestatem. Nunc autem cum sis à Deo prouectus, te vt Imperatorem adoro, & peto, vt parcas meæ infirmitati: precor itidem, vt concedas mihi à me constructam Eleutherij domum in refectionem incomparabilis meę calamitatis. Ad hæc ille: si hoc vis tibi fieri, iura mihi per omnem diuinam virtutem, non absconsuram te mihi quicquam imperialium thesaurorum. Quæ protinus ei iurauit super pretiosa crucis ligna. Ille verò quod desiderabat adeptus, statim tamen eam exilio relegauit in insulam Lesbum, vbi & defuncta est.

Nicephori ad Irenen simulatus affectus.

Irenes ad Nicephorũ generosum responsum.

Nicephori nequitia aduersus Irenen.

Irenes exilium & mors.

CAROLVS MAGNVS ex Rege Francorum factus imperator Romanorum, anno Dominicę Incarnationis DCCC. II. imperauit annis XL. & VII. circiter. Hic suscepta, sicut superius dictum est, & ordinata republica, inchoauit opera plurima ad Imperij dignitatem, & regni Francorum commodum pertinentia diuersis in locis. Inter quæ videntur esse præcipua Basilica sanctæ Dei genitricis Aquisgrani opere

Carolus Magnus renunciatur Imperator Romanus.

mirabili

mirabili constructa, & pons apud Maguntiacum in Rheno, quingentorum passuum longitudinis, nam tanta est ibi fluminis latitudo: qui tamen vno antequam decederet anno, incendio conflagrauit, nec refici potuit, propter festinatum illius decessum; quanquam in ea meditatione esset, vt pro ligneo lapideum restitueret. Inchoauit & palatia operis egregij, vnum non longè à Maguntiaca ciuitate, iuxta villam cui vocabulum est Ingelheim, & alterum Nouiomagi super Vahalem fluuium, qui Batauorum insulam, in parte meridiana præterfluit. Præcipuè tamen ædes sacras vbicunq; in toto regno suo vetustate collapsas comperit, Pontificibus & patribus, ad quorum curam pertinebant, vt restaurarentur, imperauit: adhibens curam per legatos vt imperata perficerentur. Vnde multa sub eius imperio sunt reparata, imò funditus ædificata Monasteria; sed præcipuè hæc. Monasteriũ sancti Philiberti: Monasterium sancti Florentij. Monasteriũ Concas; Monasterium Caroffi; Monasterium S. Maxentij; Monasteriũ Musiacũ; Monasterium Menate: Monasterium Magniloci; Monasterium sancti Sauini; Monasterium Nouiliacum; Monasterium sancti Theofridi; Monasterium sancti Pascentij; Monasteriũ Dorosæ; Monasterium Solempniacum; Monasteriũ puellare sanctæ Mariæ; Monasterium puellare sanctæ Radegundis; Monasterium de Vera; Monasterium de Vtera in pago Tholosano; Monasterium Valida in Septimania; Monasterium sancti Aniani, Monasterium Galunæ; Monasterium sancti Laurentij; Monasterium sanctæ Mariæ, quod dicitur in Rubine: Monasterium Caunas, & cætera plurima, quibus veluti quibusdam lychnis totum decoratur Aquitaniæ regnum. Quæ omnia ipse pijssimus Imperator Carolus Magnus auri & argenti ponderibus, gemmarumque pretiosarum exornauit muneribus, amplissimis etiam honoribus ditauit, & insuper quod est pretiosius sanctissimis Reliquiarum patrocinijs insigniuit. Porrò hæc sunt nomina Metropoleon, quæ sub eius ditione manebant: Roma, Rauenna, Mediolanum, Foroiulium, Gradus, Colonia, Maguntiacus, Iuuanium, & Saltzburg, Treueris, Senonis, Vesantium, Lugdunum, Rothomagus, Rhemis, Arelas, Vienna, Tarantasia, Ebredunum, Bituris, Turonis, Burdegala. Omnes has idem potentissimus Imperator honorabiliter multis excolebat muneribus; sed præcipuè Romanam inter eas Ecclesiam & fideliter defensabat, & suis opibus exornabat.

Caroli præclara opera.

Multa fundat & dotat Monasteria Carolus.

Nec

6 Nec patrio sermone erat contentus; sed etiam in peregrinis linguis ediscendis operam impendit. Verum Græcam linguam melius poterat intelligere, quam pronuntiare. In discendâ denique grammaticâ Petrum Pisanum habuit præceptorem, & in cæteris disciplinis Albinũ cognomento Alcuinum. Tentabat etiã scribere, tabulas quoq; ferebat, vt cum vacuum tempus esset, manum litteris effingendis assuesceret. Sed parum profuit labor præpostorus, ac serò inchoatus. Religionem deniq; Christianam summa pietate semper excoluit, & Ecclesiã mane & vespere, nec non & nocturnis horis, & sacrificij tẽpore impigrè frequentauit. Circa pauperes quoq; liberalitate maxima præditus erat, vt qui non solum in suo regno illis subuenire, verumetiã in transmarinis regionibus, in Syriam, & Ægyptum, & Africã, & Hierosolymas, Alexandriam, atq; Carthaginẽ pecunias multas mittere satagebat. Ob hoc etiam maximè transmarinorum Regũ amicitias expetebat, vt sub eis degentibus Christianis refrigerium aliquod perueniret. Idem præterea serenissimus Imperator corpore fuit amplo, atq; robusto, staturâ eminenti, & apice capitis rotundo, naso paululum mediocritatẽ excedente, oculis pulchris, canitie veneranda, facie lata, voce clara, valetudine prospera. Denique cõuiuabatur rarissimè, cœnaq; quotidiana quaternis tantũ ferculis præbebatur, præter assam carnẽ, quam venatores verubus inferre solebant, qua ille libentius, quam vllo alio cibo vescebatur. Inter cœnandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ & antiquorum res gestæ; delectabatur & libris Sancti Augustini, præcipueq; his, qui de Ciuitate Dei prætitulati sunt. Vini verò & omnis potus adeò parcus in bibendo erat, vt super cœnam raro plus quam ter biberet. Æstate post cibum meridianum pomorũ aliquid sumens, ac semel bibens, depositis vestibus, & calceamentis, velut noctu solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat. Noctibus sic dormiebat, vt somnum quater aut quinquies nõ solum expergiscendo, sed etiam surgendo interrumperet. Habuit præterea tres filios, Carolum videlicet, Pipinum, & Ludouicũ. Habuit & tres filias, Rothrudem, Bertham & Ghisetam. Habuit etiam alias duas filias de Fastrada sua vxore Theodoradam & Hiltrudim. Fastrada verò defuncta, Luitgardam Alemannam duxit vxorem; & eâ mortua habuit iterum duas concubinas, Gersuindam Saxonici generis, de qua nata est ei filia nomine Adaltrudis; & Reginam, quæ genuit ei Drogonem, & Hugonem. Præterea mater eius * Bertrada in magno apud eũ honore consenuit. Liberos quoq; suos ita censuit instituendos,

Caroli pietas.

In egenos liberalitas

Caroli statura.

Eius diæta in cibo & potu.

al. Bertha.

vt tam filij, quàm filiæ primò liberalibus studijs, quibus & ipse operam dabat, erudirentur. Tum filios cum primum ætas patiebatur, more Francorum equitare, & armis ac venationibus exerceri fecit: filias verò lanificio assuescere, coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit. Ex his omnibus duos tantùm filios, ac vnam filiam, priusquam moreretur, amisit, Carolum, qui natu maior erat, & Pipinum, quem Regem Italiæ fecerat, & Rothrudem, quæ filiarum eius primogenita, & Constantino Græcorum Imperatori desponsata erat. Quorum Pipinus vnum filium Bernardum, filias autem quinque, Adelheidim, Atalam, Gundradam, Berthaidem, ac Theoderatam superstites reliquit: in quibus Rex pietatis suæ præcipuum documentum ostendit, cum filio defuncto nepotem patri succedere, & neptes inter filias suas educari fecisset. Imperator denique Nicephorus Constantinopolitanus ad eum misit, & firmissimum fœdus cum eo disposuit, totamque Venetiam illi voluntate spontanea donauit. Verum tandem magnificus Imperator Carolus, cùm finem vitæ sibi cerneret imminere, Ludouico filio suo, quem Aquitaniæ Regem dudum ordinauerat, coronam Imperialem dereliquit. Bernardum autem filium Pipini filij sui Italiæ Regem fecit. Decessit autem anno vitæ suæ LXX. secundo, Regni verò sui XL. septimo, & Incarnationis Christi DCCC. XIV. indictione quarta, V. Calend. Februarias. Sepultus est autem in Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Aquisgrani, arcusque supra tumulum eius deauratus est extructus. Cæterum omnia eius gesta, quæ vulgò narrantur, non sunt hic propter vitandum fastidium legentis pleniter explanata. Præterea Romæ post Leonem, cuius supra fecimus mentionem, sedit Stephanus quartus, Stephano quoque successit Paschalis. Eodem quoque tempore floruit Sanctus Egidius Confessor præcipuus, natione Græcus, qui Dei nutu veniens ad Gallias, in prouincia, cui Septimania nomen est, eremiticam duxit vitam. Claruit etiam his temporibus Paulus gentis suæ, id est, Longobardorum historiæ scriptor, qui de monasterio montis Cassini venit in Galliam, attractus amore præfati Principis Caroli præcellentissimi Imperatoris.

Filiorum Caroli institutio.

Nota exercitium regiorum filiorum.

Caroli mors & atas.

Romani Pontifices sibi succedentes Leo, Stephanus, Paschalis.

NICEPHORVS itaque, sicut superius iam dictum est ex Patricio Imperator creatus, imperauit annis octo. Hic fuit vir crudelis & auarissimus. Per singulos enim Ecclesiarum & Monasteriorum focos, censum primus Imperator exigi præcepit. Sed & ab his, quos repentè fortuna ditauerat, quasi ab inuentoribus thesaurorũ pecunias exigebat.

Nicephori auaritia.

Naturaliter etiam ei muliebres inerant lacrymæ, quas multis pseudo-christianis inesse procul dubio constat, quibus multos benignitatem simulans decipiebat. Ipse quoque imperij sui anno secundo coronauit Stauratium filium suum Imperatorem, cùm esset idem Stauratius inutilis, & ineptus ad tantam modis omnibus dignitatem, tam specie, quam robore simul & sensu. Eodem etiam anno cum aduersus Arabes pugnaturus exîsset, superatus est multis amissis, & ipse viuus erat capiédus, nisi quidã Principum eius ipsum à necessitate traxissent. Aaron quoq; dux Arabum cum eo dimicans illum exuperauit: vnde ei Nicephorus persoluebat pro incolumitate imperij triginta millia nummûm aureorum, & pro salute capitis sui tria millia in singulos annos. Octauo imperij sui anno denique Nicephorus Imperator perrexit cum Stauratio filio suo præliaturus contra Chrumnum Ducem Bulgarorum, in quo prælio cum maxima cæde suorum superatus est, & occisus, & caput eius in ligno suspensum ad ostentationem plebis. Stauratius quoq; filius eius ibidé vulneratus est in dexterâ colli parte satis periculosè: rediens tamé ad vrbé imperauit post obitũ patris sui mensib[us] duobus, & diebus sex. Intra quos dies Michaël Curopalates ad imperium est assumptus.

Foedum Nicephori tributum.

¶ MICHAEL ergò anno diuinæ incarnationis DCCC. XII. imperauit annis duobus. Ab hoc exegit Reuerendus Patriarcha Nicephorus scriptũ propriæ manus de recta fide, & vt mundas manus ab orthodoxorũ semper sanguine cõseruaret. Proinde Michaël cùm esset magnanimus, donauit Patriarchæ post consecrationem suam auri libras L. & clero XXV. Recreauit quoq; magnis donis senatum atq; militiam, quam læserat valdè Nicephorus Imperator auaritiâ suâ. Coronauit denique Theophylactum filium suum Imperatorem, & obtulit sancto altari pretiosissimum ornamentum, in vasis aureis, & lampadibus pretiosis, & in velis ex auro & purpura contextis, ac mirabiliter sanct[i]s imaginibus variatis. Donauit etiam sancto Patriarchæ auri libras XXV. & venerabili Clero libras centum. Per idem tempus apparuit cometes in figura duarum lunarum; & eodem anno Muhamad & Abdelas filij Aaron intestinum bellum excitauerunt inter se in interiori Perside; sed superatus Muhamad cessit fratri inuitus, & obtinuit Bagadach opulentissimam vrbem. Contigit etiam hoc eodem tempore loca sancta, quæ erant Ierosolymis, prophanari, opulentissimas Ecclesias scilicet sancti Carithonis, & sancti Sabæ. Vnde multi fugientes venerunt in Cyprum, & in Constantinopolitanam vrbem, quos Michaël pius Imperator, & Nice-

Michaëlis liberalitas in Ecclesiasticos.

ceph[o]-

cephorus sanctissimus Patriarcha benigna munificentia receperunt, & donis suis consolati sunt vniuersos. Nam his qui venerunt ad vrbem, donauit Imperator Monasterium insigne, & his qui in Cypro remanserunt, talentum auri transmisit: erat quippe Michaël Imperator erga omnes Catholicos suauis & clemens Christianos. Circa dispositionē verò imperialium negotiorum erat iners & remissus. Porrò imperij huius anno secundo, tertio nonas Maij sol defecit in ipso ortu suo, circa duodecimam tauri partem, & eodem anno exiuit Imperator ab vrbe præliaturus contra præfatum Chrummum Bulgarorum Ducem; sed cū non procul ab Adrianopoli pariter decertarent, superatus est Imperator, & fugiens remeauit ad vrbem. Tunc Prætores assumentes Leonem patritium coronauerunt Augustum, & adduxerunt eum ad vrbem. Cui cum applauderet populi multitudo, Michaël voces eorum exaudiens, accurrit in oratorium vnà cum Procopia vxore sua, & filijs, & tonso capite monachali circumdatus est vestimento; Chrummus verò Adrianopolim comprehendit. His præterea diebus Arabes sibimet aduersantes Regni sui soliditatem amiserunt; & ex vno quattuor tyranni efficiuntur: quorum vnus Ægyptum, & Africam simul vendicauit; Hispaniam verò duo, & Palæstinam quartus, inter se diuisêre.

Michaël benignissimus in orthodoxos.

Leo Imperator creatur.

LVDOVICVS PIVS Caroli Magni Imperatoris filius, post patris obitum Romanum obtinens Imperium, Anno diuinæ incarnationis DCCC.XIV. imperauit annis fermè XX. & VII. Hic fuit vir clementissimæ naturæ. Vnde cū iuxta suorum lenitatem morum Rempublicā disponeret, tulit finem multis aduersitatibus plenum, quia tam à liberis, quàm à proceribus crudeliter impugnatus. Fuit tamen semper præceptorum Domini feruentissimus executor, & legis sanctæ strenuissimus propagator. Congregatis tempe Episcopis, & nobilissimis viris, fecit componi & ordinari librum canonicam normam continentem. Ipsius denique tempore cœperunt deponi ab Episcopis, & Clericis balthei gemmeis cultris onerati, & cingula auro compta, & exquisitæ vestes, & alia secularia pariter ornamenta. Adiecit præterea quædam secularibus legibus capitula pernecessaria. Genuit etiam serenissimus Imperator tres filios ex Hermingarde prima vxore sua, scilicet Lotharium, Pipinum atque Ludouicum. Et ex sua vxore secunda, nomine Iudith, Carolum Regem Francorum. Porrò Lotharius Imperatoris primogenitus, dum esset à patre benignissimo super Italiam constitutus, Romam venit, & sancti Paschæ die in Ecclesia Beati Apostoli

Cultus in vestitu clericorum qualis esse debeat.

Paschali Papæ surrogatur Eugenius, & huic sanctæ Valentinus qui Gregor. IV. successorem habet.

Petri à Paschali Papa coronam cum nomine suscepit Augusti. Paschali verò Papę successit Eugenius, ad quem misit Hilduinus Abbas Sancti Dionysij, Sanctique Medardi, postulans ab eo sibi transmitti ossa venerabilis Martyris Sebastiani; quod & impetrauit, & honorabiliter iuxta Sancti Medardi, vt decebat, collocauit corpus in Suessionica vrbe. Eodem etiam tempore sanctissimorum Martyrum Hippolyti atque Tiburtij corpora Româ delata, & in Sancti Dionysij Ecclesia, non longè ab vrbe Parisiaca, sunt tumulata. His præterea temporibus Gundulpho Metensi Episcopo, Drogo frater Imperatoris Ludouici successit. In Romana verò Cathedra Eugenio Papæ successit Valentinus, & Valentino Gregorius IV. quo annuente Lotharius patrem suum Ludouicum comprehendit, & apud Sancti Medardi Monasterium custodiri mandauit; vxorem quoque ipsius Iudith exilio relegauit, & Carolum, quem ex ea Ludouicus susceperat, castro Priunnæ commendauit. Verum non multò post Francię Principes Imperatorem Ludouicum à custodia liberauerunt, & Patri filium Lotharium reconciliauerunt. Post hæc verò clementissimus Imperator inter filios suos quatuor suum diuisit Imperium. Et Lothario quidem Italiam, Ludouico autem Germaniam, atque Saxoniam, & Pipino Aquitaniam, Carolo verò Franciam delegauit, atque Burgundiam. Sed Lotharius hanc Imperij diuisionem non ęquanimiter tulit, sed totum Imperiū sibi subijcere tentauit. Quod vt Pater comperit, illicò aduersus eum iter arripuit, sed in ipso itinere aduersa comprehensus valetudine, diem clausit extremum. Cuius corpus à Drogone Episcopo Metes delatum, & in Ecclesia Sancti Arnulphi Confessoris est tumulatum. Decessit verò anno vitæ suæ LXIV. Post cuius obitum quatuor eius filij apud Fontanidum campum atrociter pugnauerunt. In quo bello Franciæ, Italiæ, Aquitanię, Alemanniæ, Saxonię, Burgundiæque omnes penè milites mutuis sese concidêre vulneribus. Victoriam tamen Carolus obtinuit Caluus. In Romana verò Cathedra memorato Papæ Gregorio Sergius successit, & Sergio Leo IV. & Leoni Benedictus, & Benedicto Nicolaus. Floruit etiam his temporibus Theodulphus Floriacēsium Abbas, & Aurelianensium Episcopus. Qui cum insimulatus multis criminibus apud Imperatorem Ludouicum fuisset, Andegauiam est exilio relegatus. Qui dum in custodia teneretur, contigit vt ibidem die Palmarum venirer iam dictus pijssimus Imperator, & cum secus domum, qua custodiebatur idem Theodulphus Episcopus, processio pertransiret, facto silentio præsente Imperatore,

Ludouicus Imperio priuatur & incarceratur à filio.

A custodia liberatur, & filio reconciliatur.

Partitio regnorum Ludouici inter filios.

Cruentum belliū inter filios Ludouici.

Successio Pontificū.

peratore illos pulcherrimos versus, qui nunc vsque per Galliam in eadem solemnitate psalluntur, à se editos, per fenestram decantauit, quorum hoc est exordium:

Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe redemptor,
Cui puerile decus promspsit Osanna pium, &c.

Origo hymni: Gloria laus & honor, &c.

Quibus Imperator emollitus, mox eum à vinculis absolui præcepit, & priori gratiæ redonauit; sed dum ad sua reuertitur, veneno, sicut fertur, extinguitur. Cui successit in Episcopatu Ionas vir venerabilis, qui contra Claudium Taurinensem Episcopum hæresiarcham librum de adoranda edidit Cruce. Dogmatizauit enim memoratus hæreticus Crucis dominicæ signum non oportere adorari, quod nisi adhibeatur frontibus nostris, siue aquis quibus regeneramur, aut Chrismati, quo linimur, aut sacrificio, quo vegetamur, nihil ritè perficitur. Sed ei memoratus Episcopus Ionas satis lucidè, catholicèq; illo suo respondit libello. Floruit etiam hoc eodem tempore vir quidam Rabanus nomine, qui & ipse de laude Crucis librum diuersis schematibus decoratum, metricè composuit. Porrò Ludouico Imperatori quatuor eius successêre filij, quorum Lotharius post patris obitum, non multis diebus euolutis, aduersa valetudine correptus, Imperij sui temperamento derelicto, factus est Monachus, relinquēs filio suo Ludouico Italiæ dignitatem Imperij. Carolus verò Pius, Franciam, Burgundiam, & Aquitaniam obtinuit solus.

Staurомаstyges iam olim.

Lotharius ex Rege monachus.

Explicit Chronicon Hugonis.

INDEX.

A.

Apostol

B.

Britanni

Constans

E.

F.

G.

Leodega-

L.

M.

N.

O.

Pontificum

Septem

FINIS.

BERN-

BERNARDI ROTTENDORFF MED. D.

NOTÆ AD HVGONIS FLORIACENSIS CHRONICON.

P*Agina prima, Ninus.*) Ninus non primus, sed tertius Assyriorum Rex fuit, vt ex Beroso manifestum est. Sed quia Ninus primus est inter eos, quorum memoriam historiæ propagarunt: iccirco Ctesias, Diodorus, Iustinus, Eusebius, Orosius, Cassiodorus. & ceteri Historici & Chronologi, communiter à Nino historiam suam auspicantur; quos & in præsens noster Hugo imitatur.

Ibid. Indis bellum intulit, quos præter illum nullus ante subegerat.) Verum est, quòd animosissimè Strabrobati Indorum Regi bellum intulerit, nunquam tamen illum subegit, licèt illius vires nonnihil subinde attriuerit; quod etiam non exiguâ suorum clade factum. Vide Diodorum Siculum lib. 2. Vbi disertè illam toti Asiæ præter Indiam imperasse dicit.

Ibid. Babylonem ciuitatem ædificauit.) Primus Babylonis conditor & auctor fuit Nemroth siue Belus Nini pater: post Euphratis alluuie & inundationibus destructam ac pœnè dirutam vrbem, Semiramis aggeribus & nouo muro coctili exornauit ac muniuit. Vide Herodotum lib. I. Strabonem lib. 16. Semiramide deinde mortuâ, à Regibus deserta, ab hostibus vastata, ac omni elegantiâ orbata fuit; donec eam reædificaret, ac de integro restauraret Nabuchodonosor; vnde apud Danielem inducitur sese iactare: Nonnè hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui domum regni cap. 4.

Ibid. Cùm XXXII. annos post Ninum regno potita fuisset.) Iustinus lib. 1. vti etiam Diodor. lib. 2. cap. 20. annos ponunt XLII. proin librarij exerrationem hic esse suspicor.

Ibid A filio interfecta.) Exemplum sanè viraginis, heroinæ & bellatricis, & prudentiæ virilis in fœmina hac elucet: siquidem & immensos exercitus duxit, & maxima bella gessit, & regnum valde amplificauit, sed lasciua & libidinosa, & propterea à filio Nino interfecta, vt aliqui tradunt anno ætatis 62. Iustinus hanc addit causam, quòd illum fœdè ad concubitum solicitasset: alij aliter narrant. Eius historiam tradunt Iustinus, Berosus, Diodorus, Plutarchus, Strabo.

Pag. 2. Impugnaretur à Chaldæis) De hoc altissimum apud Moysen & Iosephum est silentium, qui Abrahami migrationem simpliciter iussui diuino adscribunt.

Ibid. Quòd ipsi colerent ignem.) Tradunt Hebræi Abrahamum in ignem à Chaldæis esse missum, quòd ignem adorare nollet, Dei tandem singulari auxilio, ab illo idololatræ igne liberatum: sed fabulosum hoc prorsus. Vide Hieronimum & Pererium super Genesin. De igne à Chaldæis, Persis, alijsque populis culto, præter Herodotum, Strabonem, Diodorum, Curtium, Pausaniam, Procopium, vide Tiraquell. ad Alexandri dies genial. lib 6. Cap. 4. Cæl. Rhodigin. lib. 15. cap. 15.

Ibid. Io qua vt magna Dea) Hæc Ægyptijs adeò cara fuit, vt post mortem Dea habita sit, quam illi Isidem appellarunt, sacraque illius Isiaca, quibus anser immolari consueuerat. Vide Ouid. lib. 1. Metamorph. Plutarchus autem de Iside & Osiride, physicè omnia exponit.

Ibid. Iacob nonagenarius.) Augustinus Torniellus in Annalibus suis accuratissima

ratissimâ supputatione ostendit, Iacob anno ætatis 84. Liam & Rachel duxisse vxores; Et sequenti videlicet 85. Liam ei peperisse filium Ruben. Vide si placet Torniel. ad annum 2281.

Pag. 3. Annis multis.) Tempus habitationis Ægyptiacæ, tàm in scriptura sacra, quam apud Ecclesiasticos scriptores variat, vt consultò Hugo annos determinatos exprimere noluisse videatur.

Ibid. Animabus septuaginta.) Ita Moyses Gen. cap. 46. vers. 7. & Ioseph. Antiq. Iudaic. lib. 2. cap. 4. S. Stephanus autem Actor. 5. v. 14. habet septuaginta quinque, cum quo etiam LXX. Interpretes consentiunt, quinque nepotes Iosephi postea in Ægypto natos includentes. Vide doctiss. Tirinum in Genes. cap. 46. v. 26.

Ibid. Vnde extant nunc in eodem huius signi certissima monumenta.) Vnde isthæc habeat Hugo diuinare nequeo, licet minutatim super hac re excusserim Itinerum & peregrinationum Terræ sanctæ scriptores.

Ibid. Nec vlla capillorum vel vnguium excretio eis dominata.) Fabulosum videtur esse; siquidem Deuteronom. cap. 29. v. 5. vbi de calceamentis & vestibus legitur, nulla fit vnguium & capillorum mentio.

Ibid. Qui ipsam Athenarum condidit ciuitatem.) Sunt qui à Neptuno & ipsâmet Mineruâ conditam velint: Cæl. Rhodig lib. 21. cap. 18. quod propius ad fabulas accedit. Ceterum Cecrops primus Atheniensium Rex, non ipsas Athenas, sed arcem tantùm, quam Cecropiam à se vocauit, condidit, vnam de duodecim Atticæ oppidis, quæ Theseus in vnum contracta, Athenas dici voluit. Plutarchus & Strabo.

Ibid. Athanate Parthene.) Alij aliud etymon produnt, quorum maior fides. Vide Cæl. Rhodig. lib. 14. cap. 18.

Ibid. Ad lacum qui Tritonis dicitur. Est lacus ille vastus, ex quo cognominis fluuius emergit, haud procul Syrti minori in Africa; à cuius nomine Pallas Tritonis & Tritonia appellatur quòd circa hunc fluuium vel lacum, primum apparuerit: hinc & nonnullis per fabulam Neptuno & Tritonide prognata perhibetur. Hanc paludem Plin. lib. 5. cap. 4. à Callimacho Pallantiam dici asserit.

Pag 5. Ierosolymam nuncupauit.) Varijs hæc nominibus olim vocabatur, quæ vide exposita apud Lyranum & Villalpandum, Serarium & Sanctium. Interim Hierosolymæ nomen, à Dauide Rege ciuitati Iudæorum primariæ inditum esse, necdum reperi. Iosephus lib. 7. Antiq. Iudaic. cap. 3. nil amplius dicit, quam quod Dauid superiorem vrbis partem & arcem in ea conditam, in vnum corpus redegerit, eamque primus à se ciuitatem denominauerit. Denominauit autem non Hierosolymæ nomine, sed ciuitatis Dauid, cuius frequens est in sacris literis mentio. l. 2. Reg. c. 5. v. 7. & cæt.

Ibid. Regni sui anno IV. & egressionis Israël de Ægypto D II.) Calculus Hugonis à reliquis multum discrepat. Tornellus à Diluuio vsque ad principium ædificationis templi annos habet 1366. ab exitu Abrahami de Chaldæa 910. ab exitu Israëlis de Ægypto 480. qui vltimus numerus expressè etiam habetur lib. 3. Reg. c. 6. v. 1. cum quo exactè concordat Bucholtzerus, in indice Chronologico.

Pag. 7. Samaria quæ nunc Sebaste vocatur.) Samariam ab Ierosolymis itinere vnius diei distantem, Herodes restaurauit, ampliauit, ac firmissimis mœnibus circumdedit; veterique abrogato nomine, in honorem Cæsaris Augusti Sebasten deinceps appellari mandauit: Sebaste enim Græcis idem sonat, quod Latinis Augusta.

Ibid. Ochozias siue Azarias, &c.) Malè hic proauus & pronepos confunduntur. Ochozias enim Ioas genuit, hic Amasiam, & Amasias Azariam. 4. Reg. c. 14. Porrò Matthæus in Christi Genealogia non tres, sed quatuor modò recensitos prætermittit.

Pag. 8. Regem Tarquinium interfecit.) Non à L. Bruto Tarquinius superbus interfectus; sed cùm filius eius Sextus Tarquinius Lucretiæ per vim stuprum intulisset, cum vniuersa familia ab eo in exilium actus est. Liuius, Plutarchus. Interim L. Brutus & Aruns Tarquinij Regis filius natu grandior, singulari certamine ad Regillum lacum congressi, mutuis vulneribus ambo occubuêre.

Ibid. Ioathan. Hic ædificauit sublimissimam portam domus Domini, quæ in Actis Apostolorum speciosa vocatur.) Sublimissima illa porta quam Rex Ioathan ædificasse legitur, 4. Reg. c. 15 v. 35. non potuit esse speciosa illa cuius Lucas meminit Actor. 3. v. 2. & 10. Nam prius illud Salomonis templum Assyrij solotenus destruxerant. Coniectat interim Mariana in Scholijs suis ad prædictum Actorum locum, fortassis substitutam fuisse speciosam eò loci, vbi prius sublimissima illa porta fuerat; quæ suspicio vti probabilitate non caret, ita certæ affirmationis sufficiens fundamentum non habet.

Ibid. In monte Garizim) Hic mons Samariæ, iuxta Galgal vltra Iordanem Sichimorum imminet ciuitati. Iudic. 9. Deut. 11 Macch. 6. Templum in eo a Sanaballat extructum æmulum Ierosolymitano: vnde lis illa solemnis inter Samaritanos & Iudæos, etiam tempore Christi, vtro in loco & templo sacrificandum esset Deo. Ioan. 4. v. 20.

Pag. 9. Quibus minimè coutebantur Iudæi.) Id est, nullum volebant cum Samaritanis habere commercium Iudæi. Qui autem fuerint Samaritani, & cur adeò Iudæis exosi, vide Tirinum ad 4 Reg. c. 17. v. 24.

Ibid. Sed Nechao regressus, &c. & tria millia virorum captos in Babylonem duxit.) Pro Nechao Nabuchodonosor legendum esse censeo. Siquidem non fuit is Pharao Nechao, sed Nabuchodonosor, qui Ioachim regem Iuda primò sibi vectigalem fecit, deinde interfecit: vide Ioseph. Antiq. Iudaic lib. 9. cap. 8. Item lib. 4. Reg. cap. 24. vbi de Nechao isto capite præcedenti actum fuerat; qui etiam vt Ægypti Rex, non reperitur in Assyriam spolia auexisse.

Ibid In montem Abarim.) Mons in quem Moyses ascendit, vt terram promissionis contemplaretur, mons Nebo est, ita enim habetur Deutr. cap. 32. v. 49. Alter autem ille mons Abarim priori conterminus, & per hunc Moyses transiuit, cum ad illum tenderet. Vterque altissimus, & ascensu difficillimus, Ammonitidem & Moabitidem regionem a Chananæa terra disterminans.

Ibid: Et latent ibi hæc omnia vsque in præsentem diem.) Vbi Ieremias Tabernaculum fœderis, arcam & altare incensi absconderit, vide Machabæor. lib. 2. cap. 2. & omnia clarius apud Tirinum ad eundem locum, & Torniellum ad annum 3447. n. 8.

Pag.10. *Per annos* DCXII.) Centenarius numerus per mendum quod irrepsit, superfluus est; quod præcedentis numeri DCCCCXIV. & sequentis CCCC. & XXX. cum illo collatio euidenter demonstrat.

Ibid. Anno quadringentesimo.) Torniellus numerat à templo condito vsq; ad idem destructum, annos 423. cœpit enim ædificari anno 3023. perijt anno 3446.

Ibid. Et his diebus finitur mundi ætas IV.) Torniellus hic V. finit ætatem; sed mirè in talibus, quisq; pro ingenio suo, variant Auctores.

Ibid. Quo decedente regnauit Euil Merodach.) Euil Merodach Nabuchodonosoris filius, patri extincto succedens, decimus post diuisam in Babylonios & Medos Assyriorum Monarchiam, Babylonis & Chaldæorum Rex fuit. Danieli quidem passim & propriè quidem Balthasar vocatur. Vide Chronicon sacrum Tirini cap. 34. & 35. Alio itidem nomine Nabo vocatur, Isaiæ 46. v. 1. & Merodach, Ieremiæ. 50. v. 2. & Euil-Merodach 4. Regum vlt. Alijs Amelinus, Amilmathapacus, & Abimatadocus. Herodoto Labinitus dicitur, Zonaræ Euilad-Merodach, & Cedreno Vle-Merodach. Merodach verò commune Chaldæis Regibus nomen fuit, à primo illo, qui iugum Assyriorum excussit, in reliquos successores deriuatum. Pari ratione Ægyptiorum Reges appellati Pharaones; Parthorum Arsacidæ; Persarum Achæmenidæ; Romanorum Cæsares.

Ibid. Post Euil-Merodach Laborsordach) Inter hos duos, Iosephus lib. 10. Antiq. Iud. c. 12. & lib. 1. contra Apion. Neglisar siue Niriglissoroor ponit; quem Hugo noster Egesar vocatum malè postponit: Alij Regassar appellant Ab hoc Egesar siue Neglisar, ante memoratus Euil-Merodach interemptus est. Vide de his Regibus Babylonis Torniell ad annum 3472. n. 5. Theatrum vitæ Beyerlingij litt M. 50. h. & Syntagma Heroicum Reineccij part 1. pag. 62.

Ibid. Scythiamq; sibi subegit.) Cùm tot victoriæ Cyrum in Scythas animassent, quorum irruptiones sæpè Asiæ funestas meminerat; postremam sibi fatalem in Massegetas, (populi Scythici sunt,) expeditionem suscepit. Etsi enim initio victor, Sargapisem Tomyridis Scythiæ Reginæ filium astu oppressit: hoc ipso tamen Scythæ potius irritati, quàm fracti aut subacti. Tomyris itaque non prius finem fecit furori, quàm mortem filij vlta sit: proin contractis vndique copijs, & ipsâ quodammodo vltimâ regni mole excitâ, ita conflixit, vt maximam inimicorum partem, cum ipso etiamnum Cyro Rege ceciderit. Nec taliter rabies Tomyridis emollita fuit; mortui enim Cyri caput resectum in vtrem humano cruore plenum mersit, his verbis insultans: Satia te sanguine, quo expleri nequisti, &c.

Ibid. Babyloniam obsedit.) Huius vrbis situm, splendorem, amplitudinem & magnificentiam, vide apud Diodor. Sic. Lib. 1. Strabon. Lib. 16. Herod. Lib. 1. Paul. Orosium Lib. 2. cap. 6. & alios

Pag. 11. Turris, quæ post diluuium à Nemroth Gigante, & cet) Licèt textus sacer expressè non meminerit Nemrodi, tanquam illius turris auctoris; communis tamen opinio id probat, coniecturâ ductâ ex Genes. cap. 10. vers 8. Nemroth cœpit esse potens in terra: & eodem cap. vers 10 Principium regni eius fuit Babylon. Absque dubio, eidem & coniecturæ Ioseph Antiq Iud. Lib. 1. c. 5. & Aug. Lib. 16. Ciuit. Dei cap. 4. innituntur, dum illum fabricæ illius primum

auctorem

auctorem constituunt. Finis sanè nullus alius fuit, quàm ambitiosa cupiditas nomen suum ad posteros propagandi, ac simul Deo illudendi; vt, si rursus immitteret terris diluuium, esset quò se impij ab aquis tutos reciperent. Sed isthæc Deo displicuisse constat, vt qui operis progressum impediuerit dissonantiâ & confusione linguarum, vt amplius sese inuicem intelligere nequirent.

Ibid. Habens in altum quinque millia passuum.) Diuus Hieronymus sub finem Lib. 5. Commentar. suor. in Isaiam, mira de altitudine huius turris refert: scilicet eam habuisse altitudinem quatuor mille passuum, siue miliaris magni, quod Germanicum dicimus: Subiungit tamen idem paulò post; eadem pœnè incredibilia videri, quæ perhibentur de dicta turri. Vide Torniell. ad an. 1391. n. 6. vbi inter cætera ait, fuisse qui asseruerint, Nimrodo fuisse propositum, ad quinque millia passuum altitudinem, turrim suam attollere, sed opere necdum perfecto, ob decantatissimum impedimentum destitisse.

Ibid. Aduenerat ibi Crœsus.) Narrat Herodotus Lib. 1. Crœsum cum Babylonijs fœdus pepigisse, cuius etiam fiduciâ ab ijsdem, cum Cyro in Asia minori conflicturus, auxilia accersiuerit: ipsum Crœsum autem, Babylonem fuisse profectum, non facilè apud quempiam reperietur.

Ibid. Illo tempore, quo à Cyro Babylonia capta, & cet.) Triginta circiter anni intersunt inter Babyloniam subuersam, & Romam à Regum tyrannide liberatam. Porrò non solus Cyrus, sed vnà cum ipso Darius Medus Babyloniam cœpit, quod prædictum erat Esaiæ cap. 14. vers. 17. 18. Suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: sed sagittis paruulos interficient, & lactantibus vteris non miserebuntur, & cet.

Ibid. Ædificauit ibi hanc, quæ nunc incolitur, Babyloniam.) Quamuis pleriq; velint Babylonem à Cyro & Dario non funditus euersam, sed crudelissime duntaxat expugnatam; omnino tamen probabile est, & conforme Prophetarum vaticinijs, antiquam illam Babylonem penitus fuisse subuersam, eam verò quæ hodie Baldach, vel Bagadat à Turcis vocatur, non esse eandem cum antiqua Babylone, sed ex ruinis eiusdem coaluisse; quod Ioannes Catonicus, qui totam Syriam peragrauit, post Abrahamum Ortelium satis neruosè affirmat in suo Itinerario.

Ibid. Cambyses Cyri Regis filius, secundus Nabuchodonosor appellatur.) Qui hoc nomine secundus regnauit, est ille famosus toties in sacris literis decantatus Rex Nabuchodonosor, non autem Cambyses, vt vult Hugo noster. Sub quo verò contigit historia Iudithæ, tertius aliquis est, longè ab hoc diuersus: prognatus quidem Chaldaico Regum Babylonis sanguine: ast casu aliquo in Syriam delapsus, ac Assar-Haddoni Assyriorum tunc Monarchæ, vel filius adoptiuus, vel cetrèlgener, aut alio modo affinis factus; atque ita successor eiusdem in imperio: cui postmodum in æternam suæ familiæ & sanguinis memoriam, Chaldaicum nomen Regum Babylonicorum, Nabuchodonosor, retinere placuit. Præterea historia hæc de Iudith, multis annis ante Persarum Monarchiam, anno præterpropter Manassis decimo contigisse perhibetur; super qua re vide Chron. sacr. Tirini cap. 33. & eiusdem Tirini Comment. ad lib. Iudith. c. 1. v. 5. & cap. 2. v. 4.

Pag. 12. Quadraginta & sex annis ædificatum est templum illud) Quæ Iudæi

Ioan.

Ioan. 2. v. 20. de XLVI. annis, quibus templi structura perfecta sit, Christo obijciunt, doctiss. Tirinus non ad templum Salomonis vel Esdræ, (qui longè paucioribus annis suam fabricam expediuerunt, nec illa iam extabat amplius) sed Herodis Ascalonitæ refert; qui vt haberi posset Messias, (quem Prophetæ prædixerant instauraturum templum Dei,) diruto templo Esdræ, aliud longè magnificentius ædificare cœpit anno regni sui 21. &c. Vide Chron. sacr. Tirini ad cap. 45. & Baron. ad annum Christi 31. Quem sequitur Torniell. ad ann. 3540. n. 2.

Ibid. Artabano Artaxerxes Longimanus successit.) Artabanus ille inter Reges Persarum communiter non recensetur, regno tamen septem menses potitus fuit, qui includuntur anno 21. Xerxis. Hic postquam Xerxem è medio sustulit, Artaxerxi filio auctor fuit, vt fratrem Darium natu grandiorem maturè aggrederetur, si regno potiri vellet; addebatque patrem iam à filio enecatum, fratrique haud minus imminere periculum. Artaxerxes itaque deceptus, Darium interfecit, sicque parricidium parricidio vindicauit. Tunc Artabanus consilia cœpta præclarè sibi cessisse ratus; regni potiundi caussa vitæ etiam Artaxerxis insidiatus est; qui, proditis insidijs, Artabanum seu vi, seu astu circumuentum, cum liberis & tota domo iugulauit: ac ita præclarè & cædem patris, & necem fratris, & sese ab insidijs vindicauit, quæ omnia fusius Diodor. lib. 2. & Iustin. lib. 3.

Ibid. Rex irâ commotus illam deseruit, & Hesther suo coniugio copulauit.) Num Reginæ Hesther maritus Artaxerxes Longimanus fuerit, inter scriptores controuertitur. Card. Bellarminus Lib. 1. de verbo Dei, c. 7. post Iosephum, Nicephorum Constantinop. Patriarcham, & Sulpitium Seuerum affirmat; à quo dissentit, & argumenta eius refutat Torniell. sub ann. 3650. secutus Eusebium, Isidorum, Bedam, & nouissimè Pererium in Danielem, aliosque plures; quibus & applaudit Tirinus Comment. In lib. Esther. c. 1 v. 1.

Ibid. Iste est Artaxerxes, qui totam Græciam bellis edomitam: & cet.) De Græcia ab Artaxerxe subacta, non memini me vspiam quid legisse. Probus præter amplissimam, pulcherrimamque corporis formam, incredibilem virtutem eius bellicam prædicat: Ceterum de rebus ab illo gestis legendus est Thucidides cum primis, cuius exulis Artaxerxes hospes liberalissimus & longè magnificentissimus fuit, &c.

Pag. 13. Posthac bellum ciuile apud Persas exortum est: cùm Artaxerxes & Cyrus fratres de regno ambigerent.) Cyrum illum iuniorem cui Xenophon militauit, hoc loco Hugo noster, senioris Artaxerxis cui Longimani nomen, fratrem facere videtur, eò quòd immediatè illius gesta hîc subnectat. Ex sequentibus tamen apparet, quòd de Artaxerxe Mnemone loquatur, ideo quod ipsi Ochum subijciat. Fuit autem inter duos Artaxerxes medius aliquis, Darius videlicet Nothus, Mnemonis parens, & Longimani sororis maritus, vel potius vt Plutarchus vult, gener, qui regnauit annis XIX. Vide Xenophont. Plutarch. Iustin. & Reineccium in Syntag. heroico, part. 2.

Ibid. Contra Pharnabazum & Tissaphernem feliciter dimicauit.) Historiam hic in Hugone ex signis non obscuris experior; siquidem Artaxerxes aduersus suos belli duces nunquam pugnauit, sed Tissaphernem ob perfidiam; & quædam

dam segnius expedientem capite truncari iussit. Agesilaus autem Lacedæmoniorum Rex, contra vtrosque illos in Asia rem gessit; ad quem referenda esse quæ hoc loco Hugo tradit, sequentia de rebus Ægyptiacis euidenter etiam arguunt.

Ibid. Ægyptum suo subiecit imperio.) Artaxerxes secundò Ægyptijs, sed frustra & infeliciter bellum mouit. Agesilaus autem in Ægypto primum Tacho, exinde Nectanabi Regi militauit; cui & de hostibus victor regnum stabiliuit, sibi autem nihil acquisiuit præter stipendia, & 230. talentorum argenti donatiuum. Vide Plutarchum & Xenophontem in vita Agesilai.

Ibid. Xerxes qui cognominatus Ochus.) Plutarcho & Iustino simpliciter Ochus dicitur. Diodorus, Orosius, Torniellus, Reineccius, Carion, Bucholtzerus, Alstedius Artaxerxem Ochum appellant. Parricida fuit sceleratissimus, vtpote qui vno die 80. fratres interfecit: de eo & eius sceleribus vide Iustin. lib. 9. Diodorum lib. 16. Athenæum lib. 6.

Ibid. Mille auri talenta.) Tot auri pondo fuisse, Florus, Liuius, & Orosius scribunt: Multum autem differre auri talentum & pondo, ex Agricola & Budæo discimus; illudque huic longè præponderat, vtpote 6750. aureis solatis æstimatum.

Ibid. Neemias scriba legis Dei.) Neemiam Sacerdotem fuisse manifestum est ex 2. Machabæor. 1. vers. 21. Vt genere & sanctitate, sic & naturæ dotibus excelluisse, vel inde colligimus, quòd potentissimo Persarum Monarchæ Artaxerxi & charus admodum, & pro pincerna fuerit, seu à poculis: quod officium non nisi primæ notæ Aulicis concedi solet.

Ibid. Neemias duodecim annis ducatum præbuit Sacerdotij in Ierusalem.) Artaxerxis singulari indulto, Neemias totis duodecim annis Ducem populi egit in Iudæa, in qua Rex operam eius & præsentiam sentiebat non vtilem modò, sed & necessariam esse, Esdræ lib. 2. cap. 2. vers. 6. Item cap. 5. vers. 14. & cap. 13. vers. 6. Verùm nihil ibi de Sacerdotij Ducatu, qui sine dubio penes Summum Sacerdotem fuit, qui illo tempore erat Eliasib Sacerdos magnus; ita enim Summus Pontifex tum apud Esdram, tùm etiam Neemiam & Aggæum vocatur.

Pag. 14. In campis Adrasti.) Adrastiæ campi Straboni non semel vocantur: est autem Adrastia regiuncula Troadis siue Phrygiæ minoris, per quam fluit Granicus amnis, conflictu illo Alexandri cum Darij Ducibus nobilis: vnde plerisque scriptorum ille conflictus, Pugna ad Granicum vocatur; è Iustini Lib. 11. Hugo hæc mutuatus est, qui Adrastios campos vocat: errat autem Hugo noster in illo, quòd campos illos trans Euphratem collocet.

Ibid. Magna cædes Persarum.) In numero Persicarum copiarum ad Granicum cæsarum aut profligatarum mirè variant auctores; quos curiosiori Lectori adeundos esse censeo.

Pag. 15.) Vinciuntur aureis catenis à cognatis suis,) Ita Iustin. Lib. 11. Curt. Lib. 5. cap. 23. Nec prnicipi hoc Dario tantùm contigit, Astyagem Cyrus, Cyrum Iuniorem Artaxerxes aureis vinculis constrinxit, vt Iustinus & Chrysost. Brusæus docent. Cognati autem à quibus aureis compedibus vinctus Dari-

us fuêre Bessus & Nabarzanes, quibus Brazan satrapam addit Arrianus, libr, 3.

Ibid. Alexandriam super amnem Tanaim ædificauit.) Ita Iustinus Lib. 12. Curtius lib. 7. Arrianus lib. 4. Verùm vrbis illius iuxta Tanaim fluuium conditæ, nec apud Plinium nec apud Strabonem mentio, neque Alexander aliquando ad Tanaim vsque penetrauit, sed procul ab illo res gessit, immò vix quicquam eius præter ostia cognitum etiam tunc suo æuo fuisse, idem Strabo auctor est. Plura de Tanae vide apud Sigismund. Herbenstain in Historia Moscouica, Ioann. Goropium Becanum, & Matth. Raderum ad Curtium, Lib. 6, cap. 2 & Lib. 7. cap. 18.

Ibid. A Babylonia reuersus.) Babyloniam reuersus legendum esse censeo; eò enim Alexander debellatâ iam Cossęorum gente, paulò ante obitum contenderat: vrbem tamen illam Chaldæorum oraculis territus, primùm nonnihil declinauerat, per Nearchum admonitus, ne illam ingrederetur, quòd illi Babylone vltimum vitæ periculum immineret. Græci autem ridentes, & acriter Chaldæorum denunciationes refutantes, Alexandrum per Anaxagoram Philosophum illuc deduxerunt. Verùm cum Alexander fatalem moriendi necessitatem ex signis non obscuris sibi instare perspiceret, Dijs Auerruncis sacra peregit, animoque reuoluit, quæ à Chaldæis monitus erat; doluitque se Babylonem ingressum, Philosophos Græcorum execratus, quorum consilio Babylonem intrarat. Vide Senecæ Suasoriam IV. vbi post vaticinia & oracula, denunciatumque ab augure periculum, dubitabundus Alexander introducitur, an Babylonia ingredienda? Prodigia & portenta quæ proximam Alexandro mortem denunciarunt, reperies apud Plutarchum, Diodorum, Arrianum, & cet.

Ibid Suorum insidijs vitam veneno finiuit.) Plurium consensus est, morbo illum ex commessatione contracto interijsse. Ita Diodorus, Solinus, Seneca, Plutarchus, Athenæus, Arrianus, qui ex diarijs Alexandri tam accuratè singulorum dierum valetudinem refert, vt facilè euanescat illud de veneno commentum; quod tamen Curt. Lib. 10. & Iustinus Lib. 12, constanter tuentur, quos Hugo noster secutus est.

Ibid. Vita sua anno XXXII. regni verò XXII.) In annis regni numerus ille X. superfluus videtur. Ceterum & in ætatis & imperij annis ei adsignandis, variant nonnihil auctores. Vitæ attribuit Arrianus annos XXXII. menses VIII. Cicero XXXIII. Iustinus totidem. Eusebius XXXII. Nicephorus Constantinop. XXXVI. (quod omnino falsum.) Imperio illius sacra scriptura 1. Machab. 1. adsignat annos XII. Liuius annos XIII. Arrianus XII. & VIII. menses. Æmilius Probus XIII. Salianus totidem. Clemens Alexandrinus XIIX. quod itidem falsum.

Ibid. Philippus qui & Arideus dicebatur.) Natus ex scorto Larissæo; cui Philippi nomen milites Macedonici indiderunt, cùm post Alexandri obitum Regem illum adsumerent. Iustin. lib. 13. Verùm non sortitus hic, vt ait Hugo, Macedonas, sed Rex omnium prouinciarum creatus, tali lege, vt rerum summa penes illum, in omnes prouincias & regna, ipsosque Prætores esset & maneret, Regiones verò in copiarum principes diuiderentur, Curt. lib. 10. Diodor. lib. 18.

Ibid,

Ibid. Deinde egregij quinque viri.) Videtur legendum Quique viri, non enim quinque, sed longè plures fuerunt, in quos Alexandri imperium diuisum est, quam diuisionem in tabulis, vt omnia clarius pateant, tum ex Andrea Schotto, tum ex Diodoro, Dexippo, Arriano, Iustino, & Orosio Doctiss. Raderus Commentario suo ad cap. 13 lib. 10. Curtij omnibus dilucidè spectandam proponit.

Ibid. Reges ex præfectis facti.) Diadema non omnes, sed aliqui sumpserunt. Primus omnium Antigonus duplici victoriâ de Eumene & Ptolomæo elatus, Rex cum Demetrio filio appellari voluit; quod exemplum alij deinde imitati & secuti sunt, regium nomen sibi dignitatemque arrogantes. Vide Orosium, si placet, lib. 3 c. 23 & alios.

Pag. 17. Tres modios annulorum aureorum Carthaginem misit.) Ita Plinius & Eutropius, quos Hugo noster secutus. Florus duos habet, Liuius inquit: Fama tenuit, quæ propior vero est, haud plus fuisse modio. Ob acceptam hac clade ignominiam vsque ad Seueri Imperatoris tempora, non nisi Tribunis aureorum annulorum vsus in expeditionibus concessus fuit. Immanis interim peremptorum equitum numerus proculdubio fuit, si detracti singulis annuli, tantam mensuram expleuerint. Tartari qui Poloniam & Silesiam anno Christi 1240. vastabant, ingenti prælio Henricum Vratislauiæ Ducem superarunt, tot Christianis occisis, vt singulis singulæ auriculæ à victoribus præcisæ, nouem ingentes saccos expleuerint.

Ibid. Adeò desperauerunt Romani, vt de relinquenda Italia. & cet.) Consultatio ista non senatus populivè Romani fuit, sed Nobilium Procerumque post cladem acceptam Canusij degentium, quos P. Scipio post Africanus dictus, iurare compulit neutiquam Italiam se deserturos. Formulam iuramenti vide apud Liuium: Lib. 22. cap. 52. pag. mihi 472.

Ibid. Sed horum nepos Scipio) Scipiones qui in Hispania periêre, alter pater, alter patruus Scipionis Africani fuerunt: quod idem cum Auctor noster hic statim agnoscat, subit nonnihil mirari, cur illum vtriusque nepotem faciat.

Ibid. Omnem Hispaniam à Pyrenæo vsq; ad Oceanum in prouinciam redegit.) Idem Florus Lib. 2. cap. 6. testatur, dum inquit: In vltionem patris ac patrui missus cum exercitu Scipio, cui tam grande de Africa nomen fata decreuerant, bellatricem illam viris armisq; nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam Annibalis eruditricem, (incredibile dictu) totam à Pyrenæis montibus in Herculis columnas, & Oceanum recuperauit. Hactenus Florus. Ceterum Hispania à Cæsare Augusto demum tota perdomita est, debellatis & subactis Cantabris & Asturibus

Ibid. Hannibal in Africam redire compulsus est.) Quæ fuerit caussa reuocati à Carthaginensibus in Africam Hannibalis, Liuius Lib. 30. alijque luculenter narrant, quæ Hugo noster pro instituto suo breuitati insistens, compendiosius abrumpit.

Ibid. Carthago qua XXII. millibus passuum, & cet.) Carthaginis situm vide apud Appianum in Lybico. Eutropium lib. 4. Orosium lib. 4. cap. 22. & Strabonem lib. 17. mihi pag. 544. vbi 360. stadia in ambitu illi attribuit.

Ibid. Arx eius Byrsa nomen erat.) Byrsa Græcis corium significat: nomen hocce arci ideò inditum est, quòd Dido, cùm à Tyro ob Pygmalionis Regis tyrannidem profuga in Africam appulisset, tantùm à Iarba Getuliæ Rege agri impetrarat, quantùm bouis tergore posset comprehendi. Dido itaque corio illo in tenuissimas corrigias dissecto, tria ferè passuum millia (si Seruio Honorato fides habenda,) complexa fuit, atque taliter & arcis Byrsæ & vrbis Carthaginis fundamenta iecit. Plura de Carthaginis initio vide apud Appianum in Lybicis, Sabell. lib. 9. Ennead. primæ, Serarium in Curtium, Stadium in Florum, & passim apud alios.

Ibid. Diruta & contremata est ipsa ciuitas anno à conditione sua 700.) Cicero lib. 1. de Repub. vt ex fragmentis eius apparet, vult non nisi 600. stetisse annos Carthaginem; Verùm illa sententia communiter reprobatur. Cum Hugone faciunt Appianus & Eutropius. Eusebius non nisi diuersorum discrepantes sententias refert. Velleius Paterculus habet 667 annos; Sabellicus 737. Stadius ad Florum 677. Torniellus 741.

Ibid. Expugnata primum Numidia à Metello, demum à Mario domita.) Quatuor Duces contra Iugurtham bellasse Salustius, Florus & Orosius referunt, Calpurnium videlicet Bestiam, Postumium Albinum, Metellum & Marium, omnes Consules. Hugo autem non nisi illos refert, qui pro dignitate nominis Romani, & ad Gloriam inde reportandam, strenuè sese inibi gesserunt.

Ibid. In Italia quoq; Epirota.) Videtur innuere velle Epirotas Italiæ populum esse: nisi fortè eò Auctoris dicta trahi debeant, quòd sub Alexandro & Pyrrho Epyri Regibus, in Italia multis annis bella gesserint Epirotæ.

Pag 18. In illis diebus quidam Eleazarus ætate prouectus, &c.) Fuit de primoribus Scribarum, vir sanè diuinarum literarum scientia præcellens. S. Ambrosius & Nazianzenus vocant ipsum patrem, id est, magistrum & doctorem septē puerorum Machabæorum, de quibus paulò post. Vocant & primitias Martyrum veteris Testamenti, sicut Stephanum noui; non quod tempore primus fuerit, sed quod nobilitate martyrij certârit cum primis. Sic in lib. Numer. & alibi, sæpius primitiæ fructuum vocantur non soli primi fructus, sed præstantiores quique.

Pag. 19. Contigit eodem tempore septem fratres cum matre ad similem vibum compelli.) Septem horum fratrum nomina a Iosepho recensentur hoc ordine: Machabæus, Aber, Machiri, Iudas, Achas, Areth, Iacob. Omnes porrò vocantur Machabæi, à matre sua, inquit S. Thomas; vel à primo fratrum, vt mauult Serarius; vel certè à robore & fortitudine animi, quâ tyrannum superarunt, vt putat Scaliger. Passi sunt anno VIII. regni Antiochi Epiphanis, paulò ante quàm aduersus tyrannum arma capesseret Mathathias. Vide Machab lib 2. cap. 7. & elegantem libell. Iosephi de Imperio rationis, in quo Machabæorum martyrium graphicè describit.

Ibid. In illis diebus Iudas Machabæus, & cet.) Hic Mathathiæ filius fuit, & in Pontificatu simul ac principatu successor, pluribus exinceps victorijs celeberrimus: fuit animi magnitudine, clementiâ, pietate, constantiâ in religione propagandâ incredibili; vt excitatum, adiutum, ac defensum diuinitus nullum dubium

bium sit. Vicit & profligauit Apollonium, Seronem, Gorgiam, Lysiam, Ptolomæum, Nicanorem, Timotheum, Bacchidem, & Callisthenem: Templum item Iouis Olympij, cremato Idolo purgauit, ac fœdus cum Romanis fecit. Vide Machab. lib. 1. c. 3. & lib 2. c. 8.

Ibid Antiochus intulit bellum Ptolomæo Regi Ægypti.) Is fuit eius nominis sextus, cognomine Philometor, defensus à Romanis, cum Antiochus ei bellum moueret: Quomodo autem in gratiam Ptolomæi Popilius Romanorum Legatus Antiochum virgâ circumscriptum, imperata facere coegerit, Liuius lib. 45. cap. 12. mihi pag. 1206. pulchrè narrat.

Pag. 20. Hi qui dicuntur Assidæi Iudæorum.) De Assidæis celebris fuit inter Iosephum Scaligerum, ac Nicolaum Serarium controuersia, vtriusque scriptis in lucem producta. Cæterum (Assidæi pij fuêre & sancti, tum professione religionis & fidei, tum morũ præstantiâ, inquit Genebrardus. Præ cæteris enim maiorem religionis zelum & sanctitatis studium præ se ferebant, speciali societatis vinculo inter se deuincti, & specialibus institutis non minus quàm nomine à reliquo populo distincti, ferè vt nunc Religiosi: horum Præfectus seu Præpositus Generalis erat Iudas Machabæus. Quæ omnia fusius Iosephus, & nouissimè doctissimus Tirinus ad lib. 1. Machab. cap. 7. Vide itidem Epiphanium, Eusebium, Plinium, Solinum, Baronium, Serarium, & alios.

Ibid. Iussit destrui muros domus sanctæ interioris, opera videlicet sanctorum Prophetarum.) Prophetas templum vel muros eius ædificasse non reperio: hortatu tamen Prophetarum Aggæi & Zachariæ imprimis, fabrica templi sub Cambyse intermissa, animosè resumpta est & strenuè promota. Vid. Esdræ lib. 1. cap. 5. Conciones & argumenta quibus ad id vsi sunt, extant in Prophetijs eorundem, ad quos lectorem remitto.

Pag. 21. Ionathæ verò Simon frater eius successit.) Ionathas Dux & Pontifex fratri Iudæ per omnia similis, siue pietatem, siue ceteras virtutes spectes. Machab. 1. & 2. Philo, Iosephus, & alij. Simon itidem prudentiæ laude celebris. Vide lib. Machab.

Ibid. Ioannes aduersus Hircanos dimicans Hircani nomen accepit.) Ioannis cognomento Hircani præclara gesta prosequitur, lib. 4. Machab. Prosequuntur item ambo Iosephi, Flauius & Gorionides. Vocatur Hircanus à deuictis Hircanis, secundum Eusebium, D. Thomam, & Torniell. ad an. 3925.

Ibid. Aristobulus autem factus est Rex & Sacerdos.) Post 31. annos principatus & Sacerdotij sui fatis concessit Hircanus, relicto successore filio suo Aristobulo, qui loco Ducis nomen Regis cum diademate primus assumpsit, & Pontificatui adnexuit, & adnexum reliquit fratri suo Alexandro, & Alexandri filio Aristobulo II. Vide Tirinum 1. Machab. c. vlt.

Ibid. Pompeius Consul Romanorum vrbem Ierosolymam oppugnauit.) Cicerone Consule Pompeius, medio ferè inter primum & secundum Consulatum tempore, Ierosolymam vi cepit, ciuium stragem ingentem edidit, templum violauit, ac studio videndi Iudæorum Deum, Sancta sanctorum ingressus est, & cet. Item Iudææ tributum ingens imposuit, vt illo tempore vltra 10000. talentor. id est tonnas auri 60. pependerit.

Ibid. Regi Syriæ Ptolomæo Alexandro successit Ptolomæus Dionysius.) Non

Syriæ, sed Ægypti Rex fuit Alexander ille, à Dictatore Sylla Alexandrinis obtrusus, ob insolentius tamen imperium, à populo comprehensus, & paucos post dies regni sui, interfectus, vt scribit Appianus lib. 1. de bel. ciuil. aut vt Iustinus lib. 39. tradit, regno saltem pulsus. Successor eius Ptolomæus Dionysius, alio cognomine etiam Auletes dictus, cuius vita turpitudinis & flagitiorum plena; vnde Athenæus, non virum, sed tibicinem & magum fuisse ait. Filius huius Ptolomæorum vltimus eodem paterno Dionysij cognomine fuit, frater Cleopatræ.

Ibid. Contradictum est à Marcello tunc Consule, annitente Pompeio.) Ecce belli ciuilis inter Pompeium & Cæsarem semina. Caussa illius hæc fuit: Cæsar, Prouinciâ in alterum quinquennium prorogatâ, Galliam pacauerat, Britanniam domuerat, & Germaniam magnis cladibus attriuerat: Itaque haud ægrè à populo Romano impetrauit, vt in petitione Consulatus, sui etiam absentis haberetur ratio. Verum Pompeio & Consf. aduersantibus, quod nimia Cęsaris potentia Reipublicæ periculosa videretur; Senatus proximis comitijs, absentis eiusdem rationem haberi non permisit, ipseque exercitum dimittere iubetur. Pulchrè Dio Cassius lib. 41. belli illius caussam his verbis indicat: *Fuit verò hoc certamen magnum, & quale nullum aliud: Pompeius nullo hominum inferior: Cæsar verò primus omnium esse cupiebat.* Lucanus; *Nec quenquam iam ferre potest, Cæsarue priorem, Pompeiusq; parem.*

Pag. 22. Arminium cepit, & Rauennam sese contulit.) Ordo hic præposterus est: Cæsar siquidem Rauennæ primò substitit, post Arminium occupauit. Vide Ciceronem lib. 16. epist. 12. Sueton. lib. 7. Orosium lib. 6. Eutrop. lib. 6. & alios.

Ibid. Pompeius octoginta & octo cohortes.) Ita Orosius lib. 6. cap. 15. & Eutrop. lib. 6. Dissidet Cæsar lib. 3. de bel. Ciu. in copiarũ hocce numero, ac Pompeio tribuit cohortes 110. facientes millia 55. & 7. cohortes castrorũ custodiæ relictas: sibi verò scribit fuisse totidem, quot ait Hugo cohortes, quæ non ad 22. millium numerum ascenderunt. Reliquam numerorum discrepantiam, quia non magni momenti, excutere piget.

Ibid. Pompeius fugiens, & cet. in Asiam properauit, & cet.) Naui fugiens primùm in Insulam Lesbum appulit, vt vxorem Corneliam & Sextum filium, quos Mithylenæ subsistere iusserat, reperet: vix ad littus applicuerat, illicò vxorem cum filio ex vrbe euocat, ipsam tamen ingredi abnuens, licèt vnicè id peterent Mithylenæi. Inter cæteros ex vrbe ad eum visendum descenderat Cratippus, ad quem conuersus, multum super fortuna conquestus, & ex illo sciscitatus tandem: *An vlla Prouidentia sit, cum in caussa meliore quis victus?* Respondit Cratippus: *Fatales esse Imperiorum periodos, & iam conuerti Rom. Rempubl. in Monarchiam.*

Ibid. Iussu Ptolomæi adolescentis in gratiam Cæsaris victoris occisus est) Memor beneficiorum Pompeius, quæ in patrem eius Ptolomæi, qui tum puero, quàm iuueni propior regnabat Alexandriæ, cõtulerat, in Ægyptum contendere proposuit. *Sed quis in aduersis beneficiorum seruat memoriam? aut quis vllam deberi putat miseris gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem?* Missi itaque ab Rege qui venientem Pompeium obuiâ naui exciperent. Sed cùm descendisset in na-

uim

nanim Pompeius, imperio vilissimi Regis, Septimii desertoris sui gladio miserè trucidatur, sub oculis vxoris suæ Corneliæ liberorumque, anno ætatis duodesexagesimo.

Ibid. Deinde in Africam transiens, & cæt.) Bella duo hîc confunduntur, Africanum & Hispanicum. Porrò Munda non flumen, sed Hispaniæ Bæticæ oppidum, memorabili illo inter Cæsarem & Pompeij liberos, (non nepotes) prælio gesto nobilitatum; quo quidem in prælio tanta vtrimque edita est strages, vt Cæsar victor hostes, qui fugâ sese in vrbem receperant, obsidens, congestis è cadaueribus aggerem ad vrbem oppugnandam, extruxerit. Dein quæ de Fausto & Sylla ait, sine coniunctione legi debent, non enim duo, sed vnus est Faustus Sylla Dictatoris filius. Perierunt autem in Africa Petreius, Faustus Sylla, & Afranius: in Hispania Accius Varus & Labienus. Nec Petreium occidit Cæsar, sed à Iuba Rege, dum inuicem ex desperato duello contendunt, interemptus est; vt etiam Faustum Syllam & Afranium non ira mitissimi victoris, sed militum dissensio captiuos sustulit.

Pag. 23. Dum Reipubl. statum contra morem maiorum inclementer administrabat.) Cùm Cæsar multa quæ tyrannidem sapiebant, faceret; nec eâ, quam hactenus obtinuerat potestatem, pœnè regiâ contentus, titulo quoque regio ac diademate insigniri ambiret, Sigon. in Fastis sub Ann. Vrb. 709. hinc odia plurimorum incurrens, quinto post mense, quam Romam venisset, in Curia Pompeij, à Cassio & Bruto, alijsque quos sibi deuinxerat beneficio recenti, viginti tribus vulneribus confossus perijt, anno M. 4009. Vrb. 710. 15. die Martij. Vt Latiùs describit Appian. Lib. 2. de bello ciu. & Plutarch. in vita Cæsaris Interfectus est inquam I. Cæsar, cùm nihil consecutus esset, quàm nomen tantum, & gloriam inuidiæ obnoxiam.

Ibid. In hac coniuratione 260. conscios fuisse ferunt.) Ita Eutropius Lib. 6. Plutarchus autem, Appianus, Dio, Florus, Velleius, & Epitome Liuij, numerum coniuratorum non exprimunt. Suetonius lib. 1. & Orosius lib. 6. cap. 17. vltra 60. coniuratos fuisse aiunt; quorum nonnullos Cicero, plures Appianus nominat.

Ibid. Qui est secundum Hebræos ab origine mundi 4951.) Videtur in numerum irrepsisse mendum: Torniellus enim, qui & ipse Hebræorum computationem sequitur, non nisi 4051. ponit: alij 3970. volunt. Vide Pererium in Daniel: lib. 11. quæst. 5. Chron. Sacr. Tirini cap. 47. & 48. Chronol. Alstedij, & alios,

Pag. 24. Thales in humore.) Thales VII Sapientum primus, immortales animos primus asseruit, & de natura primus disseruit. Inanimatis quoque animas inesse putauit, argumento succini & magnetis. Principium omnium rerum aquam esse arbitratus est. Diog. Laërt. Lib 1.

Ibid. Anaximenes in aëre) Anaximenes Milesius, auditor Thaletis & successor Anaximandri, principium rerum aëra dixit & infinitum: Moueri sidera non supra, sed circa terram. Laërt. Lib. 2.

Ibid. Stoici in igne.) Vide Lips. Lib. 1. Physiol. Stoicæ, diss. 6. Cæterum duo coæterna rerum principia Stoici statuerunt, Ignem, siue Deum, & Materiam. Vide Laërt. in vita Zenonis, & Lips. Lib. 2. Physiol. Stoicæ, diss. 2. Docebant

bant præterea, fato seu naturæ necessitate omnia fluere: Virtutem in qua summam hominis felicitatem ponebant, in potestate & arbitrio cuiusque esse; virtutes omnes pares esse & connexas, vt & vitia; misericordiam & compassionem vitium esse; licere sapienti, immò decere, seipsum occidere, ne miserè viuat: mundum esse animal animatum, viuum & rationale; animam mundi esse Deum; & alias nugas, quas Plutarchus, Cicero, Lactantius, Augustinus & Lipsius fusè recensent, & refutant. Stoïci dicuntur à στοά, id est, porticu, in illa enim Zeno parens illorum docere solebat.

Ibid. Epicurus in atomis) Epicurus, Xenocratis discipulus, omnem hominis felicitatem ponebat in voluptate; non illâ quidem corporis, quemadmodum Aristippus, sed in voluptate animi, hoc est in absentia & vacuitate omnium dolorum. Negabat præterea animæ immortalitatem, corporis resurrectionem, Dei prouidentiam, & omne Numen, teste Laërtio, Augustino & aliis. Mundos asserebat innumerabiles esse, & ex atomis inter se coëuntibus, coaluisse; & ex ijsdem non corpus hoc solum, sed & animam principium suum hausisse.

Pag. 25. Platoni successit Apuleius, & Apuleio Hermes Ægyptius.) Cespitat hîc auctor; Hermes enim Trismegistus Platone longè antiquior, vtpote qui anno mundi 2000. Plato autem, 3580. floruerit: rursus à morte Platonis ad Apuleium Medaurensem philosophum Platonicum, quinq; integra secula intercurrunt. Puto tamen quod Auctor non Apuleium Medaurensem, qui, vt Africa semper aliquid monstri alit, sese in asinum mutatum fuisse, atque tandem antiquam recepisse formam gloriatur; sed potius Apuleium illum Platonis discipulum intelligat, qui oculos sibi eruisse perhibetur, ne illorum vsu à studio virtutis auocaretur.

Ibid Salomone, qui bonis initijs malos habuit exitus.) An Salomonem tam fœdæ idololatriæ pœnituerit? & an saluatus sit? hactenus à pluribus grauissimisque auctoribus ex professo disputatum est; quorum tamen potior sententia ad vltimum resipuisse illum, & verisimilius saluatum esse. Nam cap. 24. vers. 32 lib. Prouerb. (secũdum versionem LXX. Interpr.) post enarratas omnes suas vanitates addit: *Post hæc ego egi pœnitentiam.* Plura in hanc rem argumenta vide apud Pinedam, Del-Rio, & Barradium, qui acriter pro salute sui Salomonis decertant, Vide item Tirinum ad Libr. 3. Reg cap. 11. vers. 7. Præterea si libet adi Augustini Tornielli annales ad ann. Mundi 3059.

Ibid. De Deo prophetasse cognoscitur.) Nullibi quod sciam Prophetis Salomon accẽsetur: certè apud Eccles. 47. vbi elogiũ huius Regis habetur, prophetiæ nulla fit mentio; quin Cirillus (quem citat Serarius in libello de Salomonis pœnitentia,) expressè eum ex Prophetarum choro remouet, qui tamen, si clarissima illius de Christo vaticinia respicias, hoc nomine dignus iure videatur.

Ibid. Qui rationalem animam, qua animus dicitur, & cet.) Non omnino idem sonare animum & animam, nec promiscuè & communiter aliud pro alio vsurpari, puto extra dubium esse, licèt fortè id non ita ab omnibus fuerit accuratè obseruatum, nec ab ipso alicubi Cicerone. Interim hoc ipso propriè differunt, quòd Animus sit quo sapimus; Anima, quâ viuimus. Non. Marcell. cap. 5. Vel quòd Animus sit qualitas viuentis; Anima verò caussa vitæ. Cornel. Fronto.

Pag. 28. Restat vt de Parthis aliquid dicam.) Quæ hîc Hugo de Parthis & Scythis refert, ex Iustin. lib. 2. & 41. mutuatus est.

Pag.

Pag. 30. Darius, &c. Cyro Regi Persarum bellum intulit.) Huius rei nullus omnium, qui vel Cyri vel Darij meminerunt, auctor est. Fuit autem ob somnium quoddam Cyro, quasi regni æmulus suspectus Darius; qua de caussa custodiæ traditur, & non nisi morte Regis libertati redditus est. Somnium tale fuisse fertur, quòd maximum filiorum Hystaspis Reguli, geminis alis, alterâ Asiam, alterâ Europam obumbrare vidisset: nec vanum illud; siquidem post Cambysem regno potitus Darius, Europam & Asiam domuit. Sabell. lib. 6. Enn 2. Iustin. lib. 2. Herod. lib. 1. Ego interim librarij lapsum hic deprehendo, & pro *Cyro Regi Persarum*, cum Iustino lib. 2. *Iancyro Scytharum Regi*, aut cum Iornande lib. de rebus Geticis, aut Orosio lib. 2. cap. 8. *Antyro Scytharum Regi*, legendum esse censeo: & idem ipsus est, qui in primis Iustini editionibus *Lanthinus* vocatur, Herodoto *Indathyrsus*. Ctesiæ *Scytharces*, & Vrspergensi *Antimus*.

Ibid. Quòd filiæ eius petitas nuptias non obtinuisset.) Ita Iustinus & Orosius dicto loco; vbi vterque *Iancyri siue Antyri* Scytharum Regis historiam prosequuntur. Interim nusquam me legisse memini, quòd Darius regias nuptias, viuente Cyro ambierit; sed illo mortuo. & post Cambysem rerum potens, dominatui suo eò firmius stabiliendo, duas Cyri filias, totidemque neptes vxores duxit. Herod. lib. 3. *Iancyro* autem Scytharum Regi, post filiæ nuptias sibi denegatas cruentum mouit bellum, vide citatos auctores.

Pag. 32. Arsaces aduersum Antiochum Seleuci filium C. M. peditum, & XXX. M. equitum instructus pugnauit.) Iustinus lib. 41. habet: *Arsaces aduersus Antiochum Seleuci filium, centum millibus peditum, & viginti millibus equitum instructum, mirâ virtute pugnauit.* Quæ genuina lectio est. Vide itidem Polybium Lib. 10. Reinecc. part 3. pag. 214. & Fragment. Freheri pag. 18.

Ibid. Artabano verò Mithridates pater Magni Mithridatis successit.) Hugo duos Mithridates, Ponticum alterum, de quo Iustinus lib. 37. & Parthicum, de quo idem lib. 41. agit, hoc loco confundit. Vtriusque stemma & originem pluribus deducit doctiss. Reineccius in Syntagmate Iulio, part. 3. pag. 134, & pag. 214. ad quem lectorem remitto.

Ibid. Mithridates præfati Regis Mithridatis filius.) Mithridates hic non à Parthis, sed Persarum proceribus suum stemma trahit. Septem enim Persarum proceres; Magis, qui regnum fraude à Cambysis morte occuparant, sublatis; de noua Regis, ex Septemuiratu suo, creatione conuenerant, vt cuius equus dum in suburbanis vectarentur, inter solis ortum primus hinnitum edidisset, is Rex salutaretur: Darius itaque equini hinnitus prærogatiuâ regnum obtinuit, Iustinus lib. I. Herod. lib. 3. Ex his septem proceribus Mithridates vnus nomine fuisse putatur, à quo gentem & nomen Mithridates hiccè Ponticus ducit. Flor. lib. 3. cap. 5.

Ibid. Contra Romanos annis XL. pugnauit.) Paginâ præcedenti Hugo habet XLVI. Verùm in annis exprimendis, quibus Mithridates Romanos bello lacessiuit, multum variant Auctores; sunt qui 30. sunt qui 32. alij 40. alij itidem 42. nec desunt qui 46. ponunt annos. Vtrimque acceptæ & datæ clades maximæ. Nec Mithridates pro regno & gloriâ solum, sed odio etiam cum Romanis dimicauit: siquidem vno edicto, & vno quidem die 150000. Romanorum ciuium,

 qui

qui negotiandi causâ per Asiam dispersi erant, trucidari curauit. Præterea Q. Oppium Proconsulem, & M. Aquillium Legatos captos, & fœdè cruciatos enecauit. Ad postremum à Pompeio ad Stellam Armeniæ victus, ac fugâ perdiffi-cili in Bosphorum reuersus, per seditionem à filio oppressus est.

Pag. 35. *Quinta Prouincia Alpes Gothica, & cet.*) Sine dubio Cottias Alpes intelligit, à Cottio Rege sic dictas; quo mortuo, sub Nerone in formam Prouinciæ redactæ, vt Suetonius, Eutropius, Aurel. Victor testantur. Sunt tamen viri docti, qui Alpes has Gothicas à Gothis nominent, fortè librariorum errore inducti, quorum aliqui Coctias, alij Gothias scripsêre. Plura vide apud Amm. Marcell. lib. 15. Leand. Albertum in Lombardia Transpadana. pag. 707. & Iosiam Simlerum in Comment. suo de Alpibus, pag. 228.

Ibid. Tuscia nominatur, in qua Roma consistit.) Tusciam siue Hetruriam à Latio, in quo Roma sita est, Tyberis fluuius dispescit, vt omnino in finibus illius regionis, ipsoque margine condita fuerit. Dilatato deinde vltra ripam pomœrio; quemadmodum hodie, ita olim etiam parte aliquâ Hetruscos limites occupauit; Ianiculum enim Hetruriæ oppidulum in monte Ianiculo trans Tyberim situm, Ancus Martius IV. Romanorum Rex, ponte sublicio primus vrbi coniunxit. Posteriori etiam æuo Leo IV. Pontifex collem Vaticanum, pariter in ripa Hetrusca situm, muro cinxit, & vrbi annexuit, ac à se vrbem Leoninam denominari voluit, hodie dicitur Burgum.

Ibid. Prouincia Campania ab vrbe sumit initium) Campaniam à Latio Liris fluuius, (qui & Glanicus dicitur, & apud Minturnas sesé in mare Tyrrhenum exonerat,) separat: ideoque ab vrbe duorum & amplius dierum itinere abest. Vide Plin. lib. 3. cap. 5. Leand. Albertum in Latio pag. 210. & Cluuerium in Italia antiqua, lib. 3. cap. 10. p. 1075.

Ibid. Lucania cui coniungitur Brixia.) Hoc nomine vrbs est Insubriæ, hodie Lombardiam vocant, haud procul Alpibus, cui nil cum Lucanis commune. Ego pro *Brixia*, legendum esse censeo *Brutia*, quæ aliàs inferior Calabria vocatur, & Lucaniæ contermina est. Vide Leandr. Albert. in Calabria pag. 304. & Schrôterum in sua Cosmographia, pag. 517.

Ibid. Nona Prouincia in Alpibus Apenninis sita est.) Per Alpes Apenninas, Hugo Apenninum montem, qui dorso suo totam Italiam in duo latera dissecat, communiter intelligit; verùm vix habet in præsens, quod de illo agat. Intelligendus igitur erit Auctor, de illa Alpiũ parte, quæ à Pœnis ob Hannibalis transitum Pænina dicitur, vulgò Mons Iouis, siue D. Bernardi. Vide Iosiæ Simleri Comment. de Alpibus pag. 245. Phil. Cluuer. Ital. Antiq. lib. 1. cap. 4.

Ibid. Apennina Alpes per mediam Italiam pertingentes & cet.) Alpium, quam modò attigi partem, à Pœnis mutuari nomen nullus dubito; verùm id ad Apenninum non pertinet, cuius etymon incertum scribit Cluuerius, lib. 1. cap. 4. Hugo autem noster in hac deriuatione Isidor. lib 13 cap. 8. Seruium ad Virg. Æneid. lib 10. & Paul. Diac. lib. 2. cap. 18, imitatur; quos omnes idem Cluuerius loco citato ridet & explodit.

Ibid. Tertia decima Prouincia Valeria nuncupatur.) Hoc ex Paul. Diac. Hist. Lomb lib. 2. cap 18. haustum: Interim nulla fuit aut est, quod sciam, in omni Italia hoc nomine dicta regio. Verba Pauli Diac. adijciam; *Porrò tertia*

decima

decima Prouincia Valeria, cui Nursia annexa, inter Vmbriam & Campaniam Picenumq́; consistit; quæ ab Oriente Samnitum regionem attingit. Huius pars occidua, quæ ab vrbe Roma initium capit, olim ab Etruscorum populo Etruria dicta est: Hæc habet vrbes, Tiburim, Carseolos, Reate, Furconam, & Amiternum, regionemq́; Marsorum, & eorum lacum qui Fucinus apellatur. Marsorum quoq; regionem ideò intra Valeriam Prouinciam æstimo computari, quia in catalogo Prouinciarum Italiæ, minimè ab antiquis descripta est. Si quis autem hanc per se prouinciam esse, verâ ratione comprobauerit, huius rationabilis sententia modis erit omnibus tuenda. Hactenus Paulus. Vide etiam hac de re quid apud Cluuer. lib. 2. cap. 16. & alibi in Ital. sua antiq. Freherus in suo Frag. legit loco *Valeria*, *Varia*.

Ibid. Tamisium.) Fragm. Freheri habet *Chonusium*: Ego pro vtroque cum Paul Diacon. l. 2. c. 21. legendum esse iudico, *Canusium*, vulgò Canosa, quod oppidũ Apuliæ Dauniæ est, ad ripam Aufidi fluminis, XXV. stadia supra Cannas situm. Ceterum Tamisium, Tamasium, Tamesia aut Tamassus Cypri Insulæ vrbs est, Famagosta Mercatori, quæ nihil huc facit.

Ibid. Sexta decima Sicilia. & cet. Septima decima Corsica, & cet. Octaua decima Sardinia. Qui Corsicam & Sardiniam Italiæ partes fecerit, præter Paul. Diac. lib. 2. c. 22. Hist. Longobard. (ex quo isthæc desumpta sunt,) vidi neminem. Sunt qui velint Siciliam olim continentem, & Italiæ adnexam, postea vel terræmotu, vel maris impetu diuulsam, & in Insulæ formam conuersam fuisse. Verùm num hoc fabulosum, aliorum esto iudicium: interim pulchrè super hac re princeps Poëtarum:

— — — quum protinus vtraq; tellus
Vna foret, venit vi magnâ Pontus & vndis,
Hesperium Siculo latus abscidit, aruaq; & vrbes
Littore diductas angusto interluit æstu.

Ibid. Galliam Cisalpinam, & cet.) Cæspitat hic Hugo iterum à Paul. Diacono seductus; ducentis enim ante Brennum annis, Gallos Belloueso Duce in Italiam descendisse, & Cisalpinam illic Galliam, pulsis Hetruscis condidisse, luculentus auctor Liuius est l. 4. c. 34. pag. 206. & Rob. Cænalis Hist. Gall. perioche 4. & cet.

Ibid. Brennus qui apud vrbem regnabat Senonensem, & cet.) Galli qui Italiam olim depopulati sunt, & Romam expugnarunt, exinceps in Asiam Græciamque effusi, Gallagræcos siue Galatas constituerunt: Illi inquam, Galli an Germani fuerint, adhuc sub iudice lis est. Plura sunt, quæ Germanos fuisse arguunt, quibus tamen breuitatis caussâ enarrandis supersedeo. Illud interim certum, antiquitùs apud Latinos Gallorum nomine, æquè ac Celtarum apud Græcos, & Germanos & Gallos, promiscuè esse designatos.

Ibid. Primùm Gallograci, & cet. postea Galata sunt apellati) Gallogræci siue Galatæ dicti sunt, quòd è Gallijs in Græciam demigrarint, Iustino, Suidâ, & alijs testibus. Iosephus autem, Isidorus, Theodoretus, & Vatablus, ortos & dictos tradunt ex Gomer Iapheti filio, vnde Gomari, seu Cimbri, & Germani, à quibus prodijsse Francos, seu Gallos, S. Hieron. Greg. Turonens. & alij complures volunt.

Ibid. Sicambros & Astures Hispaniæ populos superauit.) Cantabri & Sicambri confunduntur hic, quorum illi Hispaniæ, hi Germaniæ populus fuêre; illos suis auspicijs & ductu subegit Augustus, hos Drusi ministerio & industriâ domuit, ac in Galliam traduxit, & proximis Rheno agris collocauit. Sueton. l. 2. Sext. Aurel. Vict. in epit. Oros. l. 6. c. 21. & alij.

Pag. 37. Quod cernens Antonius, propriâ se manu peremit.) Antonius non in Actiaca pugna, aut dum ex ea fugit, sed Alexandriæ in Ægypto, violentas sibi intulit manus, ac multo profuso sanguine, desperatâ vitâ, in sinu Cleopatræ animam exspirauit. Dio Cassius l. 51. Sueton. l. 2.

Ibid. Demum admotis sibi serpentibus, morte sopita est.) Quo mortis genere perierit Cleopatra, Plutarcho & Dione Cassio attestantibus, incertum est: vulgatior interim opinio, quòd aspidum morsu necem sibi conciliarit, quam & Hugo amplectitur; Fœmina fuit libidinis incontinentissimæ, ac luxus & prodigalitatis inexplebilis: vt in vnam cœnam precium 150000. Coronatorum insumpserit, margaritam enim centies sestertium eualentem, aceto liquefecit, ac vnico haustu absorbuit, cum sponsione Antonium prouocasset, tantum vnâ cœnâ sese posse abligurire. Macrob. l. 3. c. 17.

Ibid. His eum adorsus est verbis.) Herodis hæc ad Augustum oratio, eiusdemque responsio, ex Ioseph. l. 15. c. 10. Antiq. Iudaic. & lib. 1. c 15. de bello Iudaico, desumpta sunt.

Pag. 38. Extruxit Ierosolymis turrim, quam appellauit Antoniam.) Vide Iosephum Antiq. Iudaic. lib. 15. c. vlt. & l. 16. de bello Iudaico c. 6. Fuit autem arx verius quàm turris, structa primùm à regibus Asmonæis, sed ab Herode restaurata. Vide Hugonem infra pag. 57. vbi turris hæc Antonia, ab illo castrum expressè vocatur.

Pag. 39. Vir quidam Cyrinus nomine.) Cyrinus qui ab Augusto in Syriam missus ad omnium facultates censendas, alio & vero nomine P. Sulpicius Quirinus dicitur. Vide Ioseph. lib. 18. cap. 1. & 2. Tacit. lib. 3. Sueton. l. 2.

Ibid Olympiade CLXXXIII.) Lege olympiade 193. ita Fragm. Freheri, & plures alij. Ceterum quoto anno mundi, quoto imperij Augusti, quoto Herodis Regis, quoto Vrbis Romæ conditæ, quotâ Olympiade, quibus Consulibus, quoto mense, quoto die mensis & hebdomadæ, quotâ diei horâ natus sit Christus, fusè explicuit Iac. Tirinus in absolutissimo suo Chronico sacro, cap. 47. & 48.

Ibid. Quod tres Astrologi videntes, & cet.) Ita Magos siue sapientes interpretatur, vide Baron. Tom. 1. Annal. ad ann. 1. n. 30. Reguli seu Principes ceteroquin communi traditione fuisse perhibentur. Scriptura tamen maluit Magos quàm Principes vocare, quia Christum ex stella agnoscere sapientum erat, non Principum. Præterea notandum, Græcos, Chaldæos, Persas, Arabes & Syros Sapientes suos & Astrologos, vocare Magos, Plinio & Cælio testibus, à radice *haga*, id est meditari, inquit Genebrardus, q. d. meditantes, speculantes.

Pag. 40. Abiectâ vxore Doside, & cet.) Priorem Herodis vxorem, ex qua Antipatrum sustulit, Dorida, non Dosidem, vocat Ioseph. lib. 14. cap. 22. Antiq. Iudaicarum.

Ibid. Mariamnem Aristobuli neptem, Hircani filiam.) Lapsus hîc auctor, aut Libra-

librarius: siquidem Mariamne Herodis vxor altera, æquè Hircani ac Aristobuli neptis, non filia fuit; quod & sequentibus manifestissimum accidit, vbi Author auersionis & odij illius Mariamnes in Herodem caussas enarrat; videlicet quod illa comperisset, Hyrcanum auum suum, mariti insidiis esse extinctum. Audiamus etiam super hac re Iosephum, qui præcitato loco ait: *Iam gener Herodes per sponsionem ascitus erat in Hyrcani familiam, quo libentius eius tutelam suscepit, ducturus Alexandri Aristobulo geniti filiam,* (Mariamnem,) *Hircani verò ex filia neptem, ex qua postea pater factus est filiorum trium, & duarum filiarum.*

Pag. 41. *Vt eis, pater immemor humanitatis, necem inferret.*) Herodes pater crudelissimus, numerosâ sobole miserior quàm beatior; laudabilior extitisset, si Augusti esset amplexus moderationem, qui exilio contentus & abdicatione filiæ Iuliæ, neptisque ac nepotis, *Ad sanguinem vsq; sæuire in proprios affectus non sustinuit,* quamuis manifestioribus eorum flagitijs & intemperantiâ. Ideo Augustus per scomma dixisse fertur, præstare Herodis porcum esse quàm filium. Macrob. Saturnal. 2.

Pag. 42. *Anno à natiuitate Christi V.*) Christum in Ægypto exulasse ad quinquennium præterpropter, veteres senserunt, quam opinionem erroneam, in anno obitus Herodis adsignando, Hugo sequitur. Ceterum quo mense, quo die illuc cum parentibus secesserit, incertum est; certum tamen non toto biennio ibi substitisse, quæ communis opinio, quam Maldonatus, Tirinus, & plures alij sequuntur. Vertente anno Herodes iubet occidi omnes infantes Bethleemiticos, à bimatu & infra; sed paulò post etiam ipse crudelem suam exhalat animam. Verùm cùm super fugâ Christi & morte Herodis non benè conueniat inter Auctores, præ ceteris Tirinum cap. 45. 47. 49. Chronic. sacr. consulendum censeo.

Ibid. Terentius & Hortensius, & cet.) Neuter horum Augusti temporibus accensendus: Prior prisci Catonis synchronus fuit; alter sub ipsa parturitione ciuilis belli inter Cæsarem & Augustum obijt, quo tempore Cicero Ciliciæ Proconsulatu defunctus in vrbem redijt, vt constat ex Epist. M. Cælij ad Ciceron. & Proœmio Bruti Tulliani, in quo mortem collegæ & æmuli sui disertissimè deflet.

Ibid. Corpore toto pulcher, & cet.) Fuit Augustus staturâ breui, corpore toto pulcher, & forma eximia per omnes ætatis gradus; lenocinij omnis negligens, vultu sereno, tranquilloq́; oculos habuit glaucos, claros, ac nitidos, dentes raros & exiguos, capillos leuiter inflexos & subflauos, supercilia coniuncta. Crure sinistro non perinde valebat, sæpius enim claudicabat. Plura apud Sueton; Lib. 2. c. 79. & 80.

Ibid. Liuiam quasi concedente marito sibi coniunxit.) Liuia Drusilla Tiberio Neroni prius nupta, ex quo etiam Tiberium & Drusum Nerones, susceperat; post Augusto vnicè petenti, à marito legitimè in matrimonium collocata: nec Legibus illud aut moribus Romanis tunc contrarium erat. Tali modo M. Cato Vticensis vxorem suam Martiam amico Hortensio cessit; quod præcipuè obiectans Cæsar Catoni, improperat ei auaritiam, & mercenarium maritum appellat, quasi iuuenem commodasset, vt reciperet diuitem; Hortensio enim mortuo, Martiam viduam cum grandi dote recepit. Plut. in Catone.

Pag. 43. Primum cunctatione et modestia Reipubl. præfuit, & cet.) Pessimus interim dissimulator fuit Tiberius, nunquam animi sui sensa ingenue edens. Augusto plane fuit dissimilis; natura prorsus lupina, ingenio abominando, tenax i. avaro, insidioso; simulans ea velle, quæ nollet; his quasi infensus, quibus bene consultum cupiebat; his quos oderat, quasi beneuolus apparebat: repentinis consiliis melior, quam meditatis: ob ebriositatem castrensi ioco dictus, *Caldius, Biberius, Mero*. Cetera ex Coto, Tacito & Suetonio.

Ibid. Archelaus accusatum, quod usurpatione temeraria in Iudæam Regnum exercuisset] Frobenius in Fragm. Iuonis legit: *Quod vsurpatione temeraria regimen in Iudæam exercuisset*. Archelaus hic præfuit Idumææ, Iudææ, & Samariæ, tyrannide & morum truculentia infamis: ac propterea Viennam Galliæ in exilium relegatus, vbi etiam moritur: facultates illius fisco cessere, Prouinciæ per Præsides administratæ fuere.

Pag. 44. Post hoc autem assumpsit alios LXXII. discipulos.) Extat cuiusdam Dorothei synopsis inter Ecclesiasticæ historiæ scriptores, qua etiam LXX. discipulorum nomina continentur, verum opus illud fabulosum est, ac fluxæ fidei, adeo vt reliquos subriceam, à Baronio & Bellarmino explodatur. Interim dubitari non debet, multos de LXX. illis, nobis notos esse, magis interim per coniecturam, quàm certis testimonijs designatos.

Ibid. Resurrexit VIII. Calend. April.) Baron. Tom. 1. Annal. ad ann. 34. N. 155. auctor est, Astronomiæ & Chronologiæ consultissimos, de eruendo vero Passionis die desperauisse: quo concesso, de die Resurrectionis idem dicendum est, cùm ab illo hic dependeat. Additque ibidem in Cæsariensi Concilio, tempore Victoris Papæ Theophilum Episcopum dixisse, resurrexisse Dominum 9. Calend. Apr. putatque illam communem apud antiquos fuisse opinionem. Præterea cuilibet, adeat Chronographiam Genebrardi, Gordoni & aliorum; item Diarium vitæ & actionum Christi, Marianæ; & in primis Tirini Chronic. sacrum, cap. 49.

Ibid. Velum quoque templi, quo tegebantur Sancta Sanctorum, & cet.) Velum illud interius, (duplex enim fuisse ait Ioseph. l. 6. de bello Iud. c. 6.) ex hyacintho, bysso, cocco, & purpura, mirâ varietate contextum, intima adyta, seu Sanctum Sanctorum secernens à Sancto, Christo moriente scissum docent Lactantius, Cyrillus, Theophil. Euthym. Leo, Beda, & ferè reliqui Patres. Origines & S. Hieronymus exterius fuisse volunt, quod erat in primo ingressu Sancti, prætensum inauratæ templi portæ; cui & Baronius adstipulatur.

Pag. 45. Pontius Pilatus Claudio suo salutem.) Epistolam hanc Hugoni suppeditauit Egesippi Anacephalæosis de morte Christi; quam & Baronius suis Annal. Tom. I. ad ann. 34. N. 230. inseruit, ac ita de illa ait: *Hactenus Epistola; quæ quidem an eadem sit; quam à Pilato ad Tiberium tunc temporis scriptam esse constat, relinquimus Lectoris prudentis consilio.* Quibus verbis, nisi omnia me fallunt, illam repudiare videtur: certè sunt, qui commentitiam & supposititiam ex indicijs non obscuris putant. Interim Tertull. in Apologet. & ex illo Euseb. Cæsar. Lib. 2 histor. Eccl. c. 2. Literarum Pilati ad Tiberium meminerunt, ipsa tamen verba non referunt.

Ibid. Seiani orbis Præfecto, & cet.) Non vrbi, sed cohortibus prætorijs, L. Ælius Seianus fuit præfectus: funestum Romanis caput, per quod innumerabiles boni viri tam nobiles quam plebeij truculenter sublati sunt. Hunc Tiberius ad summos honores extulit, scilicet vt hominem sceleratissimus, ex alto grauiore deinde ruinâ duceret: Carnificis enim manu cum omni sua stirpe necatus est, anno Christi 33. Tiberij 18. Sueton. Dio, Tacitus. In tota Tiberij historia, hac Ælij Seiani nemesi nihil memorabilius.

Ibid. Seiano, & cet. Suscipiendæ Religioni Christianæ obstinatissimè contradicente.) Hunc errorem ex Orosio Lib. 7. c. 4. & Eutrop. Lib. 7. hausit Hugo. Iam enim perierat Seianus cùm hæc agerentur, vt ostendit Baron. Tom. I. Annal. ad ann. 33. 34. & 35.

Pag 46. Drusum & Germanicum filios suos, veneno perdidit.) Hæc itidem ex Orosio & Eutropio hausta, loco præcitato. Interim Germanicū iussu Tiberij, ministerio & operâ Cn. Pisonis, in Syria, ad mortem compulsum, res satis expedita est; veneno autem illum sublatum esse, non adeò liquidum est. (vide Tacitum Lib. 2. Annal.) De Druso idem Tacitus fatetur, constantem quidem inter Romanos rumorem fuisse, quem tamen ille solidè satis refutat, & vanitatis coarguit l. 4. Annal. Dio Cassius tamen Lib. 57. pag. 614. Zonaras tom. 2. in pag. 95. Drusum veneficio extinctum expressè fatentur; Germanicum verò incantamentis & veneno Antiochiæ sublatum: adduntque ossa hominum defossa, plumbeasque laminas, diras imprecationes cum nomine Germanici continentes, in ædibus quas inhabitabat, ipso adhuc viuo, fuisse repertas. Sueton. Lib. 3. c. 52. vbi maximè occasio erat, ne verbo quidem huius rei meminit.

Ibid. Ab hoc Nicolao orta est hæresis Nicolaitarum.) Nicolaitarum facta erant promiscui concubitus cum fœminis, etiam coniugatis. Nicolao huic ex VII. primis Diaconis vni, hanc hæresim per iniuriam assignant Irenæus, Tertul. Hieron. Epiphan. Hilar. & alij, quos citat Baron. Sed Nicolaum excusant Clemens Alexand. & S. Augustinus; qui æmulis eius Gnosticis, Nicolai dicta sinistrè interpretantibus, & falsò nomen eius, suæ sectæ præferentibus, adscribunt.

Ibid. Quod fecit potius ex contemptu libidinis, & cet.) Excusatio hæc deprompta est ex Eusebio, Clemente Alexandrino, Theodoreto, Ignatio, & alijs, quibus consentit Card. Baron. Tom. I. Annal. ad ann. 54. N. 16.

Pag. 47. Huius Simonis crimine maculantur omnes, qui sacros ordines pretio consequuntur.) Ab hoc Simone, quotquot vel Episcopatus, vel alia beneficia ecclesiastica, vel res sacras emunt vel vendunt, *Simoniaci* vocabtur. Etsi enim in antiquo testamento non pauci fuerint hoc scelere infames, Giezi, Iason, Esau, Balaam, immò & Annas & Caiphas, Pontificatum pretio ementes à Romanis: potius tamen à *Simone* primo noui testamenti sacrilego institore, ad maiorem tantæ sorditatis detestationem, placuit Ecclesiæ nomenclaturam sordidissimi criminis mutuari.

Ibid. Anno diuinæ incarnationis XXXVII. Stephanus lapidatus.) Baronius, Gordonus, Tirinus, Petauius, & plures alij, martyrium Stephani referunt ad annum Christi, XXXIV.

Ibid. Iacobum Ierosolymis Patriarcham ordinauerunt.) Iacobus & successores

fores eius non nisi Episcopi dicti. Sunt autem sedes patriarchales quinque, Romana. Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana: atque harum omnium nouissima est Hierosolymitana, vtpote quæ anno primùm cœpit 553. Chalcedonensis Concilij decreto.

Ibid. Nec erat vlla nominis distinctio inter cuiusdam Dositheoi, siue Theoda, &c.) Dositheus Iudæus adulterinus fidei corruptor, peruersis suis doctrinis Ecclesiam adhuc virginem conatus euertere. De hoc D. Hieron. contra Lucif. *Dositheus* ait, *Samaritanorum princeps, Prophetas repudiauit*, & teste Philastrio, *negabat Angelos, Resurrectionem, Iudicium, ac docebat secundum carnem solum viuendum.* De Theoda populi seductore Gamaliel loquitur Actor 5. v. 36. agitque de eodem Iosephus lib. 20. Antiq. Iudaic. c. 2. Cornelius tamen à Lapide Theodam Gamalielis, diuersum à Iosephi Theoda contra Eusebium. Bedam, Dionysium & Baronium statuit, ad quem lectorem remitto.

Pag. 48. Esaia vaticinium, quo scriptum est: Seruientium mihi vocabitur nomen nouum. Hoc vaticinium neque apud citatum Prophetam, nec vllibi prætereà toto Bibliorum sacro codice reperitur. Apocalyp. 2. v 17. habetur; *Vincenti dabo manna absconditum, & cet. & nomen nouum.* Hoc est, inexspectatum honorem, quo filius & hæres Dei vocetur, & reuera etiam sit; verbo vno centuplum hîc, & in futuro vitam æternam. Vide Tirinum ad dictum locum.

Ibid. Insidijs Caij Caligulæ extinctus) Tiberius postquam in Capreas secesserat, vt remotis arbitris eò melius per omnia flagitiorum scelera sese volutaret; tandem libidine & intemperantiâ eneruatus, in morbum aliquem chronicum, vel potius senilem marasmum incidit; ita vt neutrâ vteretur valetudine. Hinc Caio inprimis modò spem ceu moriturus, modò metum ceu victurus obijciebat: Ideò Caius metuens, ne valetudinem recuperaret, cibum petenti negauit, scilicet damnum, si obtulisset, laturo; iniectisque multis ac densis stragulis, tanquam calefactione egentem, suffocauit. Dio 59. Zonat. Tom. 2. Suetonius & Tacitus horum non meminerunt.

Ibid. Puellam, & cet. viuam terra degluttiuit) Saltriculam hanc ex impurâ Herodiade genitam, vt innocentissimo Ioannis Bapt. sanguini pœnas exsolueret, aquis absorptam narrat Niceph. Call. lib. 1. cap. 20. Licèt Baronius de narrationis synceritate subdubitare videatur: ad ann. 33. N. 4.

Ibid. Pilato successit Felix). Successit equidem, sed non proximè, & vt loquimur immediatè: Quatuor enim intermedij fuêre, inter illos duos Iudææ Procuratores: Marcellus, Cuspius Fadus, Tiberius Alexander, & Ventidius Cumanus, secundùm Iosephum, quamuis in contrarium eat Tacitus; de quibus omnibus Iosephus, & aliquibus Tacitus.

Ibid. Herodes Agrippa ædificauit Samariam.) Fallitur hîc Auctor, Amri Rex Israël primus Samariam ædificauit, quam deinde Salmanassar funditus excîdit; tandem temporis tractu paulatim restauratam, post varios alternantis fortunæ casus, Herodes Ascalonita (non Agrippa vt somniat Hugo,) pristino splendori restituit, amplissimo illam muro per 20. stadia communiens: & præter innumera pallatia, vastissimum in ea templum ponens 900. pedum, in honorem Cæsaris Augusti; à cuius etiam nomine vrbem ipsam vocari voluit Sebasten, id est, Augustam, vt suprà monui,

Ibid. Ante enim vocabatur Sichem.) Sichem non esse ipsam Samariam, sed ciuitatem vicinam, puto esse extra dubium. Samariam enim extruxit Amri Rex Israël, vt paulò ante dixi; Sichem autem reparauit Ieroboam, atque regiam suam sedem esse voluit. De Sichem & nominibus eius vide Tirinum in Acta Apost. ad cap. 7. vers. 16. & Torniell ad ann. 3114. n. 3.

Pag. 49. Cinobellinum Britannorum Regis filium.) Fragm. Hugonis Iuoni falsò adscriptum, *Bellinum* habet: Oros. Lib. 7 c. 5. *Minocynobellinum*: Suetonius 1521. ab Erasmo adornatus itidem *Minocynobellinum*: alia Suetonij sed recentior editio, *Adminiocinum Bellini Batauorum Regis filium*, habet. Sed isthæc omnia spurium olent; legendum cum Suetonio ab Isaaco Casaubono pronuper recensito: *Adminium* Cinobellini *Britannorum Regis filium tyrannum in deditionem suscepit*. Filius enim dictus *Adminius*, pater verò *Cinobellinus*.

Ibid. Flagitiosissimus.) De eius vitijs nescio an quid deceat memoriæ prodi, nisi fortè vt improbi saltem famæ metu talia declinent. Immanitate ingenij tantâ fuit, vt in proprias sæuiret necessitudines, humanumque sanguinem haud maioris faceret, quam aquam. Fratrem Tiberium inopinantem, repentè immisso Tribuno, interemit; M. Silanum socerum ad secandas nouaculâ fauces compulit; tres itidem sorores incestu polluit.

Ibid. A suis protectoribus, id est, à prætorianis militibus est occisus.) Non ipsos milites intellige, sed cohortis prætoriæ Tribunos Chæream Cassium, & Cornelium Sabinum, aliosque coniuratos, à quibus necatus; ferro quidem per obscœna adacto, vt causa cædis extaret. Confossa pariter eodem actu, vxor illius Cæsonia, & filia infans parieti allisa. Sueton. lib. 4. c. 58. 59.

Pag. 51. Neronem Octauiæ suæ filiæ maritum, designauit Imperatorem.) Occisâ Messalinâ, ex qua Britannicum filium, & Octauiam susceperat Claudius; Agrippinam Germanici fratris filiam duxit, Neronis ex Domitio Ænobarbo matrem, hocque potissimum Pallantis hortatu; cuius & Agrippinæ precibus ac stimulis, Neronem priuignum adoptauit, præteritoque Britannico, successorem destinauit. *Sub exitu tamen vitæ, signa non obscura pœnitentiæ, de Agrippinæ matrimonio, deq; Neronis adoptione dedisse*, scribit Sueton. l. 5. c. 43. Additque Dio Lib. 60. *Neronem Agrippinæ deprimendæ consilia, filiumq; suum* (Britannicum) *successorem imperij relinquendi cogitasse.*

Ibid. Mortuus anno vitæ suæ LXIV.) Veneno putatur sublatus, machinante coniuge Agrippina, quæ vocem Claudij metuens, quam aliquando temulentus effutiuerat: *Fatale sibi, vt coniugum flagitia ferret, dein puniret.* Mirè illum taxat, & suis, quod aiunt, coloribus, graphicè depingit. An. Seneca in libello, quem Ludum de morte Claudij Cæsaris inscripsit. Certum est talem illum Principem egisse, vt ambiguum sit, crudelitatene an stultitiâ magis fuerit dedecoratus.

Iste quinquennio valde modestus extitit.) Quamdiu Senecæ Præceptoris monitis obtemperabat Nero, inter optimos Principes habebatur, post ætatis licentia & adulatione corruptus, monstri quàm hominis similior extitit, per omnia scelera atque dedecora pro libitu lasciuiens; nec ferè immanior, & magis efferata bellua vnquam imperitauit.

Ibidem. Hispaniam adijt.) Vinculis expeditus Paulus varias prouincias

euangelizando peragrauit, nominatim Hispanias. Quæ in hoc itinere egerit, sigillatim L. Dexter, Metaphrastes, Ado, Anselmus & Baronius enarrant. Ex Hispania redux, totos adhuc octo annos superuixit: Tandem Romam regressus, in S. Petri consortio capitur, & vnà cum ipso morti adiudicatur; sicque Apostolatum suum gloriosissimo martyrio capite plexus consummauit.

Ibid. Arelati Trophimum, & cet.) Paulus dum in Hispaniam proficiscitur, Trophimum ex patre Gentili Ephesio natum, Arelatæ Episcopum constituit, *E cuius prædicationis fonte*, vt S. Zozymus Papa scribit, *tota Gallia fidei riuulos accepit.* Vide martyrolog. cum notis Baron. ad 29 Decemb.

Ibid. Viennæ Crescentem.) Paulus Viennensem Ecclesiam instituens, primum in ea Crescentium Episcopum ordinauit; qui post deinde Moguntiam translatus, vt itidem primus illam vrbem Episcopali dignitate & martyrio exornaret; præter Bruschium, Cochlæum, Crasepolium, & alios, auctor est Nic. Serarr. rerum Mogunt. Lib. 1. c. 19. & Lib. 2. c. 2. vbi etiam contraria argumenta diluit. S. Paulus autem proficiscens in Hispaniam, non hos solos, sed etiam Paulum primum Narbonensem Episc. secum in Gallias adduxit. Vide Baron. in Martyrolog. Rom. a 22. Mart.

Ibid Et inde secundam ad Timoth. scripsit Epist.) Quo anno hæc Epistola scripta sit non conuenit. Euseb. Hieron. Chrysost. Theodoret. Theophylact. & alij anno vltimo vitæ, cùm Romæ in vinculis ageret, & iam se ad martyrium accingeret, scriptam volunt; Card. Baron. autem cum Hugone nostro è primis vinculis, anno nono ante obitum scriptam asserit, cuius argumentis hodie nonnulli assentiuntur.

Ibid. Præsente Berenice.) Berenice non modò soror Agrippæ iunioris, sed & concubina fuit, lateri eius perpetuò inhærens, vnde S. Chrysostomo vxor Agrippæ vocatur. Quem rumorem vt dilueret Berenice Polemoni Ciliciæ, vel vt alij volunt Lyciæ Regi nupsit, cuius tamen mox thorum fastidiuit, vt Iosephi narrat Lib. 20. c. 2. Ant. Iudaic. Tacitus vult eam postea placuisse Vespasiano, & nil propius fuisse, quàm vt nuberet filio eius Tito.

Pag. 52. Ausus se iactare quod mortuos suscitaret.) Hanc Historiam Irenæo, Eusebio, & Nicephoro prætermissam, refert Egisippus Lib. 3. c. 2. ex quo eandem, vt pleraque alia, hausit Hugo. Simon interim hæresiarcharum pessimus, vtpote qui absurdissima sua dogmata, (de quibus inter recentiores fuse Baronius & Gaulterus,) præstigijs etiam diabolicis, stabilire adnisus fuit: hinc vt entheum quid spirare videretur, à dæmonibus in aëra subuectus volitauit; ast Petri oratione illicò è sublimi deiectus, ac populo inspectante contritus est. Clemens Lib. 6. Const. cap. 9. Arnob. Lib 2. aduersus Gent. Egisipp. Lib. 3. c. 2. & complures alij.

Pag. 53. Vt nec à matre, nec à sorore cupiditates suas compresserit.) Ita Orosius Lib. 7 cap. 7. & Eutrop. Lib. 8. Verum omnia non adeò plana. Quare super matre Suetonium consulendum esse censeo; qui tamen ambiguus hac in re. Quod de Sorore scribitur, non capio, cùm nullam naturalem habuisse passim perhibeatur Nero; nisi quis fortè intelligendum velit de vxore Octauia, quæ per Romanas leges, postquam à Claudio adoptatus esset, ipsi soror fuit. Pari ratione sequenti linea, *per fratrem*, Auctor Germanicum insidijs Locustæ sublatum intelligit.

Ibid. Oc-

Ibid. Occidit Poëtam Lucretium, & Senecam Præceptorem.) Perperam hic Lucretius pro Lucano ponitur, manifestissimo seu Auctoris seu descriptoris eius errore. Siquidem Lucretius qui ex Epicuri mente, libros de rerum natura conscripsit, toto ante Neronem seculo, sibimet ipsi necem consciuit, annos natus 44.

Ibid. Sed & incendium vrbis.) Inter alia scelera Nero & magnam vrbis partem, obscuris ædibus informem, per ludum incendit, vt Troiæ incendium repræsentaret. Verùm incendij huius occasione, durissimam in Christianos, qui Romæ erant, persecutionem excitauit, eosque grauissimis supplicijs enecauit; *vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi, in vsum nocturni luminis vrerentur;* inquit Tacitus & Martyrol. Rom. 24. Ianij Crudelis autem illa *Flammatio*, qua methodo olim exercita fuerit, vide apud Sethum Caluisium, A.C 64. p. 323.

Ibid. Nimphidio & Gemellio se credendum putauit.) Absque dubio per Gemellium, intelligit Sophonium Tigellinum, virum sceleratissimæ vitæ, & præcipuum libidinum Neronis administrum, qui sub eodem Principe, cum Nimphidio Sabino, Prætorio præfuit. Super vtroque videndus Plutarchus in Galba. Ceterum in vita Neronis, non memini alterius Gemellij esse memoriam.

Ibid. Fugit ex vrbe, & seipsum interficit.) Cùm iam edoctus Nero, Galbam aduentare, sibique à senatu supplicium parari, vt nudus videlicet per publicum ductus, furcâ collo eius iniectâ, virgis ad mortem vsque cæderetur; clam sese ex vrbe subduxit, ac in spelunca aliqua sese occultans, ferrum iugulo adegit. Epaphrodito interea, impuræ illius animæ laboriosius iam migraturæ, latiorem viam aperiente. Atque taliter omnis Augusti familia in eo extincta est. Sueton. Lib. 6. cap. 49. Dio Lib. 63.

Ibid. Galba, & cet.) Septem menses, & totidem dies imperium degustauit potius quàm obtinuit Galba, septuagenario maior: virtutis & doctrinæ adminiculis primus extra vrbem hic Princeps electus; sed mundi telis paulo post confixus interijt. Nisi crimen auaritiæ & sæuitiæ, (hinc in Hug. pro *segnitia* legendum censeo *sæuitia*,) fœdam ipsi labem adspersisset, vix illo maior extitisset.

Ibid. Ambos Otho Romæ in medio foro interfecit.) Id quoad Galbam verum est. Piso autē in vestibulo Ædis Vestæ, ad quam profugerat, latebras quæritans, à Sulpicio Floro, & Statio Murco trucidatus est. Tacitus Lib. 1. Hist. m. p. 226.

Ibid. Otho Saluius.) Hic fuuaso Imperio, haud diuturnior eo, quem sustulerat, Cæsar fuit: siquidem à Vitellio, qui à Germanicis Legionibus Imperium acceperat, ad Cremonam leui prælio victus, voluntariam mortem oppetijt. Plutarch.

Pag 55. In forum deducitur & occiditur.) Vitellius à Vespasiani Ducibus cum dedecore captus, per vrbem raptatur nudus, tandem iugulatus, præcipitatur in Tiberim, mense Principatus octauo. Vix alia ætas, in summo orbis terrarum Imperio, fragilitatem felicitatis humanæ magis ostendit, quàm in Nerone, Galba, Othone, & Vitellio.

Pag. 64. Captiui adducti ad DCCCC.VI, M.) Numerus immensus est, sed verè mendo non carens. Iosephus enim de bell. Iud. Lib. 7. c. 7. nonaginta & septem millia captiuorum recenset; mortuorum verò per omne tempus obsidionis vndecies-centum millia, Sueton. sexcenta millia habet, cui Tacitus, Orosius & alij adstipulantur.

Ibid. Quod anno MCII. contigit à conditione sua) Intellige primæuum, quam fecit Salomon. Fuit autem hoc quod Romani destruxerunt, tertium templum: primum Salomon, secundum Zorobabel, tertium Herodes Ascalonita struxerat. Secundùm Torniellum à prima fundatione, vsque ad hanc desolationem, sunt anni MC. annis nimirum Christi iuxta Baronium computatis. Hugo noster Paul. Orosium Lib. 7. c. 9. Et Eutrop. Lib. 9. in vita Vespasiani secutus est.

Pag. 67. Tunc etiam Achaia, Lydia, Rhodus, &c.) Pro Lydia cum Orosio, Eutropio, Paul. Diacono, Freculpho, & alijs legendum est Lycia, quæ Asiæ minoris regio est, inter Pamphiliam & Cariam sita: olim, (si Poëtarum fabulis fides habenda) Chymæræ monstri ignibus infestata

Ibid. Romæ Colossus erigitur.) Huius Dio Lib. 66. p. 752. meminit, sed in altitudine discrepat, dicens centum pedes altum fuisse: in altitudinis mensura Hugoni consentit Ado Viennensis, & Tursellinus in Chron.

Ibid. Pacis ædem, &c.) Hanc Vespasianus non reparauit, sed de nouo struxit, postquam cum filio Tito de Iudæis triumphauit, Sueton. Dio, Petauius, Tursellinus, Iani autem templum (quod pacis signum apud Romanos erat) illicò occlusit, sextâ nimirum vice à Roma Condita. Freculph. & Orosius. Rudera Ædis Pacis hodie adhuc conspici dicuntur, in foro Romano, quod Boarium, siue Vaccinum dicitur.

Ibid. Scrijs iocis, quibus delectabatur, admiscens, interijt) Præter ceteras animi dotes, quibus enituit Vespasianus, hoc singulare habuit, vt esset in omnes beneficus, affabilis, & iocularis, ac iniuriarum facilè obliuisceretur; hinc aliorum animos sibi mirè conciliabat, vt non esset, quod à quopiam timeret, quam ob causam Palatij portas interdiu semper apertas, ac omni custodiâ vacuas habebat: annum agens vitæ, absque aliquot mensibus, septuagesimum, cùm æger intestina vitiasset, aluo vsque ad defectionem solutâ, *Stantem*, ait, *Imperatorem mori decet*:

Ibid. Titus Vespasiani filius.) Inter laudatissimos Principes iure numeratur, qui Vespasiano patri suffectus est Titus; antequam imperio potiretur, crudelitatis, auaritiæ & libidinis nonnihil suspectus fuit. Cùm autem iam imperaret, mores suos qualesquales, ita in melius conuertit, vt amor & deliciæ generis humani vocari meruerit. Præcipua in illo clementiæ, mansuetudinis, & facilitatis laus extitit; hinc nulli negare quicquam solitus, aiebat: *Neminem à Principe tristem oportere discedere.* Cùm quodam die recordatus esset, nihil se cuiquam eo die præstitisse; *Amici*, inquit, *diem perdidimus*. Lento illum veneno sublatum fama est.

Pag 68. Iste primò clemens visus est.) Inter principatus rudimenta, clementiæ ac iustitiæ nonnulla specimina ediderat Domitianus; sed mox indolem prodidit, ac crudelitate & luxuriâ sese Neronis æmulum ostendit, ita vt pœnè omnium, qui hactenus fuerunt, ac deinde vixerunt, Principum teterrimus extiterit.

Ibid Romæ ædificauit templum mirificum, quod Pantheon antiquitùs vocabatur.) Error hic haustus ex Eutrop Lib. 9. Pantheon enim non à Domitiano, sed longè antè illum, sub Augusto, à M. Agrippa ædificatum esse, extra controuersiam est.

ctam est, & docet id etiamnunc porticus inscriptio. Instauratum deinde fuit ab Antonino Pio, post à Sept. Seuero, vt idem frontispicium habet, nec vlla illic Flauiorũ alicuius mentio. Tandẽ Bonifacius IV. hoc ipsum à Phoca Imperatore obtinuit, ac eiectis Gentium simulacris, in honorẽ Virginis Mariæ, omniumq; Sanctorum consecrauit, hodieque ob ædificij formam, Sancta Maria rotunda vocatur.

Pag. 69. *Lugdunensibus Photinum.*) Photinus primus Lugdunensis Episcopus, an à Clemente in Gallias destinatus sit, aliorum esto iudicium. Certè sanctus hic vir, anno Christi 179. sub Eleutherio Papa, & M. Aurelio Antonino, martyrij coronam adeptus est, (septuaginta videlicet septem annis post obitum Clementis) Vide Eusebium Lib. 5. c. 1. Baron. t. 2. ad ann. 179. Gregor. Turon. Lib. 1. c. 29. & Adon. Vienens. in Chron.

Ibid. *Turonensibus Gratianum.*) Neque Gratianus primus itidem Turonensis Episcopus à Clemente, sed Fabiano Papa, multis annis post in Galliam missus; cœpitque sedere anno Christi 251. Decij Imper. primo. Gregor. Turonens. Lib. 1. cap. 30. & Lib. 10. cap. 31. Baronius item in notis ad Martyrologium.

Ibid. *Narbonensibus Paulum.*) Nec hunc à Clemente, sed à D. Paulo in Gallias ductum, suprà dixi. Vide Martyrol. Roman. cum notis Baronij ad 22. Martij.

Ibid. *Cenomannis Iulianum.*) Huius memoria in Martyrolog. Rom. 27. Ianuarij, vbi expressè à S. Petro ad prædicandum Cenomanensibus Euangelium missus traditur.

Ibid. *A Senatu est damnatus, & in palatio interfectus.*) Viuus à Senatu nihil passus Domitianus; mortuus autem, vt ait Suetonius, contumeliosissimo acclamationum genere laceratus est: acta eius rescissa sunt, imagines, tituli, & memoria damnata, ac abolita est.

Ibid. *Corpus eius humanâ caruit sepulturâ*) Æquum erat, vt is humanis careret honoribus, qui arrogauerat diuinos. Sex. Aurel. Victor scribit: *Funus illius, Senatus decreto, gladiatoris more fuisse elatum.* Sequentia Suetonius de funere Domitiani habet: *Cadauer eius populari sandapila per vespillones exportatum, Phyllis nutrix in suburbano suo, Latinâ viâ funerauit: sed reliquias templo Flauiæ gentis clam intulit, cineribusq; Iuliæ Titi filiæ, quam & ipsa educauerat, commiscuit.*

Pag. 70. *Traianum, &c. in filium adoptauit.*) Nulla re memorabilior Nerua, quàm quòd Traianum summum Principem, adoptione ad Imperium adsciuerit, virum non alienum modò, sed alienigenam, ob eximiam virtutem proximis præferens. Non deerant sanè propinqui Neruæ; verùm ille *publicam vtilitatem sanguinis coniunctioni anteponendam esse censebat*; neq; illum deterrebat, quod Traianus natione Hispanus esset: *Virtutem cuiusq; non patriam æstimandam esse iudicabat.*

Ibid. *Erat ei domi sanctitas, & in armis fortitudo; &c.*) Talem hic sese Reipublicæ præbuit, qualem vix, ægreque exprimere valuerunt summorum scriptorum admiranda ingenia. Cumque inprimis ab egregijs Principibus expectentur: *Sanctitas* nimirum *domi, in armis fortitudo, vtrobiq; prudentia*; tantus in eo

erat maximarum rerum modus, vt quasi temperamento quodam, virtutes in illo concurrisse visæ fuerint.

Ibid Cùm esset annorum LXXXXIX. &c.) Baron. Annal. Tom. 2. ad an. 101. n. 8. auctor est apud antiquos de ætate Ioannis nihil reperiri, & probat ex Hieronymo ignotam esse ætatem eius; ad vltimum tamen suam adfert coniecturam; vultq; obijsse illum an. æt. 93. Habet tamen antiqua traditio, defunctum S. Ioannem anno à morte Christi 68. ab excisa Ierosolyma 28 ætatis 99. Traiani Imperat. primo, mensis decembris die 27. quemadmodum & apud Irenæum, Eusebium, Epiphan. Isidorum, Vsuardum, Nicephorum; Vrsperg. & alios videre est.

Ibid Descendit in defossum sepulturæ suæ locum, &c.) Ita Niceph. Callistus Lib. 2. c 42. vbi expressè dicit; corpus S. Ioannis, & B. Virginis Deiparæ post sepulturam nuspiam inuentum, sed cœlo inuectum esse. & hanc opinionem multi admittunt. Malo tamen vt videas quid hac de re opinetur Baron. Tom. 2. ad ann. 101. n. 3. & 4.

Ibid. Sed & Alexander Papa martyrio consummatus) Fallitur hic Hugo: non sub Traiano, sed Hadriano S. Alexander martyrium passus est, ann. Christi 132. Hadriani 13.

Ibid. Plinius secundus Orator & Historiographus.) Plinium Naturalis historiæ scriptorem, & Plinium Oratorem, cuius Epistolæ & Panegyricus extant, multi confundunt, quod videtur etiam Hugoni accidisse. Propositum quidem fuit Plinio iuniori Historiam conscribere, vt ex Epistolis eius apparet Lib. 5. epist. 8. an scripserit, hactenus nemini compertum est. Interim hoc loco intelligendus est Plinius iunior Bithyniæ tunc tempo is Proconsul, qui Lib. 10 Epist. 97. ad Traianum fatetur: *Nihil de Christianis se comperisse aliud, quàm quòd soleant stato die ante lucem conuenire, carmenq; Christo, quasi Deo dicere secum inuicem, seq; sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne adulteria committant, ne fidem fallant, ne depositum appellati denegent, &c.*

Ibid. Apud Seleuciam Isauriæ vrbem, &c.) Tandem ingenti rerum gestarum fama ad Vrbem remigrans, apud Seleuciam Isauriæ, (Dio habet Selinuntem Ciliciæ vrbem.) aluino profluuio extinguitur. Vnus ex omnibus, cui & mortuo Triumphus, & sepulchrum intra vrbem datum. Eius cineres Romam triumphali pompa inuecti, & in Foro Traiano sub marmorea columna conditi, opus sanè, nec altitudine magis, quàm insculptâ Dacicâ victoriâ admirabile.

Ibid. Adrianus Consobrini Traiani filius.) Ita Sext. Aur. Victor. Paul. Diaconus, & Ælius Spartianus. Verùm Orosius, Eutropius, Cassiodorus, Iornandes, Freculphus, Ado, & plures, Adrianum consobrinâ Traiani genitum volunt. Princeps ingenio varius & multiplex, & ad virtutes perinde atque vitia factus. Artium in eo studium pœnè omnium fuit, etiam minutissimarum, quarum peritos tanquam æmulos obterere consueuerat.

Pag. 72. Bellum contra Sauromatas gessit & vicit.) Idem habent Orosius, Eutropius & Freculphus. Dio etiam & Spartianus aliquid de hac re innuunt, vtriusque verba adijciam: *Danubium transijt armatus, quâ re animaduersâ, ita barbari Romanos obstupescere cœperunt, vt in se inuicem conuersi, ad componendas controuersias, quæ inter ipsos erant, Hadriano arbitro vterentur.* Hæc Dio. Spartianus

autem nihil amplius, quàm quod sequitur; *Audito deinde Sarmatarum & Roxolanorum tumultu, præmissis exercitibus,* (Hadrianus) *Mœsiam petijt, &c. cum Rege Roxolanorum pacem composuit.* Ceterum belli illius Sauromatici, apud alios auctores altissimum silentium est.

Ibid. Christianis tantùm ciuitate permissâ.) Hæc verba restringi debent solùm ad Iudæorum exclusionem (quibus sub pœna mortis vetitum erat, nè Hierosolymam adirent.) non autem Gentilium. Nam Hadrianus ciuium Romanorum coloniam eò deduxit, quos non fuisse Christianos verisimile est; præterea Deorum ibi templa & cultum instituit, quæ minimè item in Christianos quadrant.

Ibid. Et vxor eius Augusta.) Idipsum ijsdem planè verbis attestantur Orosius Lib. 7. cap. 13. Ado Vienn. in Chronicis. Præterea Numismata à Bizo, & vtroque Strada Iacobo & Octauio edita, Augustæ honorem Iuliæ Sabinæ vxori deferunt. Quam vt morosam & asperam dimissurus erat Hadrianus, si priuatus fuisset; tanquam adulterij suspectam, quòd cum Septio Claro, & Suetonio Tranquillo, familiarius quàm reuerentia domus aulicæ postulasset, egisset, Æl. Spartiani. Seruilibus tandem iniurijs affecta, ad voluntariam mortem compulsa est, nec sine fabula veneni dati ab Hadriano expirauit.

Ibid. Vix Æl. Adrianus annis LXII.) Cùm vitæ tædio mortem sibi inferre tentasset, apud Baias in conspectu Antonini Pij perijt; cùm vixisset annos 62. menses 5. dies 17. imperasset annos 21. menses 11. Iam iam moriturus, sequentes versiculos pronunciasse dicitur:

Animula vagula, blandula,
Hospes comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec vt soles dabis iocos.

Ibid. Telesphorus, &c. vt per sex hebdomadas.) Septem hebdomadibus ait Platina in vita Telesphori, cui plures consentiunt, & res ipsa loquitur. Probant tamen Baronius & Bellarminus, illum ieiunandi modum primitùs ab Apostolis traditum, ac proinde à Telesphoro potius confirmatum, quàm institutum. Vide itidem Theatr. Beyerl. tom. 6. Litt. Q. p. 1.

Ibid. Antoninus, &c. naturâ benignus.) Tantâ virtute & bonitate, hic Romanæ rei præfuit, vt omnia exempla superarit. Patris enim potius affectu, quam Principis Rempub. tractauit: atque orbem terrarum sine bello, quam diu imperauit, solâ auctoritate rexit; ita vt Numæ Pompilio, bonorum sententiâ, compararetur. Adamabat illam Scipionis celebratissimam sententiam, sæpiusculè dicens: *Malle se vnum seruare ciuem quàm mille hostes occidere.* Pacem videlicet bello præferens; & in ipso bello sentiens, hanc oportere primam esse Ducis curam, vt quàm minimâ cum ciuium iacturâ paretur victoria.

Pag. 73. Vt ab infantia vultum nec ex lætitiâ, neq; ex mœrore mutarit.) Ecce fructus Philosophiæ Stoicæ, cuius Princeps hic omni exceptione maior, à pauxillo puero litauit; quam post deinde reliquo vitæ curriculo, & sermone, & moribus ac professione luculenter declarauit; hinc Philosophus cognominatus. Nihil ficti aut falsi nunquam in illo conspectum; nihil in illo quod non veritatem,

clemen-

clementiam & liberalitatem spiraret: nec vllus præterea auaritiæ aut prodigalitatis, apud illum locus erat.

Ibid. Hic (Marcus) asciuit ad Imperij partem Aurelium Verum propinquum.) Antonino Pio, filius adoptiuus M. Aurelius Antoninus successit, qui L. Aur. Verum, cui Lucillam filiam collocarat, in Imperij consortem asciuit. Ac tum primum duo Imperatores Augusti nomine rempub. gesserunt: qui etiam in Iure Iustinianeo, passim Diui fratres appellantur, eò quòd ambo antè ab Antonino Pio adoptati essent. Notandum tamen hic, L. Aur. Verum, non statim iure vel more adoptionis participem Imperij factum, sed demum Marci benignitate honorem illum consecutum fuisse: quod Iulius Capitolinus disertè tradit in vita Veri. m. p. 101. Ad vndecimum annum concorditer imperauerunt, vitæ interim institutis inter se dissimillimi: Nam Verus deliciarum & luxuriæ erroribus diffluebat, (nisi quatenus pro consensu Imperij ad Marci mores respiceret.) Marcus autem omnia summâ prudentiâ & moderamine administrabat, vt nemo Pij Antonini lenitatem in illo desideraret; Fratris verò vitia ita dextrè moderabatur, vt quasi alienâ virtute obnubilata apparerent.

Ibid. Ambo hi contra Parthos admirabili virtute pugnarunt.) Parthicum bellum consentiente senatu, L. Aur. Verus solus administrauit. Marcus verò Aurel. Antoninus, quòd res vrbanæ Imperatoris præsentiam postularent, Romæ mansit, nisi quòd abeuntem fratrem Capuam vsque deduxerit, ac eundem ægrotantem Canusij rursus inuiserit. Iulius Capitol. in vita Marci m. p. 72. Ceterum quod ibidem de admirabili eius virtute narratur, ad Duces illius, qui toto quadriennio aduersus Parthos rem prosperè gesserunt, referri debet.

Ibid: Quo (Vero) defuncto, M. Antoninus Reipubl. solus, paucis diebus præfuit.) Superuixit M. Antoninus Vero ad minimum annis decem, nec imperium nisi cum ipsa vita deposuit: Nisi fortè quis verba hæc ad L. Aur. Commodum Marci filium, quẽ non multò post Cæsarẽ appellauit, restringenda censeat; quod etiam sequentibus Ado in Chron. expressè testatur. *Eo defuncto M. Antoninus solus aliquantulũ Reipub. præfuit, post Commodum filium suum adsumpsit in regnum.* Ego Interim pro *diebus*, legendum esse puto *annis*; quinque enim vel sex annis, si rectè memini, post obitum Veri, L. Aur. Commodus Cæsar à patre designatus est.

Ibid. Ad inuocationem nominis Christi, & cet.) De miraculosa hac Marcomannorum clade, elegantissimè Claudianus, homo à Christiana religione abhorrens, nisi quòd illam non Christianis acceptum referat.

Laus tibi nulla Ducum. nam flammeus imber in hostem
Decidit. Hunc dorso trepidum fumante ferebat
Ambustus sonipes: hinc tabescente solutus
Subsedit galeâ; liquefactaq; fulgure cuspis
Canduit, & subitis fluxêre vaporibus enses:
Tunc contenta Polo, mortalis nescia teli
Pugna fuit. Chaldæa Mago seu carmina ritu
Armauêre Deos; seu, quod reor, omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuêre mereri.

Dio item Cassius totum hoc miraculum incantationibus cuiusdam Arnuphis magi Ægyptij attribuit; quem eius abbreuiator Xiphilinus merito refellit. Victoriam

tiam autem hanc non Magicis artibus fuisse obtentam, inde liquet, quòd Imperator à Magorum societate, & diabolicis præstigijs totus abhorruerit; Nec vt Capitolinus prætendit, Marci precibus impetrata fuit, sed obsecratione Christianorum; vt Tertullianus, Orosius, Eutropius, Zonaras, Ado, Hugo, & alij attestantur.

Ibid. *Egesippus Historiographus.)* Huius Euseb. lib. 4. c. 21 & Hieron. lib. de Scriptor. Eccl. meminére. Scripsit historiam Eccl. vsque ad sua tempora, id est vsque ad Aniceti Pontificatum. Libri verò de excidio Hierosolymæ, qui sub nomine Egesippi circumferuntur, aut alterius Egesippi recentioris, aut supposititij sunt. Certè ex l. 3. c. 5. colligitur, post Constantini Magni tempora illos fuisse conscriptos.

Ibid. *M. Antoninus decimusquartus Imperator ab Augusto.)* Immò decimus quintus est; quatuordecim enim inter vtrumque medij fuére. Sequitur Hugo Orosium, qui Othonem & Vitellium, non videtur in Principum numerum recipere; contra ac à Suetonio, Dione, Eutropio, Zonara, & alijs factum.

Ibid. *In Pannonia constitutus, repentino morbo diem obijt.)* Annis 19. mensibus 11. in Imperio transactis, apud Vindobonam, siue Viennam hodiè Austriæ metropolim, extinctus est; (pars enim inferior Austriæ, ad Cœtum vsque montem, vno supra Viennam milliari protensa, olim Pannoniæ accensebatur.) extinctus inquam ibidem *morbo repentino*, id est, summè acuto, septimo videlicet inualetudis die, nec sine suspicione contagionis: quam ob caussam filium etiam festinantius à se dimisit, ne in eum morbus transiret. Ita Capitolinus in vita ipsius.

Ibid. *Cui successit L. Aur. Commodus.)* Imperator hic vtique felicior extitisset, si filium Aur. Commodum non habuisset, (nisi quis fortè contendat, Commodum hunc non Marco Antonino, sed gladiatore patre potius esse natum; cuius amoribus Faustina impudica vxor Marci, intemperantius adsueuerat.) Pater enim optimus nequissimum filium successorem habuit, crudelitate, libidine, turpitudine, auaritiâ, ac fœdis & Imperatore indignis artibus Neroni simillimum. Quantum olim incrementi & decoris accepit Romanum Imperium sub suis Imperatoribus, à Domitiano vsque ad M. Antonini obitum: tantum iam detrimenti & dedecoris, ab alijs recepit, qui deinceps sequuntur vsq; ad Diocletianum.

Pag. 75. *Huic Concilio interfuerunt Victor Papa, & cet.)* Ita autem sese res habet: Quando olim agitabatur Quæstio: *Num die Dominicâ, vel 14. mensis, ex lege Mosaica Pascha esset celebrandum?* aliquot congregata fuére concilia; vnum Romæ, cui præfuit Victor Papa; aliud Cæsareæ, eiusdem Victoris auctoritate, cui Theophilus & Narcissus præsederunt, &c. Vide Euseb. lib. 5. cap. 22. Baron. ann. 198. Onuphr. ann. 187. & Chronolog. Gualtheri l. 2. p. 170.

Ibid. *In domo Vestali strangulatus est.)* Lege cum Iornande, Orosio, & Eutropio, *in domo Vestiliani*, vel cum Æl. Lampridio, & Iul. Capitolino; *in ædibus Vectilianis*: quæ in Cælio monte erant, ad quē cōcesserat Cōmodus, quòd somnus eius in Palatio, vmbris interturbaretur, Æl. Lamprid. in vita. Atque inibi suorum insidijs, quibus necem destinarat, oppressus est, anno Imperij 13. cum vixisset annos 37. menses 4. Senatus vt nomen eius raderetur, & cadauer vnco

Ff tractum

tractum, in Tiberim proijceretur, illicò sanxit; Iussu tamen Æl. Pertinacis in monimentum Hadriani translatum.

Ibid. Iuliani Iurisperiti scelere, & cet.) Sublato Commodo, Ælius Pertinax (Ita dictus, quòd mandatum ex S.C. Imperium acceperit inuitus,) ab ijsdem qui Commodum oppresserant, Imperator designatus est. Hic cùm perditissimum Reipubl. statum ad pristinam integritatem reducere adniteretur, occisus est. Cuius cæde ciuitas turbata, ac fluctuans Imperij possessio à militibus turpissimo præconio venalis proposita est; quam tandem licitari ausus fuit M. Didius Iulianus, (Saluij Iuliani Iurisconsulti celeberrimi pronepos, vt vult Æl. Spartianus, vel nepos vt Eutropio & Paul. Diacono magis placet,) vir nobilis, pecuniosus, factiosus, præceps, regni auidus, Iurisperitus itidem excellens, eruditione tamen melior, quàm animo. Sed & ipse post paucos menses, quòd integrum donatiuum repræsentare non posset, à militibus destitutus, Septimij Seueri iussu necatur.

Pag. 76. Theodotion, qui tertio anno post Symmachum, secundam Scripturarum composuit editionem.) In Frag. Iuonis legitur: *Theodotion, qui post Symm. quartam editionem, &c.* quam lectionem probiorem iudico: & nescio quid hac de re innuat Dion. Petauius Chronologus exactiss. in suis Animad. ad Epiphan. quas tamen videre mihi non contigit. Vide eiusdem Chronologiam m. p. 313. Interim communis hæc sententia: Primam videlicet Bibliorum translationem à LXX. Interpretibus, secundam ab Aquila, Tertiam à Theodotione, & quartam à Symmacho adornatam; quibus Origenes tres alias adiecit, vt apud Sixt. Senens. Posseuinum, ipsúmque D. Hieron. videre est.

Ibid. Seuerus apud Eboracum deficiens, & cet.) Decessit Eboraci, ann. Imperij sui 18. ancipiti famâ: quippe idem & rerum gestarum gloriâ inclutus, & illustrium virorum cæde infamis. Hinc illud vulgò iactatum: *Seuerum aut nunquam nasci,* (propter crudelitatem,) *aut mori,* (propter successorum ignauiam,) *oportuisse.*

Ibid. Reliquit filios Bassianum & Getam, quorum Geta, & cet.) Bassianus & Geta Seueri filij, primùm ob indolis morúmque dissimilitudinem, puerilibus colluctationibus inter se dissidere cœperunt: hic erat miti ac ciuili ingenio, ille autem truculento & furoris pleno. Vtrumque pater pari potestate ad Imperium destinarat; Bassianus consortem non ferens, exclusum cupiebat Getam, hinc gliscebant indies fraterna odia. Bassianus tandem simulatâ concordiâ, fratrem acciuit, quasi arbitrâ matre, omnes inimicitias positurus: interim Getam nihil tale metuentem, per colloquij speciem, in ipso Iuliæ matris sinu, multo vndantem sanguine obtruncauit. Vide Dionis abbreuiatorem Xiphilinum.

Pag. 77. Mater Macrinus Palatij præfectus.) Insolens hæc lectio est: nuspiam enim me legisse memini, Opilio Macrino, Macri nomen fuisse inditum, aut Præfecturam Palatij, (sed Prætorij) demandatam.

Ibid. Macrinus Opilius Romanum inuasit Imperium.) Huius propter obscuritatem generis, etiam parentes ignorantur. Sub Commodo tabellio, sub Seuero caussarum patronus in Africa, sub Bassiano fisci aduocatus, tandemque Prætorio præfectus fuit; hinc Iuris magis consultus, quàm belli dux. Militibus magnis promissionibus sibi conciliatis, Imperium arripuit, filio Diadumeno, nomen

tem annorum puero, sibi in collegam allecto. Sed mox vnà cum filio à militibus rebellantibus occisus est.

Ibid. Marc. Aur. Antoninus Gabalus) Ab Idolo Soli sacro, cuius & Sacerdos ante in patria fuerat, Heliogabalus dictus, ab vrbe etiam Phœniciæ Elgabal, Elagabalus vocatus fuit. Hic mortalium omnium turpissimus & flagitiosissimus extitit; adeò vt in mulierem abiectâ virilitate se deformaret, & quiduis in corpore suo pateretur. Ingentibus vitijs hunc Imperium dedecorasse ait, Capitolinus.

Ibid. Alexander Mammeus, &c.) Non id Alexandri cognomen, sed matris eius, (à qua celebrior quàm à patre,) nomen fuit; cui se, quamdiu vixit, etiam in Imperij rebus, ad inuidiam vsque, morigerum & sequacem præbuit; donec tandem muliebris auaritia, & nimia pecuniæ cupiditas, milites alienaret, & vnà cum vita potentiam filij exterminaret. Mater & filius vno eodemque die necati, ac eodem monimento conditi.

Ibid. Xerxem eorum Regem, &c.) Artaxerxes hic vocatur à Lampridio, Herodiano, Dione, Zonara, Cuspiniano, & alijs: estque ille ipse, qui Artabano vltimo Parthorum Rege occiso, Persarum in Oriente instaurauit Imperium. Vide Agathiam Lib. 2. Herodian. Lib. 6. Iornandes autem, Eutropius, Cassiodorus, Diaconus, Freculphus, & Ado cum Hugone faciunt, Xerxis nomen retinentes.

Ibid. His temporibus inclyti Christi martyres, &c.) Licèt optimus hicce Princeps à Christo non abhorruerit, vt eius etiam effigiem in Larario suo posuerit, ac subinde matutinis horis, vt inquit Lampridius, coluerit; tamen illo imperante, in Christianos duriter satis sæuitum fuit. Quod nonnulli Domitio Vlpiano I. C. tunc temporis Alexandro perquam familiari, at Christianis infensissimo, potissimum admetiuntur; vtpote qui aduersus Christianos cuncta Principum Rescripta collegerat, ac iure in eos agi demonstrarat. Lactant, Lib. 5. cap. 11. & seq.

Pag. 78. Maximinus, nullâ voluntate senatus, & cet.) Maximinus obscurâ & barbarâ progenie natus. Primis annis in Thraciæ montibus pastorem & opilionem egit, post sensim ad maiora prouectus, tandem manu quasi à fortuna ductus ad Imperium deuenit. Imperare cœpit in Gallijs nondum Senator, & primus (inquit Capitolinus,) è corpore militari, sine Senatus auctoritate inuasit Imperium, quod scelere quæsitum, sæuitiâ tueri statuebat.

Ibid. Porrò Maximus Iulius, qui & Maximinus, &c.) Quid per Maximum intendat Auctor non capio, cùm nusquam Maximi nomen Maximino attributum inueniā; nisi quis fortè de filio eius intelligi velit, qui & Maximus & Maximinus promiscuè appellatus, (vide Numismata vtriusque Stradæ,) ac vno eodemque actu cum patre, à Pupieno enecatus fuit; conclamantibus cunctis militari ioco: *Ex pessimo genere ne catulum quidem relinquendum.* Vereor tamen ne Hugo noster per errorem, ipsum Maximinum Imperatorem, & Maximum interfectorem eius confundat, quem ipse cum Latinis & nominatim Iornande, Orosio, Eutropio & Adone, &c. Pupienum vocat. Iul. Capitolinus, Herodianus, Zonaras, &c. Maximum vocant. Alijs itidem Maximus Pupienus dicitur.

Ibid Pupienus & Balbinus fratres.) Fratres non fuerunt, nisi fortè mutuo

 amore

amore & fraternâ beneuolentiâ. Fuit enim Balbinus nobilissimæ stirpis, Pupienus verò sordidæ originis, ast rebus optimè gestis vterque clarissimus. Seductus hac in parte ab Orosio & Adone Hugo noster, dum Balbinum, (corruptè tamen ab illis Albinus vocatur,) Pupieni scribit fratrem fuisse.

Ibid. Statim in Palatio cæsi sunt.) Cæspitat hic iterum Hugo cum præcitato Adone & Orosio; non enim in palatio, sed in media vrbe à seditioso milite trucidati sunt, Capitolino, Herodiano & Zonara testibus. Hanc potissimum ob causam exosi Prætorianis, quòd auctoritate Senatus ad Imperium euecti fuissent, & mordebant in primis factæ inter inaugurandum acclamationes: *Sapientes electi Principes sic agunt, per imperitos electi Principes sic pereunt.* Igitur arrepto prætextu, à tacitis illorum dissensionibus, vtrumq; palatio exturbatum vestibus regalibus nudarunt, & ob superuenientes auxiliares Germanos in via publica trucidarunt, postquam annum solidum, & quod excurrit, Imperio vterque præfuisset.

Ibid. Suorum fraude interfectus est.) Gordianus natus annos 11. vel 13. vel 16. (id enim ambiguè proditum est,) optimâ & ad omnem virtutem factâ adolescens indole, ab exercitu Augustus acclamatus est, quam rem Senatus approbauit, & Pupieno atque Balbino sublatis, ad eum detulit rerum summam. Sed à Philippo, quem tutorem primò, mox collegam adsumpserat, impiè tandem & crudeliter occidi iussus est. Capitolinus.

Ibid. Primus Imperator Romanorum Christianus.) Ita Euseb. Lib. 6. c. 27. Zonar. tom. 2. Oros. lib. 7. cap. 20. Eutrop. lib 10. Iornandes, Cassiodorus, Ado &c. Baron. item multis probat, Philippum Christianis initiatum quidem sacris, sed demum postquam imperare cœpit, ad veram religionem accessisse putat, Ann 246. n. 2. 249. n. 3. 253. n. 1. Sunt tamen qui isthæc ex Epistolis Originis ad Philippum, & eius coniugem Seueram, (quæ dubiæ fidei esse perhibentur,) hausta esse asseuerant, & ideò de religione Philippi, nihil certi pronunciari posse, autumant. Vide Serbum Caluis. in Chronologia, fol. 371. Ceterum Philippus cum filio suo, septimo fermè Imperij anno, Decij dolo necatus, principatum scelero partum, pari scelere amisit.

Pag. 79. In medio Barbarorum sinu interfectus est.) Hæc Hugonis verba ita capienda sunt, non quòd in barbarico sinu interierit Decius, sed insidijs Barbarorum fugam simulantium, loco angustiori & palu̅doso circumuentus sit, vbi cruentæ vtrimque cædes factæ. Filius enim Imperatoris in prima acie cæsus, ipso dicente consolantibus: *Detrimentum vnius militis parum sibi videri.* Post ipse Decius, ne viuus in hostium manus incideret, in voraginem paludis insilijt, à qua illicò absorptus, vt ne cadauer quidem postea inueniri potuerit. Et ita Imperator cum filio effusi innocentis Christiani sanguinis reus, Numine vlciscente, meritas dedit pœnas; Galli, vt scribit Zosimus, l. 1. p. 7. fraude cum Barbaris occulte conspirantis, ea clades est accepta.

Pag. 83. Quintillus, &c. septimo die Imperij sui interfectus.) Hic multæ moderationis Princeps & ciuilitatis, æquandus fratri vel præponendus, dignusque Imperio, etiamsi Claudij frater non fuisset. Ob breuitatem temporis nihil dignum Imperio gerere potuit, septimo enim decimo die, (non septimo vt per errorem putat Hugo,) quòd se grauem & serium militibus ostenderet, ac verum Principem polliceretur, eo genere quo Galba, quo Pertinax, Aquileiæ interem-

ptus

ratus est, vt Trebell. Pollio inquit, etsi metu Aureliani, incisis à Chirurgo venis, sponte exitium sumpsisse Zonaras & Zosimus opinentur.

Ibid. Vrbem muris firmioribus cinxit.) Ita Orosius, Eutropius & Ado. Aur. verò Victor sic habet: *Hic* (Aurelianus) *muris validioribus & laxioribus vrbē sepsit.* Quæ lectio vero similior est: nullus enim Imperatorum vrbis pomœrium hoc Aureliano latius extendit; murorum videlicet ambitu ad 50. milliaria Italica ampliato vt auctor est Fl. Vopiscus in vita Aureliani. Adi itidem, si libet, Iust. Lips. Lib. 3. c. 2. de magnit. Rom.

Pag. 84. Vnde interpellatus est Aurelianus.) Eadē hæc disertissimis verbis narrat Eusebius l. 7. c. 24. & Niceph. Callist. Lib. 6. c. 28. Mirum tamen; & verè incredibile videri posset, Aurelianum hominem ethnicum, & naturâ trucem at crudelem, arbitrio Ecclesiasticæ litis ad se delato, æquissimâ sententiâ pro Catholicis eandem diremisse.

Ibid. Inter Constantinopolim & Heracleam morte subitâ diuinitus extinctus.) Subitò sanè & ex improuiso vt plurimum moriuntur, qui ex insidijs & proditione trucidantur: impropria tamen locutio est, si taliter interemptos, subitaneâ morte quis interijsse dicat. Familiarium scelere & insidijs ad Cænophrurium, inter Byzantium & Heracleam occisus est: nec mors illius mansit inulta; princeps enim coniurationis Mnestheus, Imperatoriâ secretis, ad stipitem affixus, bestijs obiectus est. Flauius Vopiscus in diuo Aureliano.

Ibid. Quo defuncto Tacitus Imperauit mensibus VI.) Aureliano sublato interregnum fuit mensium circiter septem, quod de eligendo Imperatore, Senatum inter, & milites amica, & ad hanc diem rara esset orta contentio, eas sibi partes vtrisque deferentibus. Tandem ab Senatu creatus est Tacitus, vir præclarè moratus, & tractandæ Reipublicæ in primis idoneus. At idem post apud Tarsum, aut tumultu militari (Ita Iornandes, Orosius, Ado, Hugo, Zonaras, qui etiam caussam necis adscribit, reliquis prætermissam,) aut morbo, (vt Eutropio, & Aur. Victori placet) interijt. Vopiscus diuersas de obitu illius refert sententias.

Ibid. Florianus Romanum Imperium est adeptus.) Florianus Taciti frater citra arbitrium Senatus, Imperium quasi iure hæreditario sibi debitum inuasit: at tertio statim mense à militibus suis occisus est; ita Vopiscus, Iornandes, Orosius, Ado, Zonaras, Cuspinianus. Secundum autem Aur. Victorem & Eutropium, incisis sponte venis, effuso sanguine consumptus putatur.

Ibid. Suscepit Thimaus Sacerdotium.) Legendum est *Timaus*, secundum Niceph. Callist. Euseb Baronium, & Fragm. Iuonis.

Pag. 85. Agapio Pamphilus martyr sanctissimus.) Pamphilus hic martyr, Presbyter Cæsariensis, non Episcopus fuit. Confunditur igitur hoc loco Eusebius Episcopus, cui cum Pamphilo Presbytero tanta intercessit familiaritas, vt Pamphili cognomen sibi adsumpserit.

Ibid. Iste Aprum Numeriani interfectorem, &c.) Diocletianus in Dalmatia obscuro genere natus, sed militari fortitudine præstans. Is mox vt ad Imperium adsumptus, Aprum Numeriani interfectorem, manu sua peremit; eoque vaticinium illud impleuit, quod olim acceperat, tum se Imperatorem fore, cum aprum manu occidisset. Ex quo in venatu, quoties in aprum inciderat, eum per

sese venabulo conficere solebat. Tum verò postquam Aprum interemit, fatalem se denique aprum inuenisse iactauit.

Pag. 90. *Gallia non tam ampla quàm inclyta.*) Negari nequit etiam amplissimam posse dici, cùm Germaniam & Hispanias magnitudine propè adæquet. Robertus interim Cænalis Hist. Gall. Lib. 1. perioch. 12. p 98. totum hunc de Galliæ limitibus contextum, verbotenus ex Hugone nostro decerpsit, cuius hoc est principium: *Gallia vniuersa supra suam amplitudinem inclyta tribus prouincijs terminabatur antiquitus, &c.* Hactenus Hugo; & hanc lectionem genuinam esse iudico. Interim eodem loco Cænalis fatetur, Hugonem contractè nimium, & satis truncatè Galliam ibidem descripsisse.

Ibid. Prouincijs tribus terminabatur.) Ita olim tempore Iulij Cæsaris terminabatur, nisi quòd quarta accedebat Narbonensis Prouincia, de qua separatim infra Hugo agit; postea in longè plures dispertita est prouincias; quarum decem ad minimum Ammianus Lib. 15. recenset. Vide itidem Robert. Cænal, pag. 116. 117. 118, Robert. Gaguinum, p. 4. 5. 6. Paul. Merulam p. 349. 350. 351. Ioannem de Laët in nouissima sua descriptione Galliæ.

Ibid. Pagus Heluetiorum, &c.) Pagus apud veteres non vicus vnus, seu villa mœnibus carens, vt hodie; sed tractus, siue districtus vnius ditionis, vel regio, & populi alicuius pars dicebatur. Germanis veteribus ein Gow; vnde Gowgraff/ hodie corruptè Gograff, Præses pagi vel regionis alicuius. Hinc Iulius Cæsar, Lib. 1. Comm. de bel. Gal. scribit: *Totam Heluetiam in quatuor pagos esse distinctam.* De pagis veteris Germaniæ prolixius agunt Wolffg. Lazius, Ioannes Auentinus, Iodoc. Willichius, Mich. Beutherus, Marquard. Freherus, Georg. Torquatus, Andr. Althamerus, & plures alij, ad quos lectorem remitto.

Ibid. Dordonia.) Ita Gregor. Turonensis, & Aimonius. Ausonio interim & Sidonio Apollinari, alio nomine Duranius dicitur. Vide Pap. Massonum de fluminibus Galliæ pag. 581. & Paulum Merulam pag. 202. in Cosmographia sua.

Pag. 91. *Oxunis, id est Sagiensis.*) Fragm. Freheri, & Excerpta ex Hugone, quæ extant apud Robertum Cænalem pag. 155. *Oximus* habent: Interim quid per Oximum velit, non capio. Ceterum Sagium, siue Saiorum ciuitas, in Notitia Prouinciarum, non tam oppidum, quàm totus eorum Pagus & Ditio est.

Ibid. Lixouium.) Vulgatius est Lexouium, Lexobium, siue Luxouium, Gallis Lisieux, Normandiæ ciuitas est, Præsule antiquo Freculpho, celebri Chronicorum conditore illustris.

Ibid. Abrincantina.) Ciuitas itidem Normandiæ est: olim ingena Abrincantorum dicebatur; Segeberto Villa Abrincantina, Cænali ciuitas Abrincatensis, Arboricensis, siue Arboretana vocatur, cuius loci idem Rob. Cænalis, qui auorum nostrorum memoriâ Historiam Gallicam ad Henricum II. scripsit, Episcopus fuit.

Ibid. Insulas Cycladas.) Puto legendum, *Insulas Stœchades*, quæ Massiliensium littori penè incumbunt; Cyclades autem, in mari Ægæo sitæ sunt, & ad Græciam pertinent.

Ibid. Vidit

Ibid. Vidit per soporem in cœlo signum S. Crucis, &c.) Ita Eutropius. Eusebius autem paulò aliter rem narrat, neque apud illum Angelorum mentio est. Hugo diurnam visionem, & somnium nocturnum inuicem videtur confundere.

Ibid. Transformat signum quod dictum Labarum, &c) Vide Baronium tom. 3. ad ann. 312. num. 18. & seq. & Eutrop. lib. 11. Meminit eius & Lips. Lib. 4. Mil. Rom. Dial. 5. sed vt rem posterioris æui, inexplicatam dimittit. Erat autem Labarum, militare vexillum ante Imperatorem gestari solitum, auro contextum, ac gemmis interpunctum; tantæ olim existimationis, vt à militari turbâ adoraretur. Huius deinde loco Constantinus Crucis insigne iussit præferri: cuius meminit Ambros. in Epist. Sozomenus Hist. Tripart. Lib. 1. cap. 5. & alij.

Pag: 94. Licinius qui ab; eo consors Imperij, &c.) Non Constantinus in consortium Imperij Licinium adsumpsit, sed Constantius Constantini pater Cæsarem illum creauerat: licèt Pompon. Lætus à Maximino, & Eutropius à Galerio Licinium Cæsarem factum dicant. Licinianum tamen Licinij filium, vnà cum filijs suis Crispo & Constantino, prædictus Imperator Constantinus Magnus Cæsares designasse tradit Aur. Victor; sed improbante, & contradicente Baronio.

Ibid. Tunc ædificauit sibi Byzantium maritimam ciuitatem, &c.) Constantinus Byzantium, (vt erat laudis auidus) de integro instaurauit, ac Romam nouam, vrbemque sui nominis appellauit: quam, translatis eò pluribus (non omnibus vt Hugo & Ado per errorem opinantur,) Nobilium Romanorum familijs, collectisque toto orbe spolijs, subitò adeò locupletauit, & ad tantum fastigium euexit, vt Romæ æmula dici mereretur: certè ab Idolis repurgatam, templis exornauit augustissimis.

Pag. 95. Sanciuit & instituit testamenta, &c.) Ex quo fonte hæc hausta sint diuinare nequeo. Certè apud Baronium, (qui de Donatione Constantini, concessisque ab eodem Rom. Ecclesiæ priuilegijs, præclarissimè si quis alius scripsit,) altissimum horum, ne quid dicam de reliquis, silentium est; ac videntur omninò eius generis esse, qualia à Græcis multa in odium Rom. Ecclesiæ conficta fuisse, idem Baronius, vbi de Constantini Donatione agit, conqueritur.

Ibid. Condidit in Bithynia ciuitatem Helenopolim.) Antea dicta Drepane, ipsiusque Helenæ patria fuisse putatur, vt scribit Niceph. Lib. 7. cap. 18. Æquior tamen opinatio est, Helenam fuisse Britannam, non Bithynam. Vide Baron. ad an. 306.

Pag. 96. In eadem vrbe Ecclesiam B. Martyri Agneti, rogatu filiæ suæ Constantiæ, &c.) Suburbana est Romæ S. Agnetis Ecclesia, extra portam Esquilinam, ab ipsis vrbis mœnibus integro ad minimum milliari distans. Sed num; eadem à Patre Constantino, vel filia Constantia ædificata sit, controuersia est, quã Baronius tamen ad an. 324. decidit. Vbi etiam ostendit, filiam illam non Constantiam, sed Constantinam fuisse dictam.

Pag. 97. Maximus quoq; Treuirorum Episcopus.) Maximini is nomen habuit, ac S. Agritio successit, fuitque hospes S. Athanasij Treuiris exulantis, &

tis, & interfuit anno 347. Sardicensi Concilio. Post mortem multis claruit miraculis.

Ibid Eusebius Cæsariensis.) Celebris quidem & magni nominis scriptor est Eusebius; ante Synodum tamen Nicænam, (cui interfuit,) Arianâ hæresi fuit inquinatus, & Arianè quædam scripsit in Lib. de præp. Euang. ac proinde Sanctis non accensendus; qua in re Hugonis errorem, Petrus etiam de Natalibus committit. Ad vltimum tamen vitæ punctum veritatem constantissimè amplexus est.

Ibid. Rhetius Augustudunensis.) Legendum est Rheticius: Meminit illius S. Hieron. in Epist. & Script. Eccles. cap. 82. Vir fuit doctissimus, vt eam ob caussam cum Melchiade Iudex ab Constantino Donatistis fuerit datus.

Ibid. Paphnutius homo Dei.) Paphnutius ex Anachoreta, ciuitatis cuiusdam in Thebaide factus Episcopus; occulo & poplite mutilatus, pro fide Christiana exulauit Constantino Magno adeò carus fuit, vt Imperator ipse sæpè oculum effossum deoscularetur.

Ibid. Apud Antiochiam Constans.) Defuncto Constantino, (qui ob virtutem & gloriam, quâ omnes Antecessores suos superauit, Magni cognomen meruit,) tres filij illius superstites, Imperij hæredes Romanum orbē inter se partiti sunt. Constantinus natu grandior, auitam ditionem, cuncta videlicet trans Alpes, hoc est, Gallias, Hispaniam, Alpes Cottias, Britanniam, Hiberniam, Insulas Orcades, & Thylen sortitus est. Constanti natu minimo, Italia, Aphrica cum Insulis, Illyricum, Dalmatia, Macedonia, Achaia, Græcia, Peloponnesus cessit. Constantius autem, inter ambos medius, Thraciam, cuius caput Constantinopolis, & quicquid à freto Propontidis Asiam versus in Orientem protenditur, (*cuius etiam Antiochia pars fuit,*) nactus est. Nuspiam autem inuenio Constantem, omni Principatus sui tempore in Syriæ partes fuisse delatum; Hugo itaque à scopo aberrauit, dum in diuisione regni paterni, Antiochiam Constanti attribuit.

Pag. 99. Constantinus militari tumultu, &c. Constans verò Magnentij dolis necatus.) Constantinus Constantini Magni filius natu maximus, isti paternæ hæreditatis partitioni minimè acquiescens; quarto post mortem patris anno, Constanti fratri bellum mouit, ac in eius fines irrumpens, propè Aquileiam, à militibus Constantis interficitur. Constans verò post annos decem, fraude & insidijs Magnentij, (quem milites præmijs allecti, Imperatorem salutauerant,) manu autem Gaisonis, propè Pyrenæos, in castro cui Helenæ nomen est, confoditur. Oros. l. 7. c. 29. Socrat l 2. c. 3. Zosim. l. 2.

Pag. 100. Cæsar itaq; factus Iulianus, deuicit Gallos apud Rhenum.) Alemani, id est, trans Rhenani populi, fuerunt, quos Iulianus propè Argentoratum, (capto etiam eorum Rege Chonodomario,) deuicit: Ammian. Lib. 16 Eutrop. Lib. 11. Etsi autem Phil. Cluuerius Geographorum nostri seculi princeps, haud absurdè contendat Alemánicam gentem, Gallicæ originis fuisse; suspicari tamen nequeo, eò ab Hugone in præsens respectum fuisse, nec caret res hæc difficultate.

Ibid, Blanditijs & persuasionibus maiorem penè populi partem, &c.) Blanda sub hoc Imperatore persecutio fuit, illiciens magis, quam impellens ad sacrificandum.

tandum. Occultis enim artibus Christianam oppugnauit fidem: Magistratus, Præfecturas, militiæ cingulum, &c: nisi gentili, nemini concredidit. Vetuit præterea ne liberi Christianorum in liberalibus disciplinis erudirentur; quam rem Amm. Marcellinus, licèt ethnicus, perstringit.

Ibid. Militia quippe cingulum, &c.) Cingula non modò militum gestamina, sed & notæ, sine quibus nemo militaribus dignus ordinibus censebatur, quippe eis inserti gladij gestabantur. Ioan. Saresb. l. 6. Policrat. c. 13. *Honorem gladij in cingulo militari frustrà portat.* Sidon. Apoll. carm. 2.

---- ---- ---- Bullis hostilibus asper
Subligat à læuâ fulgentem baltheus ensem.

Item Pub. Virg. l. 12. Æneid. in fine:

---- Humero cum apparuit alto
Baltheus, & notis fulserunt cingula bullis.

Pag. 102. Expirauit Imperij sui anno tertio.) Communis opinatio est, illum Imperij sui anno secundo nondum completo, extinctum fuisse. Nisi Imperator hic, insignes animi dotes, ac rerum prosperè gestarum gloriam, impietate suâ, & magicis artibus, quibus ad cædendas hostias humanas inducebatur, in totum obscurasset: lenitate Titum, felicitate Traianum, clementiâ Antoninum, moderatione M. Aurelium, doctrinâ summos Philosophos, si non superasset, saltem adæquasset.

Ibid. Illo tempore millenarius) In vnaquaque Legione, vt auctor est Vegetius l. 2. de Re militari, c. 6. decem Cohortes erant: quarum prima & honoratior, & numero militum & præstantiâ reliquis potior censebatur; mille enim & centum quinque militibus constabat, dicebaturque Milliaria, siue vt Godfr. Stevvechius vult, Millenaria: cui qui præerat, Tribunus vocabatur, posterioribus tamen seculis Millenarius appellari cœptus: & hoc ex ordine Iouianus fuisse putatur. Zonaras & Cuspinianus disertè eum militum tribunum vocant. Cassiodorus in Chron. & Iornandes à Grutero editus Primicerium domesticorum: at idem à Lindenbrogio recensitus, Tribunum domesticorum vocat. Am. Marcellinus, ordinis domesticorum appellat primum. Zosimus Verroniani domesticorum Tribuni filium vocat. Historia miscell. Diaconi Millenarij nomen retinet.

Ibid. Partemq; superioris Mesopotamia ei concessit) Ita Orosius habet Lib 7. c. 31. Verius autem pleniusque Zonaras Annal. Tom. 3. scribit præter Nisibin & Zingaram vrbes, Prouincias itidem multas, & iura antiquitus ad Romanos spectantia, infœlici hoc fœdere Persis concessa esse. Omnium exactissimè Marcel. Ammian. Lib. 25. qui præter recensita, quinque etiam Prouincias Transtigritanas, Arzanenam videlicet, Moxoënam, Zabdicenam, Rehimenam, & Corduenam, Persam eodem fœdere & petijsse & obtinuisse narrat.

Ibid. Cùm ad Illyricum remeasset, &c.) Non in Illyrico, sed Dedastanæ in confinio Galatiæ & Bithyniæ moritur, an. ætatis 33. octauo Imperij mense. De eo pulchrè D. Hieronymus: *Iouianus*, inquit, *gustatis tantum Imperialibus bonis, fœtore prunarum suffocatus interijt; ostendens omnibus quid sit potentia humana.*

Ibid. Valentinianus deniq; Magnus. Paul, Diaconus Hist. miscel. Lib 11.

 in fine,

in fine, *Valentinianum virum optimum, & apice principali dignissimum*, vocat. Idem Auctor in principio Lib. 12. vbi sese in Valentiniani laudes amplius exonerat, inter cætera *Virum magnanimum* appellat. Ceterum præter Hugonem, vidi neminem, qui Magni cognomen, quod aliàs Constantino, Theodosio, Carolo, Othoni tribuitur, illi apposuerit.

Pag. 104 *Saxonum gentem virtute terribilem.*) Hîc primum in Romana historia, huius populi nostri fit mentio, quod & alijs antè hac obseruatum est. Vide Am. Marcellinum l. 26. & 28. Oros. Lib. 7. cap. 32. Paul Diac. Lib. 12. Cum Saxonibus postea tanto cum periculo dimicatum est, vt Sidonius Apollinaris scribat. *Nullus hostis hoste Saxone truculentior est, nec robore tantum & audaciâ, sed etiam consilio & arte vincit.*

Ibid. Tunc Augustus, &c. eos à ferocitate Francos appellauit.) Segebertus, Paulus Æmilius, Rob. Cænalis, & alij scribunt, Valentinianum Imperatorem eos, qui prius vocati erant Troiani, deinde Antenoridæ, postea Sicambri; Francos Atticâ linguâ, id est, feroces, appellasse. Sed & illi vacillant cum nostro Hugone: siquidem Francorum nomen Valentiniani æuo, multò antiquius est. Trithemius, prælucente Hunibaldo; à Francone Antharij filio, commentitio Sicambrorum Rege, hanc denominationem deriuat. Vide Clariss. Cluuerium tradentem veram Francici nominis originem. Lib. 3. Germ. Antiq. cap 20.

Ibid. Troianos qui Sicambriam habitant, &c.) Etsi dudum explosa sit illa de Sicambria ciuitate fabula, & Francorum Troiana origine; plerique tamen Francicarum rerum scriptores illam, veluti historiam fide dignam recensent. Prudenter autem à Papyrio Massono scriptore graui & verace factum, qui historiam suam, à transitu Francorum in Galliam ordiens, nec fabulis rerum fidem inquinauit, nec antiquas traditiones refutando, originum gentis suæ maiestati quicquam detraxit.

Pag. 105. *A Sicambria egressi, secus ripas Rheni, &c.*) Sicambros dudũ ante Valentiniani tempora ad Rhenum consedisse, & ab Agrippa Augusti genero, in alteram ripam traductos esse, ex Romanarum rerum scriptoribus manifestissimum est, vt non sit opus Francorum fabulis attendere.

Ibid. Apud Brigitionem oppidum defunctus est.) cum aduersus Quados siue Sarmatas Valentinianus pararet exercitum; atque illi Legatos ad eum supplices misissent; in eos propter præteritam rebellionem acrius inuehens, repentino sanguinis vomitu, vel vt alij subitâ apoplexiâ correptus interijt, apud Pannoniam in castello Brigitione. Vide Ammianum, Idatium & alios. Princeps hic, licèt rarissimis dotibus fuerit ornatus, & omnium sententiâ vsque ad obitum Catholicus permanserit, vxoris tamen & fratris perfidiâ infamatur; quòd eosdẽ ad meliorem frugem non reuocarit, aut Valentem in orthodoxos sæuientem, non coërcuerit.

Ibid. Valentinianum admodum tenerrimum, ad Imperium pronexerunt.) Valentinianus iunior, statim post patris obitum militaribus suffragijs ad eandem est euectus dignitatem, annum agens quartum: Indignantibus nonnihil Valente & Gratiano, quòd ipsis inconsultis id ausi essent, ratum tamen habuêre militum factum.

Ibid. Necnon & Valente ipsorum auunculo.) Mendum hîc sese oggerit, siquidem

siquidem Gratiani & Valentiniani iunioris, non auunculus sed patruus fuit Valens; verum barbaro illo æuo, ista nominum distinctio non satis accuratè obseruata est.

Ibid. Valens Deo odibilis.) Ob Arianismum, cuius ab vxore seductus, feruidus fuit defensor & promotor; videantur Ecclesiastici Scriptores. Huius mores & indolem nonnullis virtutibus, sed vitijs temperatam pluribus Marcel. Ammianus expressit, irâ præsertim, crudelitate & inuidiâ; quibus impietas in Deum, & Arianæ contagium perfidiæ, faces subiecerunt.

Pag. 106. Duas enim vxores Valentinianus habuisse legitur.) Habuit is binas quidem vxores, sed non eodem tempore, vt perperam scribunt Socrates l. 4. c. 26 & Paul. Diac. Hist. miscell. lib. 12. Vbi etiam fabulosa narrant de lege à Valentiniano conditâ, qua bigamiam permiserit: Verùm vtriusque hoc commentum, falsitatis conuincit Baronius, & solidè refutat tom. 4. ad ann. 370. & sequent.

Ibid. Cuius celebritatis consuetudo inde per omnes prouincias emanauit.) Hoc de Occidentalibus, id est Latinorum Ecclesijs fortè verum, non autem Græcis, apud quos S. Ephrem Syrus & S. Greg. Nazianzenus sacrorum hymnorum auctores fuêre. Ambrosius itaque hymnos instituit, qui adhuc Ambrosiani vocantur, vt ab Orthodoxis in morem Orientalium decantarentur, ad leuandum mœrorem, quem ex Arianorum insidijs & fraudibus assiduè contrahebant. Vide Socrat. Theodoret. Niceph. Call. & Baron.

Ibid. Sanctus quoq; Dorotheus ab Arianis bestijs est traditus.) Mirum non esse huius in Martyrologio Romano mentionem, nec apud quenquam Scriptorem Ecclesiasticum. Reperio tamen illo tempore Dorotheum quendam, Arianâ hæresi inquinatum, vixisse, qui post Episcopus Constantinopolitanus est factus, ac sub Honorio & Theodosio II. Impp. annos 119. natus obijt; de quo Sozomenus l. 7. c. 14. & Socrates l. 3. c. 10.

Pag. 107. Præfectus Cæsaream veniens, & cæt.) Fuit is Modestus, qui cum Arintheo Consul fuit. Præfecturæ eius meminit Zosimus l. 4.

Pag. 108. Gulphila, & cæt. Gothicas literas adinuenit.) Segeberus vocat Golphilam; Iornandes Vlphilam. De inuentione literarum Gothicarum, extant versus antiqui, quos ex vetusto codice Bibliothecæ Septimanæ publicauit P. Crinitus L. 17. de honesta disciplina c. 1.

Moysei primum Hebraicas exarauit litteras.
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitamus edidit Nicostrata.
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas.
Isis arte non minore protulit Ægyptias.
Gulphila prompsit Getarum quas videmus vltimas.

Verùm non tam inuenit Gothicas literas Gulphila, (vt Socrates l. 4. c. 33. opinatur; quas multis ante seculis Gothos habuisse testatur Ioannes Magnus,) quàm ijs primùm in sacris literis interpretandis vsus est, vt propterea earum inuentor extitisse videatur.

Pag. 109. Subiecto igne consumptus est.) Prælio victus à Gothis in Thracia prope Hadrianopolim Valens; in desertam cum refugisset casam, sagittâ saucius

ctus, à barbaris deprehenditur, & subiecto igne cum tugurio viuus exuritur; insigne memoris diuinæ iræ, in impium Imperatorem documentum.

Ibid. Hac tempestate Messalianorum hæresis orta est.) Alijs dicuntur Massaliani, Psalliani, Euchitæ, Precatores, Spirituales, Euphemitæ, Martyriani, Satanistæ, Adelphiani, Saccophori, & Enthusiastæ: Agit de illis Theodoretus, Gabr. Patreolus, Iacob. Gaultherus Sec. 4. pag. 277. & 301. Theod. Petreius pag. 136.

Ibid Et apprehendens vnum ex eis senem, &c.) Adelphium vocat Theodoretus Lib. 4. c. 10. eumque inter Hæresiarchas refert Gabr. Patreolus in Elencho Hæreticorum, Lib. 12 & Petreius Massalianorum hæreticorum ducem nominat. p. 3. in catal. Hæret.

Pag. 110. Floruit eodem tempore Gregorius Deiloquus.) Nazianzenus à patria dictus, quem Græci Theologi cognomine exornant, quod nescio an apud quempiam præter Hugonem latinitate donatum reperire sit.

Ibid. Qui nuper à Valentiniano Magno ad Hispanias destinatus, effusas Maurorum gentes, &c. multis prælijs edomuerat.) Non fuit Imperator Theodosius ille, qui Mauros & Firmum noua in Africa molientem, bello fregit & oppressit; sed pater ipsi homonymus, quem Valens Imperator indignissimâ tot in Rempublicam meritorum suorum mercede, capite truncari iussit. Isti tamen bello Mauritanico Theodosius cum patre interfuit, vt Zosimus Lib. 4. innuit, & Latinus Pacatus disertè in Panegyrico testatur. Vide itidem si libet Ammian. Lib. 29. pag. 480. 481. 482. Iornandem pag. 45. Oros. Lib. 7. c. 33. Cuspinianum p. 181. Socrat. Zosimum &c. Aurel. autem Victor in Epitome, patrem Theodosij per errorem vocat Honorium.

Pag. 111. Franci qui dudum in Germaniam proruperant) Francos non aduentitiam, sed indigenam & vernaculam Germaniæ gentem fuisse, verior sententia est; quam & Zonaras non vno in loco inculcat. Vide Simonis Schardij Germaniam antiquam illustratam. Item Beatum Rhenanum, Philipp. Cluuerium, & alios.

Ibid Reges crinitos habere cœperunt) Clodion, cuius hìc mentio fit, Criniti, Comati, Capillati, siue Intonsi cognomen habet: ex quo tamen nemo facilè inferre potest, præcedentes comam non aluisse, cum iam inde ab antiquo, teste Tacito, cæsaries prolixa, ingenuitatis apud Germanos insigne fuerit. Hallucinantur præterea hìc penè omnes Annalium Francicorum scriptores, dum referunt magis quàm asserunt, Clodionem in signum seruitutis cunctis indixisse capillitij rasuram: non enim raso capite incedebant Francis subditi, verum potius circumtonso, vno Francorum Imperatore dempto, cui non licebat comam tondere: quin perpetuò intonsi manebant Imperatores: quod & testatur Agathias Lib. 1. pag. 462. & Robert. Cænalis perioche 12. pag. 91.

Ibid A quo tunc Merouingi vocabantur, qui nunc Franci dicuntur.) Francos in vniuersum aliquando dictos Merouingos, non facilè apud quenquam, præter Floriacensem reperietur. Merouingi enim dicti sunt, Merouej Regis posteri, apud quos per aliquot secula, regia Francorum dignitas intemeratâ serie permansit: sicut deinde à Carolo Carolingi; & ab Hugone Capeto Capetingij denominationem adepti sunt. Vide Rob. Cænalem p. 63, 68. 107.

Pag. 112. *Dolo Arbogasti Comitis sui strangulatus.*) Cassiodorus in Chronico suo mihi pag. 918. scribit, Valentinianum vitæ tædio semetipsum interemisse: sed exinde id factum esse reor, quòd post mortem suspensus fuerit inuentus; vt hoc ipso mortem voluntariam sibi consciuisse putaretur.

Pag. 113. *Magnus turbo ventorum in ora hostium ruit, &c.*) De hoc prælio eleganter Claudianus Poëta ethnicus:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes: cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Pag. 115. *Scribe legem qua decreta furoris euacuat, &c.*) Cùm Thessalonicenses Bothericum Illyricianorum militum Præfectum, per seditionem occidissent, Theodosius plurimorum cæde ciuium, etiam innocentium, id facinus vltus est. Quam ob rem Imperator Mediolanum veniens, ab Ambrosio Ecclesiæ aditu prohibetur; quod ille non solum tulit patienter, sed ex Pontificis præscripto satisfaciens, Lege insuper sanxit, vt latæ in reos sententiæ executio, in dies 30. differretur. Quæ lex etiamnum in Codice Theodosiano & Iustinianeo extat: post tamen per Nicephorum Botoniatem Imperatorem Orientis abrogata.

Pag. 117. *Vrsinius quidam Romanæ Archidiaconus Eccl. &c.*) Romæ post Liberij Pontificis obitum, schisma pestilens erupit, Vrsicino contra Damasum legitimis electum suffragijs, ordinato Episcopo: ex quo tam atrox orta est seditio, vt in Basilica Sicinini, vbi ritus Christiani erat conuenticulum, vno die 137. cadauera peremptorum reperta sint, vt testatur Amm. Marcellinus lib. 27. pag. 407. Tandē Vrsicino pulso, & Damaso restituto, pax Ecclesiæ reddita. Socrat. Lib. 4. c. 24. Sozomenus Lib. 6. c. 23. & Baron. sub an. 367. non nisi Diaconum vocant. Præterea Vrsicini huius nomen variè legitur, Socrates enim Vrsinum, Sozomenus Vrsacium appellat: mihi quod verius videtur, vtrobique lectio corrupta est. De hoc schismate vide Iacob. Gaultherum sec. 4. pag. 278. 279. & in primis Baronium tom. 4. ad an. 367. 368. 369. vbi etiam opinionem illam refellit, videlicet quòd Vrsicinus intuitu misericordiæ tandem apud Neapolim Episcopus sit ordinatus, vt habet Hugo eadem pag.

Ibid. Hieronymus Romanæ Presbyter Ecclesiæ.) Hanc etiam narrationem Baronius confutat sub ann. 378. n. 66. Maximè tamen fabulam de Cardinalatu S. Hieronymi impugnans. Ordinatus autem est Presbyter à Paulino Antiochiæ Episcopo; nulli tamen Ecclesiæ adscribi se passus est. Hieronym. Epist. 61.

Ibid. Contra Porphyrium & Iulianum, magna congressus est verborum certamine.) Vterque autem antequam Hieronymus scriptionibus intenderet, mortuus erat: ideoque non ex professo contra illos volumina conscripsit, prout contra Vigilantium, Iouianum, &c. data tamen occasione in Commentarijs & alibi ostendit, quid contra Ecclesiam illi mouerint, & quid illis respondendum fuerit.

Pag. 118. *Theodosius patre Honorio natus.*) Sequitur hoc loco Hugo noster Aur. Victorem in Epitome. qui Theodosij patrem Honorium vocat: vide si placet, quæ annotaui ad pag. 110 lin. 19.

Ibid. Mascezel contra fratrem, &c.) Mascezel natione Gothus, mittitur ab

Honorio Dux belli aduersus Gildonem tyrannum fratrem suum, quem orationibus Christianorum, diuinitus sine sanguine opprimit: post tamen insolentia fortunæ elatus, violat immunitatem Ecclesiæ, & proxima morte iustas dat pœnas Oros. Lib. 7. cap. 36. Paul Diac. Hist. misc. Lib. 13. & fusè Baron. ad ann. 398.

Pag: 119. *Quibus dum secundum consuetudinem ad portas occurrisset Arcadius.*) Consuetudo illa ad posteriora tempora referenda: antiquitus enim milites Imperatoribus, non verò hi illis obuiam honoris causa procedebant.

Ibid. Gainas quidam genere Celticus) Theodoret. Lib. 5 c. 32. & Niceph. Call. Lib. 13. c. 5. Scytham vocant Ceterum Gothicæ originis fuisse, ex Sozomeno Lib. 8. c. 4 Socrate Lib. 6. cap. 6. & Iornande de rebus Gethicis & regnorum successione videre est: cui consentit Baron ad an. 395. vbi ferum Gethicam appellat. Nec hic magna differentia, cùm Gothi Scythiæ populi sint. in tractu Septentrionali Europæ, Danis & Norvvegis contermini, qui olim Italiam subigerunt, Romamque ipsam solo adæquârunt, suamque in totum orbem inuexerunt barbariem; quorum gesta & mores lege apud Munst. l. 5. Cosmogr.

Ibid. Alaricum Regem Gothorum Magistrum palatij sui constitueret) Paul. Diac. Hist. Misc. Lib. 13. Magistrum militiæ nominat, quæ lectio probior & verisimilior est.

Pag 120. *Interfectus est quoq; in illis diebus Eucherius filius eius.*) Stilico affectati Imperij reus, & Eucherius filius eius, cui idipsum tradere adnitebatur, non vno eodemque tempore sublati sunt: sed filius anno sequenti, post obitum patris, cum matre Serena peremptus est. Zosimus Lib. 5 pag. 103 104. Baron. Tom. 4. an ann. 395.

Ibid Qui cum Augusta displiceret, in exilium est expulsus.) S Chrysostomus dum in corruptos hominum mores, præsertim Clericorum & Principum inuehitur, multorum in se concitauit odia, & inprimis Eudoxiæ Imperatricis, quam ob vineam viduæ ademptam acrius taxarat; hinc ab Arcadio in exilium detruditur. Sed ingenti populi seditione, ac terræ motu statim exorto, territus Imperator, subinde illum reuocari iussit.

Ibid. Sed dum denuò intolerabilem se præberet æmulis suis, iterùm in exilium pulsus est.) Hoc ita narrari videntur, quasi culpa iterati exilij in Chrysostomum referenda sit. Intelligit autem Hugo per Chrysostomi æmulos, Eudoxiam & eius complices, quos ab exilio redux, eadem qua antè libertate increpatat: inprimis autem denuò in Eudoxiam grauiter impegerat, quod in eius statuam argenteam, quæ propè templum illicitis ludis & choreis colebatur, acerbius detonasset; hinc iterum opera Imperatricis damnatus, in exilium deportatur.

Ibid Vbi & defunctus est.) Exulauit Arabissi in Armenia, nec tamen illic, sed in itinere ab exilio reuertens, Cucusi obijt, eiusdem regionis vico; sicque finit aureum hoc os, anno post reparatam salutem septimo supra quadringentesimum.

Ibid Floruit etiam inter hos apud Epirum Donatus Episcopus.) Euoreæ Episcopus fuit. Memoria illius in Martyrologio est, 30. Apr. Scribit eius res gestas Sozomenus Lib. 7. cap. 25. Niceph. Lib. 12. cap. 45. Ado Vienn. in Chron. an. 396. &c.

Pag. 121. *Vtens cooperatore Iuliano de Campania.*) Fuit hic Episcopus Capuanæ vrbis, tempore Zosimi Papæ, quem vnà cum Romano Clero præuaricationis accusare non erubuit; vtpote Pelagianæ sectæ post ipsum Pelagium & Cælestium coryphæus. B. Augustino ob eruditionis laudem, notissimus primò & carissimus fuit; aduersus quem post deinde iam Pelagiana hæresi initiatum, quatuor libros conscripsit; quibus ille suum Hypognosticon volumen, sex libros complectens, opposuit. Vide Petreium pag. 204. in Catalogo Hæreticorum.

Pag. 122. *Floruit in Ægypto per idem tempus Arsenius.*) Ecclesiæ quondam Romanæ Diaconus fuit, post à Damaso Pontifice ad erudiendos Imperatoris filios Arcadium & Honorium, Constantinopolim missus; sed clam aula dilapsus solitudinem petijt. Vide vitas PP.

Ibid. Eâdem etiam tempestate Attalus Africæ Consulatum est assecutus.) Hiatus hoc loco euidens est; siquidem non Attalus, sed Heraclianus fuit, qui Africæ Proconsulatum adeptus, ac cum 3700. vt ferunt nauibus, (mallem cum doctissimo Petauio legere; 700. *nauium classe*, *& tribus militum millibus*, quæ lectio concinnior & verisimilior est,) in Italiam contra Honorium transfretauit: vbi à Marino Duce ad Vtriculum nauali prælio superatus, & in Africam reuersus, Carthagine in æde Memoriæ iugulatus est, ann. 413. Attalus autem antea Vrbis Præfectus, exinde nomen Imperatoris temerè vsurpans, breui ab Alarico redactus in ordinem, & tandem captiuus traditus Honorio, à quo truncatâ manu vitæ relictus est, quod contigit ad ann. 410. Sozomen. Lib. 8. cap. 8. Oros. Lib. 7. cap. 43. Zosimus Lib. 6. Paul. Diac. Hist. misc. Lib. 14. Iornandes p. 56. de regnor. successione.

Pag. 123. *Burgundiones, &c. quæ gens ab Italia quondam exiens.*) Burgundiones genus suum & originem ab Italis trahere, Am. Marcellinus, Isidorus, Orosius, Paul. Diacon. & Hugo noster prodiderunt: quod tamen vt fabulosum & commentitium, satis solidè confutat Cluuerius Lib. 3. Germ. Antiq. c. 36. Vide itidem super hac re Plinium, Beatum Rhenanum, Andream Althameum, Conrad. Peutingerum, & Mich. Beutherum.

Ibid. Riparioli) Non dubito, quin Ripuarios intelligat, qui tribus fluuiorum ripis clauduntur, Rheni, Mosellæ atque Mosæ, vnde etiam illis nomen: alio nomine Neustrij & Austrasij appellantur. Porrò hos Ripariolos à Iornande mutuatus est Hugo noster.

Ibid. Quod Forum Iulij vocatur.) Quemadmodum Segebertus in Chron. sic & Hugo noster Forum Iulij cum Aquileia confundit: cum tamen diuersissima oppida sint; illud à Cacano Auarum Rege, hoc autem ab Attila Hunnorum Rege, olim obsidione captum, ac funditus excisum. Vide Iornand. de rebus Geth. Paul. Diacon. Histor. Long. Flau. Blondum, Leand. Albert. & Cluuerij Italiam Antiq.

Pag. 125. *Eudoxia Imperatrix.*) Theodosius de consilio sororis Pulcheriæ, Athenaidē Leontij Philosophi filiam duxit, rarâ fœminam indole, corporisque specie; quem Eudociam nominauit; & ex hac susceptam filiam, Valentiniano tertio nuptam, Eudoxiam dici voluit: Ex quibus manifestum Theodosij coniugem ab Hugone perperam appellari Eudoxiam.

Pag. 126.

Pag. 126. *Iste Pulcheriam, &c. iam maturam viro, in matrimonium assumpsit.*) Martianus humili loco natus in Illyrico, sed militiâ clarus, ex Tribuno à Pulcheria ad Imperium euectus est: vtque maior homini nouo esset auctoritas, sibi ipsum despondit, eâ tamen lege, vt sibi iam annis graui, (attigerat enim iam 52. ætatis annum,) illibata virginitas maneret. Ab vtroque summâ concordiâ gesta est Respubl. cum iustitiæ ac pietatis Catholicæ tuendæ par in ambobus inesset studium.

Ibid. Deniq; cum Parthis, &c.) Aberrauit hîc à scopo librarius: Persas enim intelligit Hugo, à quibus Parthorum Imperium iam ante secula amplius duo, Alexandro Seuero imperante extinctum fuerat.

Ibid. Dolo Maximi Comitis.) Valentinianus vltimus Imperator Occidentis, cùm iam laxatis licentiæ frænis, Imperio per libidinem & crudelitatem abuteretur; insidijs Maximi Comitis, (cuius vxorem per vim stuprauerat,) manu verò satellitum Ætij, (quem in capitolio paulò ante immerenter obtruncarat,) in campo Martio confoditur. Maximus illicò Imperium per vim capit, Imperatoris vxorem vi compressam, turpibus nuptijs sibi copulat: cuius iniuriæ illa impatiens, Gensericum Vandelorum Regem ex Africa Romam inuitat. Cuius aduentu territus Maximus, in fuga à suis dilaniatur, ac in Tiberim proijcitur. Fuit Maximus hic nepos ex filio illius Maximi, qui Theodosij tempore Imperium per tyrannidem inuasit. Niceph. Call. l. 15. c. 11.

Pag. 127. *Placentinorum ordinatur Episcopus.*) Ex tyrannis post Maximum Auitus subijt. Hic quòd inuidiâ se premi & peti insidijs intelligeret, Magistratum sua sponte deposuit, atque ex Imperatore Episcopus Placentinus factus est. Iornandes de reb. Geth. m. p. 128. Gr. Turonensis l. 2. Hist Franc. c. 11. Paul. Diac. Hist. miscel. L. 15. Freculp. tom. 2. l. 5. c. 15. A quibus tamen dissentiunt Cassiodorus in Chron. Euagrius l. 2. c. 7. & Niceph. Call. l. 15. c. 11. ad quos lectorem remitto.

Ibid. Episcopum ordinari fecit.) Glycerius Rauennæ cœpit Imperium, quo supra annum mensibus ferè quatuor administrato, Iulius nepos in illius successit locum, qui Glycerium in portu Romano ex Augusto fieri passus est Episcopum; ita Marcellinus Comes: Iornandes autem de Regnor. success. pag. 58. de reb. Geth. pag. 128. & Euagrius Lib. 2. capit. 16. Salonis in Dalmatia creatum esse Episcopum scribunt.

Ibid. Rex Ostrogothorum Theodericus Auernorum occupauit ciuitatem.) Confunduntur hoc loco duo Theodorici, synchroni, homonymi, & vnius Reges populi, in duas tamen diuisi propagines; quarum alterâ Ostrogothi, alterâ Visigothi vocabantur. De Ostrogothorum Rege vide Cassiodorum, de Visigothorum Sidonium Apollinarem, de vtroque Alstedium in Thesauro Chronologico, Chronologia 20. Regnor. veterum, & alios.

Ibid. Edicius Auiti quondam Imperatoris filius.) Ecditius (quæ lectio melior) Dei virtute confisus, magno miraculo, ingentem Gothorum numerum, longè dispari paucitate militum & virium, sæpè superauit atque fugauit: Vide Sidonium Apollinarem Lib 3 Epist. 3. cuius Sidonij vxor Papianilla, memorati Ecditij soror fuit, vt ex eodem Apollinari Lib. 5. epist. 16. liquet.

Ibid, Augustulum filium suum Imperatorem constituit.) Baron ad an. 475. exam-

ex antiquo numismate probat, Momyllum Orestis filiũ, etiam Augustum, (non Augustulum,) fuisse nuncupatum. Verùm per contemptum in diminutiuum id nomen deriuatum esse: vti per iocum militarem Caligula, Caracalla, &c. agnominabantur. In hoc Augusto penitus defecit Imperium Occidentale, transijtq; ad Reges barbaros. Ita planè secundum illud vulgatum: *Omne quod oritur, occidit;* Romanum Imperium cœpit ab Augusto, esse desijt in Augusto.

Pag. 128. *Apud Gebalensem Galliæ vrbem S. Seuerianus.*) Seuerianus Gabalitanus vt disertus fuit, ita ob æmulationem Chrysostomi minus secundùm posteritatis famam meruit: ipsius memoria est in Martyrolog. Adonis, 25. Ian. Meminit & illius Gennad. Lib de Viris Illustrib. Extat sermo illius vnicus in tom. 5. oper. Chrysostom. Bellarm. Sec. 4. Ann. 398. de script. ecclesiast.

Pag. 129. *Leo Orientis Imperator, & cet.*) Leo Senior laudatissimis Imperatoribus annumerandus esset, nisi Basilisco vxoris fratri, & Zenoni genero indulgentior, viam strauisset ad Imperium. Inter cætera tamen, quód facit ad laudem illius, dicitur fouisse liberaliter, & in honore habuisse viros literatos: & cum inprimis seculo suo sæpiusculè optauisse felicitatem, quâ stipendia militum, in salaria doctorum conuertere liceret.

Ibid. *Leonem nepotem suum consecrauit Augustum.*) Leo paulò ante obitum, nepoti suo ex Zenone & Ariadna Imperium contulit. Is verò cùm aduersâ valetudine conflictaretur, nouo pietatis exemplo, patrem Zenonem Augustalibus insignibus ipse decorauit, atque ita rebus humanis excessit. Euagr. l. 2. cap. 17. Niceph. Cal. Lib. 15. cap. 19. Marcellin. Comes, Cassiodorus, Zonaras, &c. Victor autem Tununensis, Zenonem ait filium suum Leonem occidere, & eius Imperium inuadere voluisse, sed ab Ariadna Augusta, similem pro eo ad mortem substitutum: Leonem verò in Clericum attonsum latuisse, & vsque ad Iustiniani tempora vixisse. Quod tamen fabulæ similius est, quàm historiæ. Vide Hispan. Illustrat. Tom. IV. pag. 121.

Ibid. *Baptizatus est.*) Addunt ad hanc historiam Hincmarus, Flodoardus, Aimonius, & eos secutus Robertus Gaguinus: Cùm puer ille qui ampullam ferebat, in quâ sacrum chrisma continebatur, concursu multitudinis interclusus esset, ad B. preces Antistitis Remigij columbam cœlitus aduolasse, quæ ampullam alteram rostro attulit, è qua Clodoueus inunctus. Quem morem deinde posteri Reges religiosè seruarunt, vt vocati ad regnum, sacro vnguento perungerentur; & sicut Romanis olim Cæsaribus indumentum purpuræ insigne erat Regiæ dignitatis assumptæ, sic Regibus Francorum vnctio sacri vnguenti nomen ac potestatem Regiam conferebat, hodieque confert. Vide Pap. Massonum Lib. I. Annal. p. 18.

Ibid. *Zenon enoticum contra fidem composuit ecclesiasticam.*) ἑνωτικὸν, id est, Conciliatorium. Baron. ad an. 482 Sanctionem pacis, & reconcilationis edictum exponit. Erat autem noua fidei formula, ita callidè concepta, vt in eam hæretici perinde ac Orthodoxi consentire possent. Hanc Euagrius Epistolæ conciliatricis nomine l. 3. c. 14. exhibet, ad quem Lectorem remitto.

Ibid. *Regnum Italiæ sibi præsumpsit & vsurpauit.*) Theodoricum Zenone consentiente & applaudente Italiam occupasse, cum veteres tum recentiores opinantur; Vide Iornandem pag. 141. Paul. Diac. Hist. misc. Lib. 15. Freculph.

tom II. Lib. 8. cap. 18. Cuspin. in Cæsarib. & Car. Sigon. de Occid. Imper. Lib. 15. Nihilominus Baronius ad an. 478. in contrarium abit, Marcel. Comite potissimum antambulone, ac facem prælucente. Si Floriacensis noster Cardinali Baronio visus, non dubito quin ad sententiam suam stabiliendam, pariter illius auctoritate & testimonio vsus fuisset.

Pag. 130. *Regis Clodouei filiam suo coniunxit matrimonio.*) Theodoricus vicinorum Principum affinitatibus regnum suum stabilire studens, Clodouei Francorum Regis sororem Audefledam duxit, vt rectè Aimonius Lib. 2. cap. 1. narrat: non filiam, quod Iornandes pag. 41. Freculphus Tom. 2. Lib. 5. cap. 18. & Hugó noster memorat.

Ibid. Homo Ariana secta, & bestialem contra Catholicos gerens in animo crudelitatem.) Principio quidem ita Remp. gessit, vt cùm optimis quibusque Romanorum Cæsarum comparandus fuerit: & quamuis populari ex instituto Gothorum, Arianam sectam profiteretur; Romanæ Ecclesiæ ius ac libertatem summa fide tutatus est. Inclinante iam ætate, ad crudelitatem & barbariem nonnihil deflexit.

Ibid. Insonuit in choro vox psallentium, & cæt.) Tam lætos armorum successus, vni ex omnibus orbis Principibus Catholico Regi Clodoueo, singularis indulsit numinis fauor: quem inusitata per id bellum testata sunt miracula, & prodigia, quæ à Greg. Turonensi Lib. 2. cap. 37. Aimon. lib. 21. Rob. Gaguin. p. 9. & alijs memoriæ produntur.

Pag. 131. *Quibus illum designabat Reipubl. Consulem & Augustum.*) Eadem hæc habet Greg. Turon. Lib. 2. cap. 38. Aimonius Lib. 1. c. 22. Verùm Anastasius Cæsar, Clodoueum Regem honoraturus, non Augustum, sed Patricium & Consulem fecit, missis eo nomine in Franciam Oratoribus, quorum inter cetera hæc ad Regem verba fuêre, prout illa refert Paul. Æmilius pag. 12. *Te Augustus Consulem Patriciumq́ salutat: quâ tituli maiestate secundùm Cæsarum decus, nullum maius excelsiusue fastigium excogitari potuit.* Et paulò post: *Accipe hæc Consulatus insignia, & Patriciatus nomen, simul hanc auream coronam, quâ honoris gratiâ donaris ab Augusto quidem, sed orbis terrarum approbatione.*

Pag. 132. *Cuius carnalis frater fuit S. Vedastus.*) De hac re, dubitandum meritò, siquidem apud antiquiores, nullum quod huc faciat, vestigium extat: Synchronos tamen, familiares admodum, & orthodoxæ comunionis fuisse consortes, extra controuersiam est.

Ibid. Qui & ipse ad eundem Principem venit.) Cùm Iustinus in Oriente, in hæreticos præsertim Arianos acrius animaduerteret, & horum Ecclesias Catholicis adiudicaret: grauiter id ferens Theodoricus Rex Arianus, Ioannem Papam, qui Hormisdæ successerat, Legatum misit ad Iustinum, vt ab Arianis iniuriam abstineret, minitans, ni id faceret, se in Catholicos totâ Italia pariter sæuiturum.

Pag. 133. *In territorio Mediolanensi iugulari fecit.*) Hoc ex Freculph. tom. 2. Lib. 5. cap. 20. haustũ. Ceterum Ticini (Papiam nunc vocant,) Boëthius post diuturnum carcerem necatus est. Symmachus socer eius, an & illic vel alibi perierit, apud probatum auctorem necdum comperi, nisi quòd Petrus de Natalibus in Catal. Sanct. l. 5. c. 54. scribat Rauennæ capite truncatum, & sepultum esse.

Ibid.

Ibid. Nam non mult post horribili & inopinatâ morte, &c) Theodoricus sub vitæ finem, pristinis ab .noribus ad barbariem deflectens, Symmachum eiusque generum Boëthium, falsò ad se delatos crimine, capitali affecit supplicio. Quo peracto scelere, cœnanti ipsi cum caput piscis miræ magnitudinis appositum esset, visus est in eo sibi Symmachi intueri caput: quo portento territus, in cubiculum citato gradu secessit, parumque quieuit; ac ita in deploratione cædis à se patratæ, non multò post extinctus est Procop. Lib. 1. de bel. Goth. pag 248.

Ibid. Theodebertus Italiam penetrauit, &c.) Theodebertus, Gothis Romano bello implicatis; Liguriam, Alpes Cottias, ac Venetiæ pleraque loca sibi subegit, atque inde digrediens, Bucellenum ibi reliquit; quem totam Italiam pererrasse, & Siciliam subegisse Gregor. Turon. Lib. 3. cap. 32. & Aimoinus L. 2. cap. 21. memorant; ex quibus sua hæc Hugo noster mutuatus est. Verùm Procopius Lib. 2. de bel. Goth. pag. 332 & 333. auctor est Theodebertum in Italiam cum centum millibus armatorum irrupisse: sed non multo post grandi prius inibi iacturâ suorum factâ, recessisse. Tertia enim exercitus pars alùini ventris profluuio perierat: ceteri cùm ad progrediendum rara vis superesset, languebant. Hinc Theodebertus, ne reliquæ copiæ contagio, aut hostili ferro pariter absumerentur, præproperè mouit, ac domum abire raptim contendit, rebus ibidem minus præclarè gestis.

Pag. 135. Iustinianus Orthodoxus Augustus.) Hoc verum quoad primos Imperij annos, in vniuersum autem falsissimum est. Iustinianus enim cottidiè agens cum hæreticis, hausit eorum venenum; & Christum carnem passionibus minimè obnoxiam habuisse credidit: iamque Pontificem agens, idem Edicto declarauit. Euagr. Lib 4. cap. 38. Ex quo fonte postea orta Monothelitarum hæresis. Vide præter alios Baronium; in primis ad an. 563. & seq.

Pag. 136. Qui ferè D. milliaria à supradicto separatur loco.) Manifestus error hic est: legendum non quingenta, sed quinquaginta, tot enim milliaribus Sublacus & mons Cassinus ab inuicem distare videntur. alter numerus insolens nimis est, & minimè congruus. Vide Paul Diac. Hist. Longob. lib. 1. c. 26. p. 213. & Adreual. Floriac. de Mirac. S. Benedict. c. 4. p. 18.

Pag. 139: Hic etiam Agapitus celebrauit Constantinopoli V. Synodum, & cet.) Synodus Constantinopolitana, quæ quinta est Oecumenica, non sub Agapito sed Vigilio celebrata est; cui tamen ipse Pontifex Vigilius interesse noluit. Approbata tandem ab eodem, & recepta à Pelagio. Vide Baronium ad ann. 553. 554. & 555. Iacobum Gaulterum Sec. 6. pag. 490. Iacob. Gordon. ad Ann. 553.

Ibid. Vigilium Constantinopoleos Apocrypharium, & cet.) Lege hîc vt & pag. 141. Apocrisarium, vel potius Apocrisiarium: qui erant olim secundum nonnullos, Responsales & Legati Episcoporum; ita dicti, quòd subinde pro Episcopis respondere cogerentur. Sunt tamen qui Apocrisarios rectius Episcoporum locum tenentes dici malint; quasi illis absentibus, vel aliud agentibus, res Ecclesiæ gubernarent, singulorum negotia audirent & exequerent, tandemque ad Episcopos referrent. Hinc Vigilius Agapiti Papæ aliàs Diaconus, Apocrisarij nomine celebratur, quòd memorati Vigilij in Legatione Constantinopolitana socius fuerit.

Ibid. Et fecit Siluerium, &c. apud Pontianam insulam exilio deportari) Silverius Agapito succedens, iussu Theodoræ Imperatricis, à Belisario in insulam Pontiam, (non Pontianam, quæ fortè nec in rerum natura,) relegatur; ac in locum illius Vigilius, (quem Imperatrix, vt Anthimum restitueret, ac reliquis hæreticis faueret, Papam fieri summè exoptabat,) illegitimè intruditur; qui postea tamen, (Siluerio videlicet in exilio, ærumnis ac inedia iam oppresso,) legitimis Comitijs Pontificatum adeptus est. Plura de Siluerio Baronius in Annal. ad annum 536. 537. 538. & in Notis ad Martyrolog. Roman. 20. Iunij. Item Gaulterus in Chronogr. sua pag. 486. nec non Gordonus ad annum 538.

Ibid. Diocletianus & Eleutherica.) Quomodo hæc Hugonis verba capienda sint, nondum video; inprimis, cùm magnus ille Baronius in Annal. suis ad an. 295. & in Notis ad Martyrolog. Rom. 16. August. disertè scribat, apud omnem antiquitatem, nullam aliam, præter S. Serenam, Diocletiani Imperatoris, reperiri vxorẽ. Esse autem diuersas Eleuthericam & Serenam, & non vnius fœminæ gemina nomina, inde ex facili colligitur, quòd altera Christiana, altera Christianorum cum marito persecutrix fuerit. Sunt tamen qui cum Hugone faciant, & ex quibus fortè hæc hausta sunt: vnicum Aimoini testimonium adscribam, qui taliter introducit loquentem Vigilium Papam, Lib. 2. de Gest. Franc. cap. 32. *Ego quidem,* (inquit Vigilius,) *ad clementissimos Reipubl. moderatores Iustinianum, eiq; coniunctam æstimaui me venisse Theodoram; sed Diocletiano & Eleutheriâ moribus reperi crudeliores: verùm quia Christus me vobis pro commissis adiudicauit peccatis, patior quicquid est miserrimum, dum vos iusseritis, quicquid est immanissimum: haud enim rependitur meritis meis congrua vicissitudo dum maiora his mea merebantur facinora, &c.* hactenus Aimoinus. Idem asserit Anastas. in Vit. Pontif. ad an. 540. p. 57. cuius verba subnecto: *Nunc Vigilius Papa dixit; Vt video non me fecerunt ad se venire Iulianus & Theodora pijssimi Principes, sed hodiè scio, quòd Diocletianum & Eleutheriam inueni, &c.*

Ibid. Iusto Dei iudicio amentiam incurrit.) Ad vltimum sapiens ille Imperator redactus est ad insaniam; ita magnificentissimo S. Sophiæ templo Byzantij condito, ipse è vita decessit insanus. Tursellin. Documentum sanè egregium, quàm parum humanæ fidendum sapientiæ. Principatum obtinuit annos XL. vno præterpropter minus: Felicior futurus, si breuiori vsus fuisset Imperio. Præter Tursellinum Cuspinianus, ait, ingrauescente morbo, non satis mente sanum fuisse Iustinianum. Zonaras, Baronius, & alij, properâ & inopinatâ morte sublatum scribunt.

Ibid. Anno ab Incarnatione Domini quingentesimo sexagesimo octauo.) Ad hunc annum principium Regni Longobardici in Italia referunt, Paul. Diacon. Lib. 2. de Gestis Longobard. c. 5. & 6. Sigebertus, Onuphr. & alij. Narsete enim per Iustinum immerenter exauctorato, submissus in locum eius Longinus, quæ res non leuiter momordit Narsetem. Aucta deinde verbis ignominia; Sophia enim Imperatrix Narsetem vt Eunuchum, ad pensum in Gynæceo absoluendum reuocare ausa fuit: quâ ille contumeliâ magis irritatus; versâ tandem in furorem irâ, *telam minatur se talem exorsurum, qualem neq; ipsa, neq; maritus eius retexerent.* Alboinum itaque Longobardorum Regem primus in Italiam

inuitat;

inuitat; qui monita non aspernatus, cum omnibus Longobardorum familijs, relictâ Pannoniâ, ad dictum annum illuc commigrauit.

Pag. 141. *Cherebertus resedit Parisijs.*) Charibertus à Venantio Fortunato, Greg. Turonensi, Iac. Gaultero & alijs vocatur. Cum Hugone faciunt Aimonius Lib. 3. Papyr. Massonus, Annal. Lib. 1. Car. Sigon. Lib. 20. Paul. Æmil. & Ioann. Tillius. Hic cum magnis virtutibus abundaret, paternæ tamen luxuriæ hæres fuit: Siquidem Ingobergâ legitima coniuge, fœmina virtuosissima ab se proiectâ, ancillam Merofledam duxit. Sed vindex tanti sceleris Deus, & pellici & Chereberto aliquantò post vitam abstulit. Greg. Turon. Lib. 4. cap. 26. Aimoin. l. 3. c. 2.

Ibid. Chilpericus, &c. multas habuit vxores.) Audouerâ mortuâ, Gelesuintam Brunechildis sororem, legitimâ copulâ sibi vxorem associauit, quam non multò post, in gratiam Fredegundis, cuius libidibinibus iam longum assueuerat, nefario facto, dormientem suffocari iussit: & suspicionem inprimis augebat, reducta statim in regiam pellex Fredegundis. Greg. Turon. Lib. 4. cap. 28. Tandem & ille scelere Landerici, cui Fredegundis per adulterij consuetudinem notissima erat, sublatus est. Aimoin. Lib. 3. cap. 57. Ita vt in hoc Rege præter libidinum impunitatem & licentiam, nihil regium eluxerit.

Pag. 143. *Primus è Græcorum gente Romano potitus est Imperio.*) Quam fluxæ hoc fidei sit, aliorum esto iudicium. Idem tamen attestatur Paul. Diac. Lib. 3. de Gest. Longobard. cap. 15. cuius verba hæc sunt: *Mauricius indutus purpurâ, redimitus diademate, ad circum processit, acclamatisq; sibi laudibus, largitus populo munera primus è Græcorum genere in Imperio est confirmatus.*

Pag. 144. *Anglorum gentem, quæ erat ab Aquilone Humbri fluminis, sub Regibus Helle & Edilferido posita, & cæt.*) Manifestissimus hîc error est; si quidem D. Augustinus & socij eius, à S. Gregorio in Britanniam missi, cis Humbrum fluuium, maximè in Cantio, & Australium Saxonum regione; quorum Reges erant; diuersis tamen temporibus, Hella & Edilbertus, (non Edilfridus, vt perperam opinatur Hugo,) substiterunt ac rem gesserunt: de quibus fusè Ven. Beda l. 2. c. 9. Rectius itaque legi posse censeo: *Anglorum gentem, quæ ab Austro Humbri, sub Hella & Edilberto posita, &c.*

Ibid. Londoniæ & Eboraci Metropolitanos consecrauit Episcopos.) Londini iam olim, quando Lucius Rex Christianismo initiabatur, Archiepiscopalem fuisse sedem: inde autem à S. Gregorio Dorouerniam, quæ hodie Cantuaria dicitur translatam; inibique D. Augustinum primum Archiepiscopum constitutum, Carol. Stengel. in Lib. de Propagat. Ord. S. Benedicti cap. 7. testatur. Venerab. Beda tamen Ecclesiast. gentis suæ historiæ accuratissimus auctor, Dorouerniam primitus Metropolim Angliæ fuisse tradit l. 1. c. 25.

Pag. 145 *Vidit per somnium antè æneam se adstare Saluatoris imaginem.*) Aliter Paul. Diacon. Hist. Miscel. Lib. 17. Georg. Cedrenus p. 330. Zonar. tom. 3. pag. 132. qui non dicunt imaginem fuisse æneam, sed visam illam in somnis ab Imperatore Mauritio fuisse ante portam æneam: Notandum enim est, imagines sacras primitiuæ Ecclesiæ, maximè apud Græcos nō alias quàm pictas fuisse.

Pag. 146. *In quandam syluam fugit. &c. in qua cum vxore & quinq; filijs iussu Phocæ occisus est.*) E latebra ad portum Eutropij retractus, ibidemque cum

 suis

suis occisus, Paul. Diacono, Zonara & Cedreno testibus: fuit autem portus ille ad Chalcedonem, vt idem Paul lib. 17. auctor est. Non alius Imperator aut acerbiorem fortunam expertus est, aut tolerauit constantius. Vna vox illius in tanta suorum carnificina est audita: *Iustus es Domine & rectum iudicium tuum.* Quin etiam vnū ex eius filijs infantem adhuc occultante nutrice, ac suū pro illo ad necē obtrudente filium; fraudem vltrò Mauritius detexit, nec alienum passus est occidi: quæ res omnibus exciuit lacrymas. Postremò & ipse securi ceruicem subiecit, & mortem oppetijt. Imperauit annis viginti, & mensibus 4. nulla re magis, quàm forti & pio vitæ exitu admirandus.

Ibid. Bonifacius quartus: quo rogante statuit Augustus, &c.) Fuit is Bonifacius tertius, ad cuius instantiam Phocas expresso edicto vetuit, ne Constantinopolitanus Episcopus, sibi Oecumenici siue vniuersalis nomen adsumeret, illam appellationem soli Ecclesiæ Romanæ debitam contestatus. Testes huius erga sedem Romanam beneficij à Phoca in Cyriaci Patriarchæ odium impertiti, habemus Anastasium S R E. Bibliothec. in Hist. de Vit. Pontific ad ann 606. p.63. & Paul. Diac: de Gest. Longob: l. 4 c. 37. p. 272. Vide itidem si placet, Baron. ad ann. 606.

Ibid. Impetrauit quoq; ipse Papa Bonifacius à præfato Principe, &c. Pantheon.) Hic fuit Bonifacius IV. qui à Phoca nominatissimum illud Romanum Pantheon impetrauit, quod eiectis Gentium simulacris, Beatissimæ Virgini Mariæ, & SS. Martyribus dicauit. Vide Anastasium, & Baron. ad ann 607. & quæ supra notaui ad pag. 68.

Ibid Heraclij Africæ Patricij iussu peremptus est. Confunduntur hoc loco Heraclij duo pater & filius: nec enim qui hoc nomine Africæ præfuit, Phocæ successit, sed homonymus filius eius. Phocas enim cum tot egregia rerum gestarum decora turpitudine, crudelitate, ac temulentiâ deturparet; imperiumq; malè partum, pessimè administraret. Senatus & omnes bonæ mentis capaces, aut vnius Phocæ, aut totius Imperij interitu, tandem imponendum, malis finem iudicabant: ad Heraclium itaque Africæ Præfectum Legatos mittunt, rogantes, vt fatiscenti iam sub pondere malorum Reipublicæ subueniat. Misit is cum classe filium Heraclium, qui commissâ ad portum pugnâ superior euasit, & in vrbem erupit. Phocas interim hoc tumultu, à Photino cuius thorum per vim constuprarat, capitur, Imperatorijs insignibus exuitur, vinctusque Heraclio sistitur. Cuius iussu manibus, pedibus, ac pudendis abscissis, capite demum truncatur, tyrannidis anno VIII Vide Cedrenum p.334. Zonar. pag. 113. Niceph. Callistum l. 18. c. vlt. & Baron. ad an. 610.

Pag 149. Monothelitarum hæresin prædicabant, qui scilicet vnam tantum in Christo naturam esse putabant.) Vera quidem sunt quæ hic tradit Hugo, sed minus propria. Non enim Monothelitæ sed Monophysitæ fuerunt, qui non nisi vnam in persona Saluatoris naturam agnoscebant: Monothelitæ autem vnicam solummodo in eodem voluntatem statuebant, vnde & nomen illis inditum. Vide Baron. ad an. 535. Iacob. Gaulterum Sec. 6. p. 501. & Petreium in Catal. Hæret. ad an. 535 p. 147.

Ibid. Saraceni qui & Turci dicuntur.) Confunduntur hic diuersissimi populi, quorum illi Arabicæ, hi Sarmaticæ siue Scythicæ originis sunt. Causa errandi fortè

di fortè talis; videlicet quòd olim Turcæ Caucaso monte relicto, Caspias egressi portas, primum Persidem populati sint; exinde viribus aucti Saracenos subegerint, ac Mahometicam ab illis superstitionem hauserint, taliterque in vnam eandemque gentem, nouo quodammodo religionis nexu coaluerint.

Ibid. Machomet Pseudopropheta.) Machomet Arabs genere seu Saracenus, cœpit Romanum aliquando conculcare Imperium: Is quippe patre Ethnico, matre Iudæâ genitus, idemque Christiano imbutus dogmate, adiutore Sergio, iam dudum ob hæresin ab Ecclesia eiecto, ex omnium colluuione sectarum portentosam conflauit hæresin. Cui stolido facto auctoritatem addebat, quòd ille à dæmone & epilepticis conuulsionibus iactatus identidem corrueret: quam ob rem mœrenti vxori persuasit, Gabrielis se Angeli conspectu & alloquio consternatum sic affici. Id confirmante Sergio, mulierculæ operâ latius dissipatum, ac vulgò creditum est: hinc primò Propheta, dein Dux exercitus, nefarium dogma in Arabiam induxit armis. Atque hæc Saracenici regni origo fuit.

Pag. 151. Porrò Heraclius Augustus Imperij sui anno XXXI. defunctus est.) Heraclius tandem vbi per fœdam Apostasiam, labanti Imperio viam strauit, animi corporisque angoribus oppressus, morbisque plurimis, atque adeò aquâ intercute vexatus miserè occubuit. Egregium sanè Principibus exemplum, in quo dilucidè perspiciant, quantum Deo subnixi possint; quàm parum si à Deo recedant, vt Ecclesiæ atque Reipub. bellum indicant.

Pag. 156. Translatum est venerabile corpus Benedicti in Aurelianensem Galliæ prouinciam, anno ab Incarnatione Domini DCLXXIV.) De Translatione S. Benedicti è monte Cassino in Gallias, vide Paul. Diacon. de Gest. Longob Lib. 6. cap. 2. Adreualdum in histor. Translat. SS. Benedict & Schostast. c. 4. 5. & 6. item eundem de mirac. S. Bened. Lib. 1. cap. 9. & cet. Oderic. Vital. Hist. Eccl. l. 4. pag. 517. Segebert. ad an. 651. Hugonem Menard Obseruat. Lib 1. pag. 276. ad Martyrolog. Benedictin: & inprimis Card. Baron. tom 8. Annal. sub an. 664. n. 24. & seqq. Interim annum Translationis S. Benedicti, nullus exactius hoc Hugone nostro expressit: nascitur tamen dubium, quòd S. Aigulphus, quem baiulum sacrorum ossium faciunt, circa annum 660 martyr obijsse perhibeatur; sed hoc illis, qui magis me pingui diffluunt ocio excutiendum relinquo.

Ibid. Cutbertus venerabilis Archiepiscopus Lindusfarnensis, quæ nunc Londensis dicitur.) Puto quòd rectius posset legi: *Cutbertus venerabilis Episcopus Lindisfarnensis, quæ nunc Dunelmensis dicitur.* Lindisfarna enim Insula est, in Orientali siue Northumbrico Angliæ littore, ad ostia fluminis Lindi sita, vnde & nomẽ sortita est. In hac S. Aidanus Sedem Episcopalem instituit, quæ tandem Dunelmum translata est; vti ex Malmesburiensi auctor est Miræus Lib. 5. Notit. Episc. De Cuthberto vide Ven. Bedam Lib. 4. c. 27. 28. 29. 30. 31. & 32. vbi illum non nisi Episcopum Lindisfarnensium vocat.

Pag. 158. Maior regiæ domus efficitur.) In Gallijs olim ante Pipinum Reges nomine tenus imperabant; omnis siquidem potestas regia penes Maiorem domus erat, excepto quòd Priuilegia & chartæ Regis nomine solùm expediebantur. Qui Rex dicebatur, annuatim semel carpento vectus, quod duobus

bobus

bobus trahebatur, in publicum prodibat, & populo salutem ac perennem faustitatem apprecabatur; qui vicissim Regi obsequia & dona publica solemniter deferebant: coram tunc adstabat Maior domus, & quæ deinceps eo anno agenda forent, populo annunciabat. Sicq; Rege domum redeunte; cetera regni negotia Maior domus administrabat. Vide Eginhart. initio libri de Vita Caroli Magn. Georg. Cedrenum in Leone Iconomacho, pag. 373. Segebert ad an. 662. Albert. Stadens. p. 62. Abbat. Vrsperg. p. 170. &c.

Ibid. Aripertus donationem Alpium Cottiarum.) Aripertus Alpes Cottias, olim à Rothario Rege ademptas, Romanæ Ecclesiæ restituit; quam restitutionem Luitprandus Rex deinde confirmauit. Paul. Diac. Hist. Long. Anastas. in Vit. Pontif. Ado in Chron. Sigon. & ex his Gordon, ad an. 704.

Ibid. Ceduallа Rex Occidentalium Saxonum.) Paul. Diaconus de Gestis Longob. Lib. 6. cap. 15. Cedoaldum vocat. Fuit autem Anglosaxonum Rex in Britannia, qui Romam contendes, à Cuniberto Longobardorum Rege beneuolè exceptus, à Sergio Pontifice baptismate initiatus, paulò post vitâ excessit. Corpus in D. Petri Basilica sepultum, fortunæ in diuinum vsum ex testamento erogatæ. Bonfinius Lib 8. Decad. 1. ex Bedæ l. 5. c. 7.

Pag. 159. Turcorum Principi Chagano se præsentauit.) Paul. Diac. in Hist. Longob. passim Auarum Regem appellat Cedrenus p. 376. Scytharum Principem, pag. 366. Chazarorum Regulum, & Paul. Diac. Lib. 20. Histor. misc. Chazarorum Principem vocat. Turcos enim ab Oriente Gazaros appellatos, idem Diac. Hist. miscel. l. 18. auctor.

Ibid. Cyrum Abbatem loco eius prouexit) Cardinalis Baronius ad an 708. Cyrum Amastridis insulæ Monachum vocat. Causa fauoris erat, quod Imperij recuperationem Iustiniano prædixisset: sed hunc vt orthodoxum Episcopum impius Philippicus postmodum suâ sede dimouit, atque in locum illius, Ioannem quendam Pseudomonachum, impietatis suæ socium suffecit. Baron. ad an. 712.

Ibid Statuit etiam Chersonam, &c.) An per Chersonam hoc loco cum Zonara regio; vel cum Cedreno, Procopio & Iornande, Ponti maritima vrbs ad Mœotidem paludem sita, rectius intelligatur, aliorum esto iudicium Si quis interim Chersonam Chersonesi Turcicæ præcipuam esse dixerit ciuitatem, fortè à scopo non multum aberrarit.

Ibid. Lintres, vsq; ad Chelandia eò destinauit.) Chelandium nauigij nomen est: testem adduco Cedrenum, pag. 383. *Expeditionem* (inquit,) *in Bulgaros fecit terrâ mariq; , missis ad Anchialum chelandijs* CIƆ CIƆ IƆC. *quæ, paucis demptis, omnia Aquilonis flatu sunt submersa* Paul. item Diacon. Histor Miscell. Lib. 12 pag. mihi 317. inquit: *Anno 29. Imperij Constantini, ingressa est Eirene ab Athenis veniens cum dromonibus & chelandijs plurimis.* Nomen vtique deriuatum à χελίζω, quod nauigare significat.

Ibid. Helias Spatharius, &c.) Spatharij apud Romanos erant corporum custodes. Georg. Cedrenus pag. 139. ὅτι σπαθάριος, ὁ σωματοφύλαξ ἐςί. Inde Protospatharij, Spatharij, Spathariocandidati, apud Codinum 1. Curopal. de offic. C. P. & Luitprand. Lib. 3. c. 7. l. 6. c. 5.

Pag. 161. Carolus Tudites, &c.) Hoc vno Carolo posteà Francici nominis digni-

dignitas ftetit: cui Tuditis siue Martelli cognomen ideò appositum, quòd hostes suos quasi Martello contundere visus fuerit. Ipse enim antiquos patrum suorum triumphos longùm excedens, admirandas de hostibus suis reportauit victorias.

Ibid. Eumq; presbyterum fieri iussit) Anastasius rebus suis diffidens ac deteriora pertimescens, spontè sese abdicauit, non coactus: positis itaque Imperij insignibus, ac monastico habitu sumpto, sibimet ipsi imperare adsueuit. Par Theodosio conditio; qui Leoni militaribus suffragijs euecto, pariter Imperio spontè cessit; & cum filio suo in Clericum attonsus, quod reliquum habuit ætatis in in otio quietius, quàm in imperio transegit.

Pag. 166. Quam epistolam Carolomannus Rex proprijs Galliæ, &c. præsentauit.) Hoc mendum sapit, rectius legitur: *Quam epistolam Carolomannus Rex Episcopis Galliæ, &c. præsentauit.*

Ibid. O vnica spes nostra post Deum, &c.) Omnia quæ isti actui, dum S. Benedicti corpus Cassinenses repetunt, inciderunt, fusè suppeditat Adreualdus Floriacensis de Mirac. S. Bened. c. 15. 16. & 17. *hac vnicâ exceptâ oratione*, quam tantum apud Hugonem hunc extare comperi.

Pag. 168. Saxoniam intrauit, & illam expugnauit.) Pipinus binas in Saxoniam fecit expeditiones, quarum primâ victor redijt; vltimâ tributum trecentorum equorum annuatim soluendorum victis imposuit. Vide Gordon ad ann. 753. & 758.

Pag. 169. Regem Desiderium, qui more patris sui Aistulphi, &c.) Desiderius Aistulphi non filius, sed successor fuit. Etenim cùm esset hic Præfectus Hetruriæ, ipseq; Aistulphus improlis obijsset, vel vt alij, filios per ætatem regni non reliquisset capaces; fauore summi Pontificis, & sibi concrediti exercitus, præ æmulis & competitoribus suis, rerum apud Longobardos potitus est. Paul. Diacon. Histor. Longobard. Lib. 6. cap. 61. Anastas. Histor. de Vit. Pontif. pag. 127.

Ibid. Qui in Italia composito negotio Saxonicum bellum arripuit.) Biennio antè Italicum bellum, cum Saxonibus dæmonum adhuc cultui addictis, præliari cœperunt Franci, populo naturâ feroci ac retinentissimo moris patrij, qui 33. annos continuos Caroli arma mirabili pertinaciâ exercuit. Eginhardus in vita Caroli.

Pag. 170. In quo prælio Egibardus, &c.) Carolus victorem ex Hispania reducens exercitum, in descensu Pyrenæi montis, Vasconum insidijs exceptus, nobilem accepit stragem; quæ maturæ eius iam gloriæ aliquid labis adspersit. Nullus alius locus Francorum strage celebratior: in quo Egibardus (rectius fortè Eghardus, siue Eggehardus.) Anselmus, Rolandus, & alij insigniores Ducum occubuerunt.

Ibid. Dani verò & Suenones Slauis erant confœderati, &c.) De hac Slauorũ cum Nordmannis, (quos Danos & Sueones appellat Eginhardus,) confœderatione nuspiam quid reperi. Interim non vna sed diuersæ expeditiones fuêre, quas contra Slauos & Nordmannos suscepit Carolus. Slauicum enim bellum an 789. Nordmannicum autem ad an. 808. gestum, ad quod confœderatio hæc, cuius modò Hugo meminit, commodè reijci potest.

Pag. 172. *Excæcauerunt, non tamen lumen eius penitus extinguere potuerunt.*) Leo factione quorundam, oculis linguâque mutilatus, sed inusitato prodigio non multò post oculos linguamque recepit; ita Anastasius in Vit. Pontific. pag. 180. & 181. Tradit tamen Zonaras Tom. 3. pag. 141. illos ipsos, quibus excæcationis illud negotium commissum fuerat, datâ operâ Leoni pepercisse.

Ibid. *Ac mare Balearicum, &c.*) Balearicum, quâ insulas circumluit Balearicas, Maiorem Minoremque, Maiorca & Menorca hodiè. Mare hoc latè nimis hîc sumitur ab Hugone; Etsi enim Mediterranei id maris pars sit, non tamen ad Gallicum se vsque littus extendit nomen eius. Vide Plinium l. 3. c. 5.

Pag. 173. *Cum Aaron quoq; Rege Persarum.*) Ita vocant scriptores Vitæ Caroli & Francicorum Annalium compilatores, vnde hæc pleraque Hugo mutuatus est. Cum tamen Saracenorum Regem fuisse constet, sed in Perside regnantem. Segeberto Aaron Ammiras vocatur ad an. 808.

Ibid. *Sacrum Mariæ Latinæ locum.*) Eginhardus in Vita Caroli, vnde Hugo hæc transcripsit, locum illum ab Aarone Carolo concessum, non alio quàm sacratissimi Sepulchri nomine describit.

Ibid. *Anno Incarnat. Dominicæ* 802.) Si auspicemur annum à Natalis Dominici die, in quam incidit Carolina coronatio, referenda erit ad annum 801. si verò à Kalend. Ianuar. vt hodie communiter facimus, pertinet dicta coronatio ad annum 800. Sed non tanta differentia hîc.

Ibid. *Imperauit annis* 47.) Confundit hoc loco Hugo annos Regni cum Imperij annis: Imperauit siquidem annis 13. & mensibus duobus non completis; Regnauit autem 47. annis.

Pag. 177. *Nicephorus, &c. Venetiam ei (Carolo) voluntate spontaneâ donauit.*) Tradit Baron. ad ann. 810. Pipinum Caroli Magni filium classe Nicephori, Venetorum Duces bello superatos & clade affectos, ad deditionem Vrbis compulisse. Posteà autem icto fœdere inter Nicephorum & Carolum contigisse, vt Carolus Venetiam Nicephoro reddiderit. Sed hoc nullatenus concedit Donatus Iannotius. Immò Car. Sigonius Lib. 4. de Regno Ital. disertissimis verbis testatur illo fœdere libertatem Venetorum nulla ex parte imminutam fuisse; verba illius adijciam: *In eo* (inquit) *fœdere illud nominatim expressum, vt Veneti inter vtrumq; Imperium positi, liberi atq; immunes, ab vtroq; securi viuerent, & sine molestia res suas in Regno Italiæ possiderent.* Hactenus Sigonius.

Ibid. *S. Ægidius Confessor, &c.*) Sigebertus in Chron. scribit vixisse hunc Anno 715. Verum & illum erroris arguit Card. Baron. in Notis ad Martyrol. Roman. probans, S. Ægidium S. Cæsario Arelatensi Episcopo fuisse synchronum, ac floruisse sub Clodoueo Francorum, & Theodorico Gothorum in Italia Regibus.

Ibid. *Qui de Monasterio montis Cassini venit in Gallias.*) Paulum Diaconum ex monte Cassino, Caroli amore allectum, in Gallias venisse, nuspiam legitur: sed eundem expugnatâ Papiâ, & capto Longobardorum Rege Desiderio, cuius Cancellarius fuit, à Carolo trans Alpes abductum, & paulò post ab eodem ob perfidiæ crimen (quod tamen per inuidiam ipsi affictum fuerat,) in insulam Diomedis relegatum fuisse, historiarum monimenta passim attestantur. Vide Leon. Marsican. Chron. montis Cassin. Lib. 1. cap. 17. qui vbi hac de re agit, inter

cetera

cetera refert, Carolum, iam comperta Pauli innocentia, de nouo vitæ instituto, ipsi humanissimè fuisse congratulatum, (Regulam enim S. Benedicti in monte Cassino fuerat amplexatus,) atque ita vtrumque, reciproca scriptione, sibi inuicem amorem & affectum subinde detulisse.

Ibid. Per singulos Ecclesiarum & Monasteriorum focos, censum primus exigi præcepit.) Hic cum esset Manichæus, Episcopos, Clericos, Monachos, ac omnes orthodoxos pessimè habebat, & à Magistratibus opprimi ac proculcari iubebat. Contra Bulgaros ducturus exercitum vectigales Ecclesias fecit. De quo conquerenti familiari cuidam, cor suum, vt olim Pharaonis, obduruisse, Deo ita volente, fassus est. Nec diu scelerati capitis pœna dilata: circumuentus enim à Bulgaris, cum Imperij totius flore cecidit, anno 811. cum imperasset annos 8. & menses totidem. Stauratius filius à nece patris, mensibus duobus & decem diebus solus regnauit: post iubente Michaële in Monachum attonsus.

Pag. 178. *Bagadach opulentissimam vrbem.*) Tradunt Orientalium itinerum Scriptores, veterem Babylonem hodiè à Turcis Bagadeth, Bagadach vel Baldach vocari, & in vicum degenerasse: quod probabile est, & conforme Prophetarum vaticinijs, antiqua enim Babylon penitus subuersa est, & ea, quæ hodiè Bagadeth, ex ruinis alterius coaluit. An de illa vrbe hîc loquatur Hugo, curiosis inquirendum dimitto.

Pag. 179. *Michaël voces eorum audiens, accurrit in Oratorium, &c.*) Michaël vir pietate & pacis artibus præclarus; sed haud perinde bellicis rebus idoneus. Quare victus à Bulgaris an. 813. Leoni Armenio Principatu cessit haud inuitus, ac in Cœnobium concessit.

Ibid. Congregatis Episcopis & nobilissimis viris, fecit componi librum, canonicam normam continentem.) Vita Ludouici apud Pithæum pag. 368. ita habet: *Congregatis Episcopis, nobilissimoq́; S. Ecclesiæ Clero, fecit componi ordinariq; librum, canonicæ vitæ normam gestantem, &c.* Huius item rei Annales Francorum meminerunt: & extat apud Goldastum Ecclesiastica hæc Ludouici reformatio, l. 3. Constit. Imper. p. 164. & 220.

Pag. 180. *Gregorius IV. quo annuente Lotharius patrem suum comprehendit.*) Scribit Baronius incurrisse Gregorium Pontificem apud nonnullos in suspicionem, quasi filijs contra patrem Ludouicum fauisset, eamque ex diuturniore mora, qua apud filios constiterat, fuisse contractam. Verùm is eundem ab illa purgat, aduocato in testem eius rei Paulo Æmilio Francicarum rerum Scriptore grauissimo. Vide Baron. ad an. 833. Paul. Æmil. p. 82.

Ibid. Post cuius obitum quatuor eius filij, &c.) Ludouici mortem, trium filiorum, (non quatuor vt vult Hugo, iam enim Pipinus obierat, primæ in patre conspirationis consors,) de Regni iure, ac finibus orta dissensio excepit. Lotharius Imperator, natu grandior, ad se omnia trahere adnitebatur: huic Ludouicus & Carolus coniunctis viribus restitêre, victumq; ad Fontinadum campum magno prælio in fugam egêre, Quâ pugnâ tanta Francorum strages facta est, quantam fuisse hactenus non meminerant. Tandem post accisas ciuili bello Franciæ vires, ita inter illos conuentum est, vt in Regni paterni diuisione, Lothario Imperium & Italia, Ludouico Germaniæ Regnum, Carolo autem Francia cederet.

FINIS.

Amice Lector. *Per festinantiam in quibusdam delictum est; nos ea monebimus, quæ moram inycere properanti possent.*

Pag. itaque 2. lin 2. lege Reges XXXVI. p. 7. lin. 15. nentem. p 8. in marg. Monarchiæ. ibid. lin. 18. in progeniem. ibid. lin. 30. Cuthei. p. 11. lin. 35 Hystaspis. p. 15. lin. 20. pro XXII lege XII. p. 16. lin. 24. Physcon. p. 17. lin. 2. pro Virius l. Varro. ib. lin. 29. propter. p. 19 lin. 5. vnius. p. 23. lin. 11. Arabissæ. p. 25. lin. 9. Periander. ib. Lindius. ib. Prieneus. p. 27. l. 14. armorum. ib. lin. 20. cui. pag. 31. lin. 29. vxores dulcedine variæ libidinis. p. 33. lin. 1. Pylæmene & Nicomede. p. 50. lin. 31. Decebat. p. 53. lin. 32. aiebat. p. 56. lin. 15. carum. p. 71. l. 17. Præsidatum. p. 72. lin. 3. quondam. p. 75. in fine, Clodio. p. 79 l. 2. Mazabanes. p. 83. lin. 28. ditionem. p. 85. lin. 4. occubuit. p. 86. lin. 37. Marcellinus. p. 88. lin. 11. Maximinum. ibid. in marg. Seuerus Rauennæ interficitur. p. 90. lin. 10. inseram. ib. lin. 24. Laudunis. ib. lin. 32. Lemouis. ib. lin. 36. Iurano. p. 91. lin. 5. Oximus pag. 94. lin. 31. LX. ib lin. 32. appellabat. p. 98. lin. 35. Vrsacius. p. 105 lin 23. Isidorus. p. 107. lin. 30. indicans. p. 111. lin. 17. Gratiano p. 123. l. 28. tantumque. p. 129 lin 3. pro Cyria lege Cyrus. p. 131 lin 3. Vigenna. p. 136. lin. 3. pro D. lege L. p. 138. lin. 31. Hypapante. p. 158. li. 14. Alpaide. pag. 164. lin. 10. Persidis. p. 175. lin. 31. Iuuauium, quæ & Saltzburg. p. 176. lin. 31. Ghiselam. p. 177. lin. 35. auarissimus. pag. 180. lin. 26. Fontinadum.

Quæ in Notis castiganda raptim occurrerunt, ita corriges.

Lit. Bb. pag. 3: lin. 34. post dictionem Genesin, insere sequentia: Petrum item *Comestorem Hist. Scholast. lib. 1. cap. 14. & Nic. Lyran. ad c. 11. Genes. Lit. Bb. p. 7. lin. 29. Ioan. Catonicus. Litt. Dd. p. 7. lin. 19. & 20. Drusum veneno extinctum, Germanicum verò incantamentis & veneficio sublatum. pag. seq. lin. 28 expunge illa verba: horum non meminerunt. Litt. Ee. p. 2. lin. 11. Crescentem. Ibid. in fine, lege Britannicum pro Germanico. Litt. eadem p. 7. lin. 15. Septitio Claro. Litt. Ff p. 1. l. 18. Casium. Litt. ead. p. 6. lin. 31.* post voculâ *habent,* velim sequentia inseras: *Oximus & Sagiensis ab Hugone, pro eodem accipiuntur; vnde probabilis coniectura emergit, Oximum, Oximem. Oximos vel Oximense Castellum, vbi regia Francorum Sedes antiquitus fuit, in Sagiensem Sedem Episcopalem demigrasse. Vide Oderic. Vitalem Hist. Eccl. lib. 6 pag. 610. 619. & 620, Item Rob. Canalem Hist. Gall.* Perioch. 4. *pag. 155. Cetera* si libet expunge,

FINIS.

